BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — C
35

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52.2.10
52
F
10

Digitized by Google

Digitized by Google

ORTHODOXA
CONSVLTATIO
DE RATIONE VERÆ FIDEI AGNOSCENDÆ, ET AMPLECTENDÆ

In Communem omnium veræ Religionis Studioſorum gratiam & vtilitatem aucta, vberiùs illuſtrata, & in duas partes diſtributa,

In Priori Regulæ ad Veram, Catholicam, & Orthodoxam Fidem agnoſcendam, ex Sacrarum Scripturarum Fontibus, Conciliorum auctoritate, Veterum Patrum monumentis, varijsq. rationibus hauſtæ explicantur.

In Altera grauiſſima de vera Fide, ac Religione amplectenda iuxta propoſitas regulas examinata Conſilia traduntur.

AVCTORE

R. P. ZACHARIA BOVERIO SALVTIENSI
Ord. Min. S. Franciſci, qui Capuccini nuncupantur.



BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IES.

ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſt. 1635.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Diſticon Auctoris ad Librum.

I Liber impauidus; cæleſti I murice tinctus
Per medios hoſtes, præſidet ipſe Deus.

Digitized by Google

F. ANTONIO BARBERINO

S.R.E. CARD. TIT. S. HONVPHRII EMINENT.MO ET REV.MO.

F. Zaccharias Bouerius Ordinis Minorum Capuccinorum, Plurimam in Domino S. D.

IVSSISTI (Cardinalis ampliſsime) vt libellum, quem ante decimum ab hinc annum, ad Sereniſsimi Caroli, tunc Vvalliæ Principis, nunc verò magnæ Britanniæ Regis, quo tempore apud Hiſpanos verſabatur, poſt familiare de Religiòne colloquium, inſtitutionem conſcripſeram, ac typis euulgaueram: ad commune quoque aliornm, qui à vera, & Catholica fide aberrant, commodum, atque vtilitatem transferrem. Iuſsiſti inquam; non tamen ſolus, ſed & qui tibi con-

Digitized by Google

iunctiſsimus eſt, ſimulq. tecum in animo imperat, iuſsit Religionis amor, & Catholicę fidei propagandæ cupiditas. Quid enim mens toto Orbe maior, quæ tibi ab incunabulis ineſt; Diuina pręſertim charitate grauida, niſi grandià pareret, ac maxima in ſinu geſtaret? Hanc cum non breuis terræ angulus caperet: neque vnius duntaxat Principis, aut Gentis commodum circumſcribere valeret: eò tandem vaſta charitatis amplitudine ferri oportuit; vt verę Religionis cultum, longè, latèq. per alias Orbis plagas diſtendere, atque efferas quaſq. Mundi nationes, fide, ac terrarum intercapedine à nobis remotiſsimas, ad Catholicæ Eccleſiæ gremium omni ſtudio pertrahere contenderet; Iam verò quis eſt, qui te hoc teſtimonio vero, ac Seraphico S.P.N. Franciſci: Cui & tu aliquando in Minorum Capuccinorum familia nomen dediſti: ſpiritu pręclarè imbutum facilè non agnoſcat? qui Deo Opt.Max.his illum verbis propellente. Vade Franciſce repara domum meam, quæ labitur: totius Orbis populos ad veræ fidei lumen perducere ſummopere optabat. Huc cum & tu (optime Præſul) animum, auctoritatem, ſollicitudinem, ſtudium, opeſque hactenus omnes contuleris: quæ optimi Principis maximè nomen, dignitatemq. commendant; quid mirum; quod animo ſemper ad meliora, ac maiora compellente, li-

bellum

bellum ad rectam fidei inſtitutionem: quo & aberrantes totius Orbis populi ad eam reuocari; cunctique qui in tenebris, & ſectarum caligine verſantur, ad veræ Religionis lumen excitari queant, tua auctoritate expoſtules?

En igitur Cardinalis, & Princeps Eminentiſsime vt debui, Iuſſis parui: Libellumq. Orthodoxæ Fidei Conſultorem, copioſiùs, quam antea, exaratum, & ad publicam eorum omnium, qui veram Fidem, & Religionem ignorant, diſciplinam compoſitum profero. Hunc quandoquidem Obedientia peperit, efformauit, auxit: tanquam genuinum ipſius fętum, tibi iure deberi, qui non modo inter alios Purpuratos Patres & Eccleſiæ Principes, Catholicę Fidei propagatores, Chriſtianæ Religionis incolumitati, atque incremento incumbis: verum etiam, vt Luſtricus Pater, eum in lucem iubes erumpere, lex ipſa naturæ poſtulat. Iam vero tuę humanitatis partes erunt, vt quę te imperante, & obſtetricante parta ſunt, velut propriam ſobolem agnoſcas, tua auctoritate foueas, Libellumq. cum ſuo Auctore grato animo complectaris. Deum ego Opt. Max. vt te diu Eccleſiæ, nobiſque incolumem ſeruet etiam atque etiam rogo. Vale. Datum Neapoli 10. Cal. Maij 1634.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Ad vniuerſos veræ Fidei, ac Religionis ſtudioſos.

IGnorabat quondam Iſraeliticus populus Dominum turpi, ac vario ſymulachrorum cultui addictus: ſuperſtitioneq forè vniuerſa occupante, in ſumma veræ Religionis ignorantia verſabatur: quum Elias ille acerrimus diuinæ Religionis vindex, ac Propugnator, his eum verbis ag-
3.Reg. *greditur, & ad meliora excitat*. Vſquequo (*ait*) claudicatis in
18. duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. *Hoc Vates, Domini & Baal; veræ ſcilicet, & falſæ Religionis aſpectu, Hebræum populum, à vero Dei cultu aberrantem, ad Diuina Religionis ſinum, olim prouocare viſus eſt.*

Verum enimuero, cum hac noſtra tempeſtate, ſi qua vmquam alia, Hæreſum, ac Sectarum parente, longè ampliores populos, qui olim Chriſto nomina dedere; ita vel cæca rerum diuinarum ignorantia obrutos, vel fallaci quadam recti ſpecie deluſos; vel tandem praua maiorum inſtitutione corruptos, conſpicere liceat vt & Dominum ignorent, & à recta veræ Religionis via quamplurimum aberrent. Eos enim qui errandi potius libidine, quam veritatis inquirendę ſtudio ducuntur; prorſus miſſos facio: quos diuinum illud fulmen, ab Apoſtolo in eos contortum tandem manet, quum ait.
Rom. 1 Reuelatur enim ira Dei de Cęlo ſuper omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent *haud importunè iiſdem Prophetæ vocibus, vniuerſos veræ Fidei, ac Religionis cupidos, ad Dominum veræ fidei Auctorem, & ad diuinæ Religionis ſinum mihi compellendos propoſui.*

Vos igitur (Fratres in Domino chariſſimi) Vos qui Chriſti nominis participes, ſemel Domini ſanguine in Baptiſmo ablati, ſemel ſanctificati, ſemel iuſtificati fuiſtis. Vos olim ſpecioſa Chriſti Ger-

mina

mina à poteſtati tenebrarum eruta, atque in Regnum lucis tranſlata, diuinoq. cruore perfuſa tum vero ſæui Dæmonis ira, ingruẽte impiorum dogmatum tempeſtate conuulſa: rurſus tamen Saluatoris gratia excitanda, viuificanda, atque ad ampliores fidei, & Religionis honores, ſi Deus dederit, reparanda. Vos inquam Eliæ verbis alloquor.

Vſquequo claudicatis in duaspartes? *Vnde nam hæc noua vobis in animo ſententia oritur; vt veram Religionem, quæ recta, integra, & incolumis ſemper eſſe debet, claudã confingatis? ex quo & vos cum ea quoque claudi efficiamini? Quid? An non Religio clauda eſt; quæ vtroque & priorum, & poſteriorum temporum pede, æqualiter in eadem Fidei via non procedit? An non clauda, quæ diuerſa à prioribus ſentit, & ab antiqua fide declinat? An non clauda; quæ nullo Apoſtolicę doctrinæ fundamento fulcitur? Denique an non vtroque pede claudicat, quæ ſolida in veritate veſtigia non ponit? Porrò cum clauda Religio cultores ſuos, qui per eum minus æquo fidei pede gradiuntur, claudos pręſtet: num me indignè feretis, vos Prophetę verbis, à claudis ad rectos verę Religionis greſſus prouocantem, atque inculcantem.*

Vſquequo claudicatis in duas partes? *Equidem ſi plures in Orbe Religiones ęqua veritate vigerent: nihil prohiberet, quin in plures quoque Religiones pedem declinare liceret: ſed cum vna tantum Chriſti Religio ſit, atque vnica & inconſutilis Domini tunica; quam nefas eſt in partes diſcindere: qui illam in partes diſſecant, profectò ab hac vna Chriſti Religione excidunt: qui vero ab ea excidunt: planè in vtrumque latus claudicant, quãdoquidem & à vera Religione declinant; & ſuperſtitionem pro vera Religione colunt. Quamobrem ſi æquum eſt, vniuerſos Vatis conſilio acquieſcere: id vobis in primis cauendum eſt, ne in vera Religione amplectenda in duas partes claudicetis.*

At neque id ſatis eſt. Vos enim præterea poſterioribus illius verbis compello. Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: *Et quidem cum Auguſtino teſte, id certum ac planè indubitatum ſit: Hominis animum, nulla re magis, quam rerum veritate moueri, atque ad amandum trahi: Ea etenim ſemel perſpecta, mens, quę antea varijs*

varijs cogitationum fluctibus agitata, inquieto motu ad ipſius inquiſitionem ferebatur: ac velut tempeſtate iactabatur: tunc tamquam tempeſtate ſedata, tuta in portu conquieſcit: Quidni Fidei, ac diuinæ Religionis veritas: quę ſanè eò potentior eſt, quò à ſumma illa veritate proficiſcitur, quæ Deum Opt. Max. nō modò auctorem ſibi vendicat: verum & ab eo vim quandam infinitam ſortitur, ita diuinitati coniunctam vt Deus ipſe veritas nuncupetur, certiſſimis argumentis probata, ſuisq. Regulis quibus falſum nullo modo ſubeſſe poteſt, agnita: cuiuſq. animū ad ſe allicere, ac licet varijs, ac multiplicibus errorū nexibus implicatum pertrahere valeat? Quod cum ita ſit, nemo ſe ipſum à Fide, & Religione, quam ſemel veram diuinamq. eſſe didicerit, amplectenda excuſet: nemo ab ea ſub cuiuslibet humanę rationis prætextu declinet: ſicut enim cunctis ſub ęternę mortis Iudicio edictum eſt, vt vnum, ac verum Deum agnoſcant, & colant: ita quoque omnibus diuino edicto præceptum ſciant, vt veram Fidem, & Religionem ſeriè qua Deus ritè nec agnoſcitur, nec colitur, integram teneant. Si enim Deus eſt Dominus, is profectò non Baal ſequendus eſt.

At verò, ne in re omnium grauiſſima; ex qua æternus animę interitus pendet, vos aliquando errare contingat: diuinam quādam, atque Orthodoxam Conſultationem mihi inſtituere viſum fuit: in qua Domino, & Baal, vera ſcilicet, & falſa Religione, certis, ac diuinis Regulis explorata, facilè veſtrum cuiuſque animus diuinę veritatis cupidus Baal, ac profana ſuperſtitione longius proiecta, ad Dominum, veram, ac diuinam Religionem accedat, in eaque tutò conquieſcat.

Orthodoxam igitur de vera Fide, ac Religione amplectenda Conſultationem aggreſſurus, ipſum naturę ordinem, quem in Regijs quoque Conſilijs ſapientiſſimi quique Regum Conſiliarij amplecti ſolent, mihi in hoc libello ſequendum præſtitui. Cum enim id hominum ingenio, ac rationi à natura inditum ſit; vt quę prorſus ignota ſunt, nulla ratione ſub hominum appetitu, & electione cadere valeant: nihilq. prętereà tam homini naturale ſit, quàm ab ijs, quę cuiuſque vitæ pernicioſa eſſe videntur, modis omnibus abhorrere.

Hinc

Digitized by Google

Hinc ea in his, quæ humanis Conſilijs agitantur, ratio iniri ſolet; vt rei primum, quæ in Conſultationem vocatur, ſtatus, ac natura conſpicienda proponantur. Deinde, quæ Regno, aut Reipub. in ea deliberatione noxia, ac peſtifera eſſe poſſunt, communi cenſu expungantur: quò faciliùs ea quæ vtilia, ac proficua iudicantur, maturo conſilio, ac deliberatione tandem decerni queãt.

Hic quoque cum Optimus veræ Fidei, ac Religionis perſuadendæ modus eſſe videatur, atque humanis mẽtibus maximè accommodatus; vtpotè quem ipſe tum naturæ, tum rectæ rationis ordo præſcribit: Eo, & ipſe in hac fidei conſultatione vti decreui. In qua primum veræ Fidei, ac Religionis naturam proprijs, innatisq; ſibi ſignis conſpicuam, ac velut ad viuum effigiatam contemplandam propono: nedum de vera Fide, ac Religione amplectenda agitur: eam fortè ignorari contingat. Tum verò Lutheriſtarum, Caluinianorum, Proteſtantium, atque aliorum, qui aliquod ſibi Religionis nomen vſurpant, Fidem, ac Religionem ad veræ Fidei, ac Religionis Regulas prouoco: quo luculentius, num ea vera Fides, ac Religio cenſenda ſit, perſpicuum fiat: ne quiſquam (quod ſæpè accidit) pro fide perfidiam, aut ſectam pro vera Religione colat. Poſtremo iudicium de Catholica, & Romana Fide, ac Religione ſubijcio: vt ſi in eam, veræ Fidei, ac Religionis naturam, ac Regulas adamuſſim collimare perſpectum fuerit; ea ſola tanquam vera Dei fides, ac Chriſti Religio habeatur; Tum verò quiſque optimo apud ſe conſilio inito, hanc ſolam ſibi deliberandam, atque amplexandam ſuadeat.

Cæterùm, ne humanam, aut meo tantum ingenio elaboratam, hanc fidei Conſultationem eſſe quis exiſtimet, Diuinos tantummodò, ac grauiſſimos huius Conſultationis Auctores profero. Euangeliſtas, Apoſtolos, Scripturas, Patres, Orthodoxos, Generalia Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum. Quos nullo iure quiſquam excipere, aut ſuſpectos habere queat. Ab his diſtinctas Conſultationis Regulas, ac Concilia, quibus vera Fides, ac Religio agnoſci, ac perſuaderi queat, decerpſi quo veſtrum omniũ mentes tam ſanis, ac præclaris Conſilijs imbutæ grauius, ac maturius ad veræ Religionis amplexum ſe conferant.

Digitized by Google

Habetis itaque quotquot veræ Fidei, ac Religionis ſtudioſi eſtis: Conſultationem non vanam, non imprudentem aut vitio aliquo ſuſpectam: ſed Orthodoxam, candidam, ac melioris ſententię, quam nemo prudens, aut ſapiens, vlla ratione abnuere, aut reÿcere debeat. Habetis & Conſultationis Auctores; de quorum conſilio, ac doctrina vlli nefas ſit dubitare. Habetis denique Conſultorem, virum tametſi humilem, obſcurum, atque inter veriores ipſos minimum veſtrum tamen omnium amantiſſimum: vtpotè qui vos omnes cum Apoſtolo cupiam in viſceribus IESV Chriſti. Et hoc oro, vt Charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu; vt probetis potiora, vt ſitis ſynceri, & ſine offenſam in diem Chriſti. *Valete.*

ad Philip. 1.

IN-

Nos frater Antonius à Mutina Ordinis fratrum Minorum Capuccinorum Generalis Miniſter &c.

TEnore præſentium concedimus, vt libellus, cui titulus eſt Ortodoxa conſultatio de ratione verę fidei agnoſcendæ, & amplectendæ ab Admodum Reuerendo Patre Zaccharia Bouerio Salutienſi eiuſdem Ordinis Prædicatore & Diffinitore generali editus, ac à Theologis, quibus fuit commiſſum, reuiſus, & approbatus, ſeruatis ſeruandis, prælo committi, & euulgari valeat. Dat. in loco noſtro Troiæ die 19. Iulij 1634.

Fr. Antonius à Mutina Miniſter Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

Digitized by Google

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſsimo P.M.S.P.A.

A. Torniellus Viceſgerens.

Imprimatur.

F. Nicolaus Riccardius Sacri Pal. Apoſt. Mag.

c Nos

Digitized by Google

INDEX

Regularum, & Conſiliorum, quæ in Duplici huius Libelli parte continentur.

INDEX PRIORIS PARTIS.

APparatus I. In quo de Animi præparatione, ad veram Fidem, & Religionem addiſcendam agitur.

Appar.II. De vera Fidei, ac Religionis cupiditate.

Appar.III. De vita bonis operibus moralibus inſtruenda.

Appar.IV. De vera fidei lumine à Deo precibus impetranda.

Appar.V. De vera Religione rebus omnibus anteferenda.

Reg.I. In qua vnica tantam Fides, ac Religio aſſeritur, & Religionem pluralitas fugatur.

Reg.II. Vera Fides, ac Religio ab interitu vendicatur, ac prætenſa Reformatio exploditur.

Reg.III. Vera Fides, ac Religio ab Antiquitate demonſtratur.

Reg.IV. Vera Fides, ac Religio, à locorum, ac perſonarum vniuerſalitate oſtenditur.

Reg.V. Vera Religio à perfecta Fidei integritate agnoſcenda traditur.

Reg.VI. Vera Eccleſia, ſiue Religio, viſibilis tantum eſſe aſſeritur.

Reg.VII. Veram Religionem ſine Capite viſibili non poſſe ſubſiſtere declaratur, ac ſtatuitur.

Reg.VIII. Eccleſiæ veræ Principatum ad ſacros tantum Homines pertinere decernitur.

Reg.IX. Pontificum, & Epiſcoporum ſucceſſio verę Religioni neceſſaria comprobatur.

Reg.X. Vera Religio ex Sanctimonia, ac diuinis miraculis in ea coruſcantibus, agnoſcenda proponitur.

Digitized by Google

CONſil.I. In quo Romanam Religionem ſolam veræ Religionis vnitatem ſibi vendicare demonſtratur.

Conſ.II. Romana Religio, propter fidei antiquitatem, ſola vera oſtenditur.

Conſ.III Romana Religio, ob fidei vniuerſalitatem, qua eadem ſemper vbique diffuſa eſt, amplectenda decernitur.

Conſ.IV Romana Religionis fidem integram ſemper, & incorruptam fuiſſe comprobatur.

Conſ.V. In Romana Eccleſia tantummodo B. Petri primatus, ac ſuprema poteſtas fulget.

Conſ.VI. Romana Eccleſia à B. Petro fundata, ac ipſius ſanguine conſecrata aſſeritur.

Conſ.VII. Solam Romanam Eccleſiam Pontifici, B.Petri ſucceſſore frui euincitur.

Conſ.VIII. In ſola Romana Eccleſia Pontifici ſucceſſionem nunquam interruptam ſeruari comprobatur.

Conſ.IX. Epiſcoporum, ac Presbyterorum legitima ſucceſſione Romana Eccleſia ſola Apoſtolica euincitur.

Conſ.X. Solam Romanam Religionem vera Sanctimonia, ac diuinis miraculis illuſtrem eſſe demonſtratur.

IN-

INDEX

Auctorum, qui citantur in hoc Libello.

A

S. *Alexander I.*
S. Ambroſius.
Anaſtaſius Antiochenſis.
Arnobius.
S. Athanaſius.
S. Auguſtinus.
Auctor quæſt. nou. & Vet. Teſtam.

B

B*Aachiarius.*
S. Baſilius.

C

C*Aeſaris Arelatenſis.*
Calixtus.
Cęleſtinus.
Clemens Romanus.
Clemens Alexandrinus.
Concilium Nicen. I. & 2.
Concilium Neocæſarienſe.
Concilium Chalcedonenſe.
Cōciliū Carthaginenſe I. 2. 3. 4.
Concilium Valentinum.
Concilium Vaſenſe.
Concilium Aurelianenſe.
Concilium Sardicenſe.
Concilium Conſtantinop. I. 2. 3.
Concilium Epheſinum 2.
Concilium Mopſnetanum.
Concilium Tolet. I. 2. 3. 4.
Concilium Mileuit.
Concilium Lateranenſe I.
Concilium Trident.
Cyrillus Ieroſolymitanus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyprianus.

D

S. *Damaſus.*
S. Didimus Alexandrinus.
S. Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Alexandrinus.

E

S. *Ephrem.*
S. Euſebius Cæſarienſis.
S. Eucherius Lugdunenſis.
S. Epiphanius.
Euſebius Alexandrinus.
Euodius.

F

S. *Fulgentius.*

G

S. *Gregorius Magnus.*
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Gregorius Nazianzenus.
Gaudentius.
Gregorius Turonenſis.

H

S. *Hilarius.*
S. Hieronymus.

Hi-

Hilarius Arelatenſis.

I

S. Ioannes Damaſcenus.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
Iſidorus Peluſio.
Iſidorus Hiſpalenſis.
S. Iraneus.
Iuſtinus Martyr.
S. Ignatius Martyr.

L

S. Leo Magnus.
S. Lactantius Firmianus.

M

S. Martialis.
S. Maximus.
Maximus Conſtantinop.

N

Nilus Abbas.

O

Origenes.
Optatus.

P

Pacianus.
Petrus Chryſologus.
S. Paulinus Nolenſis.
Philo Carphathius.
Proclus Conſtantinop.
Polycarpus.
Primaſius.
Palladius.
Procopius.
Prudentius.
Petrus Galatinus.

R

Ruffinus.

S

Salonius.
Sedulius.
Seuerinus Boetius.

T

S. Thomas Aquinas.
S. Theophilactus.
S, Theodoretus.
Tertullianus.
Theophilus Alexandrinus.
Titus Boſtrenſis

V

Victor Vticenſis.
Vincentius Lirinenſis.
Vigilius Tridentinus.

Z

Zeno Veronenſis.

Digitized by Google

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
quæ in hoc libello continentur.

Primus numerus partem: poſterior pagellam indicat.

A

ALexandri Macedonis præclarum de Ieroſolymitano Templo Iudicium, Par. 2. 393.

Ambroſius ſtrenuus Eccleſiaſticæ poteſtatis propugnator p. 1. pag. 165.

Amor animi pondus App. 2. 3.

Anglia B. Petri patrimonij, p. 1. 166. Ante ſchiſma quanta illius Reges ſanctimonia florerent, oſtenditur Ibidem Henrico 8 ſchiſmate, & hæreſi obruta, p. 1. 46. poſt ſchiſma, & hæreſim omni ſanctitate orbata p 2. 423

Angliæ Reges plerique inter Sanctos relati p. 1. 166. Pontificiam auctoritatem quanti fecerint: declaratur. ibidem.

Anglo Caluiniſtæ, ſeu Proteſtantes in Anglia in ? ur??anos inueh[illegible]untur p. 1. 19. mutuis anathematiſmis ſe excipiunt. Ibidem: Irreconciliabile inter ſe bellum gerunt. ibidem. Præcipua doctrinarum Capita explicanturr de quibus inter ſe dimicant. ibidem 91. 92. A vera Eccleſia ſucceſſione abſunt. Ibidem 190. 191.

Animus veritatis depoſitaria. p. 1. 52. Veræ fidei, ac Religionis Cuſtos. ibidem 52. 53.

Apparatus quidam ad veram Religionem amplectendã neceſſarij App. 1. 1.

Apoſtoli cur lux mundi à Chriſto appellati. p. 1. 213. Quomodo Eccleſiæ fundamenta dicantur p. 2. 3 4. 305. Poteſtatem à Chriſto acceperunt, ad regendam Eccleſiam, ſub Petro. Ibidem. Claues Eccleſiæ Petro traditæ, quo diſcrimine, & ipſi acceperint, Ibidem. 307. Eorum Caput Petrus à Domino conſtitutus p. 2. 314. Eccleſiæ fundamenta quo ſenſu nuncupati p. 7. 134.

Auguſtinus, petram Chriſtum ipſum intelligens, exponitur p. 2. 300. 301. Vtramque expoſitionem approbat. Ibidem 301. à Caluino ipſius ſenſus vendicatur Ibidem 309. 310.

B

B*Aptiſmus fidei Ianua. p. 1. 71. non multiplex, ſed vnus tantum omnium. Ibidem. Vnius fidei profeſſione celebratur. ibidem. Tradita in eo fides, nunquam deſtrenda. Ibidem. 69. In eo, in vnum Corpus baptizari, quid ſit? Ibidem 70. 71.*

Baptiſ-

Baptiſmo originalem culpam etiam in reprobis deleri demonſtratur, p. 2. 253. Oppoſitum docentes refelluntur ibidem 153. 254. Originalis culpæ reatum, eo ab omnibus auferri, aſſeritur; Contra ſectarios. Ibidem. 254. 355. Ante illum neminem ſanctificari: Vetus Eccleſiæ doctrina. Ibidem 255. 256.

Britannia ab Eleutherio Papa primum ad Chriſtum perductæ. p. 2. 430.

C

CAluinus, quo tempore Geneuenſem Epiſcopatum occupauerit, p. 1. 192. Catholica expulſa: Caluiniſticam Religionem diſſeminat. Ibidem. nulla Apoſtolica poteſtate fretus, antiquam fidem conuellit. Ibidem 193. 193. nulla Apoſtolica ſucceſſione tenetur. Ibidem. 189. & ſeq. Quibuſnam ſucceſſerit, fusè explicatur. Ibidem 198. & ſeq. Aſſerens Romanum Pontificem Petro non ſuccedere, ſolidè refellitur p. 2. 242. eiuſdem inconſtatia ſuggillatur. Ibidem. 253.

Caluinus perperam Auguſtinum ad ſuũ ſenſum trahit p. 2. 300. 301. Auguſtinus eidem eripitur Ibidem 301. 302. 308 & ſeq. Ipſius error de Clauium nomine exploditur Ibidem 312. Malè colligit Petrum circiter viginti annos fuiſſe Ieroſolymis, poſt Chriſti mortem. Ibidem 326. 327. & ſeq. Ipſius annorum ſupputatio refellitur. Ibidem 327. vera contra eundem, Annorum ſupputatio ſtatuitur ibidem 227. 328. & ſeq. Perperam Pontificium in Eccleſia ſucceſſionem impugnat. Ibidem 331. Inepta ipſius ratiocinatio diluitur, quia ad tollendam Petri ſucceſſionem vtitur ibidem 340.

Caluiniſtæ aduerſus lutheranos pugnant, p. 1. 81. De grauiſſimis fidei dogmatibus inter ſe digladiantur. Ibidem 81. 82. & ſeq. alij alios damnant Ibidem. 189 Quibuſnam ſuccedant. Ibidem 83. 84. & ſeq. in plures ſectas diſſecti inter ſe pugnant. Ibidem 190. Eorum fides diſciſſa p. 2. 285. Eorum fidei confeſsiones ſæpè mutatæ. Ibidem 286. Ipſorum error de Clauium nomine expellitur Ibidem 312.

Caput viſibile in Eccleſia viſibile in Eccleſia agnoſcendum, pluribus demonſtratur. p. 1. 124. per tot. Reg. 7. Qui ab eo eſiſcunt, in hæreſes incidunt. Ibidem Vniuerſa Eccleſiæ membra in fidei vnitate continet. Ibidem hæreſes ferè omnes ex huius capitis inobedientia abortæ. Ibidem 124. Inuiſibile, in Eccleſia viſibili, non ſufficere demonſtratur Ibidem. 125. 126. & ſeq. Dei vice in Eccleſia præſidet. Ibidem 126. Ipſius in Eccleſia munera recenſentur, Ibidem 127. 128. De eo Michææ Vaticinium explicatur ibidem 129. 130. Caput duntaxat ſub Chriſto ibidem 130. De eodem Oſeæ Vaticinium exaratur. ibidem 121. & ſeq. Ab Eccleſia eligitur ibidem 131. plerique metaphoris illuſtratur. ibidem 134. Ipſius neceſſitas in Eccleſia confirmatur. ibidem 135. & ſeq.

Caſtitatis Conſilium magnopere à Chriſto commendatum, p. 2. 424. in noſtra

ſtra

Digitized by Google

ſtra poteſtate ipſius obſeruantia aſſeritur;contra ſectarios.ibid. Inter ardua perfectionis opera collocandum ibid. 425. Ita Dei donum eſt: vt cū Dei gratia facilè adimpleri poſſit. ibidem. Quanā ad eam tuēdam,præſidia ſint. ibid.425.426. Id plerique Imperatores, ac Reges obſeruarunt. Ibid 426.

Cephas Siriacum vocabulum; quid ſignificet p. 2. 302. Petrus à Chriſto Cephas appellatus, quarè: ibidē 302. Petram propriè ſignificat. ibidem. Cur à latino interprete Petrus dictus. ibidem. Cephas alius Chriſti diſcipulus inſinuatur, cum quo Paulus ſocietatem inijt.ibidem 329

Chriſtus inuiſibile,& ſupremum Eccleſiæ caput.p.1.126. In Eccleſia adminiſtratione Vicarij capitis miniſterio vtitur. Ibid.126. 127. Viſibilem Principatum in Eccleſia geſſit,ac inſtituit. Ibidem 127.138. Viſibilis ipſius Principatus nō ſuperuacaneus. ibidem 128.ab eo in Petrum transfuſus. Ibidem 129.ſolus Eccleſiæ Dominus. Ibidem 130.Præter ipſum,tamen ſub ipſo, aliud in Eccleſia Caput eſſe neceſſarium, declaratur. Ibidem 130.131.Caput Eccleſiæ à Patre conſtitutus. Ibidem 132. à Deo Patre datus, vt omnium exemplar fiat. ibidem 138. Politicam pòteſtatem numquam exercuit. ibidem 160. A Regni poteſtate abhorruit, ibidem. Petrum ſacrum hominem ad Eccleſiæ Principatum, non Reges vocauit. ibidem 258. Quo ſenſu dixerit. Regnum ſuum non eſſe de hoc mūdo. ibidem 161. 162. Reges ab Eccleſia Principatu repulit. ibidem 162.

Chriſtus quomodo caput Eccleſiæ, p. 1. 20. ſub eo aliud caput viſibile agnoſcendum. Ibidem. Refelluntur, qui nullum ſub eo caput miniſteriale aſſerunt. ibidem 20. 21. & Reg. 7. per tot. Romanus Pontifex ſub eo Caput viſibile ſimilitudine adſtruitur. ibidem 121. & P. 2. 332.333. Vnitatem Capitis viſibilis in Eccleſia Inſtituit. P.1.22. Eccleſiæ Petra, & fundamentum Ibid. 26. Refelluntur, qui eum Eccleſiæ petram ex Verbis Matthæi. Et ſuper hāc petram,&c. eſſe adſtruunt Ibidem 26.27. Cur pro Petri dumtaxat, non pro aliorum Apoſtolorum fide orauerit. Ibid. 30.

Chriſtus quem in Eccleſia ſuum Vicarium eſſe voluerit. p.2. 340. Ita Caput Eccleſiæ, vt nullum æquale habeat. Ibidem. Petrum in Eccleſia ſupremum Paſtorem inſtituit Ibidem. 342. non Petrum tantum; ſed Pontifices etiam Petri ſucceſſores ad Pontificiam dignitatem euexit. Ibidem. 366. nulla illum ignorantia laboraſſe Contra ſectarios oſtenditur. Ibidem 377. ad Inferos poſt mortem deſcendiſſe adſtruitur. Ibidem 379. Apoſtolos Epiſcopos creauit. Ibidem. 398. ſacerdotes inſtituit. ibidem 400. Ipſius ſacerdotium,antiquo præſtantius. Ibidem 407. 408 non ſolus ſacerdos Ibidem 412. & ſeq. Caluini id aſſerentis error refellitur. ibidem 413. Pontifex, & ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Ibidem 413. Cur Apoſtolos ſibi comparauerit p.1. 213. Ipſius imitatione perfecta Eccleſiæ ſanctitas continetur. Ibidem 214.Quare Eccleſiæ fundamētum di-

catur ab Apoſtolo, præter quod aliud nullum. p. 2. 304.

Clauium nomine poteſtas deſignatur p. 2. 305. 306. Eccleſiæ, in Petro traditæ, quid indicent. ibidem. 306. 307. Cæteris etiam Apoſtolis, quo diſcrimine commiſſæ. Ibid. 307. Caluinus in eas inſurgens profligatur. Ibid. 308. Ea non Eccleſiæ, ſed Petro primario, & formaliter creditæ. Ibid. 309. Earum nomine, quid ſectarij intelligant. Ibidem 312. Ipſorum error de Clauium acceptione exploditur. Ibidem.

Concilia Generalia, quot in Eccleſia celebrata fuerint p. 2. 276. ſumma illorum in Romana fide, ac doctrina aſſerenda, concordia. Ibidem. In his Epiſcopi diuerſarum Gentium in Romana tantum fide aſſerenda ſemper conſenſere. Ibidem. 277. Numquam abſque Romani Pontificis auctoritate celebrata p. 2. 352. eorum Indictio, & Confirmatio, ad Romanum Pontificem ſpectat. Ibidem.

Conſenſus in doctrina fidei, ab Apoſtolo laudatur p. 1. 71. 72. 73. qui illum abrumpunt, vel ſchiſmati, vel hæretici cenſendi. Ibid. 72. S. Auguſt. ad Catholicā Eccleſiam perduxit. Ibid. 74.

Conſenſus in doctrina Euangelij, non poteſt eſſe vera Religionis nota p. 2. 232. 233. 234. in ſacramentorum adminiſtratione, à vera Eccleſia nota expellitur Ibidem. 234.

Cornelius Centurio, oratione, & Eleemoſynis fidem promeruit 4. App. 3.

Corporis, & ſanguinis Chriſti veritas, in Euchariſtia, ex ſcripturis, & antiquis Patribus demonſtratur. p. 1. 57. 58. 59. ſumma perfidia, à ſectarijs impugnatur. Ibidem. 57. Miraculis à Deo illuſtratur. p. 2. 433.

D

Deus principium, & finis omnium rerum. p. 1. 16. Auctor naturæ, & gratiæ. Ibidem 75. Vnica tantum fide apprehēditur, ac Religione colitur. Ibidem. Vnius tantum fidei, & Religionis Auctor. Ibidem. Eſſe mali Auctorem impie tradunt ſectarij. Ibidem. 83. In orbis adminiſtratione hominum miniſterium, & Vicariam operam adhibet p. 1. 125.

Dei abſoluta potētia, ſeu omnipotentia, contra ſectarios adſtruitur. p. 2. 375. Ipſius ſāctitas, ac bonitas nullius mali auctrix aſſeritur. Ibid. 376. Ipſius mandatis hominē Dei gratia iuſtificatum parere poſſe oſtenditur. Ibid. 381.

Doctrina fidei vnde Catholica dicatur. p. 1. 70. 71. 72. & ſeq. ea Catholica Eccleſia conſtituitur. Ibidem. 73. In ea conſenſus ab Apoſtolo laudatur. Ibid. 70. 71. & ſeq. Ipſius diſcordia fidei & Religionis incertitudinem parit. Ibid. 74. Qui in ea concordes non ſunt, nullā fidem, ac Religionē colunt. ibid. In ea diſſenſio, multiplicē fidem, ac Religionem ſtatuit. Ibidem 75. ac Deum tandem ab orbe expellit. Ibid.

Doctrinæ Apoſtolicæ ſucceſſio, num apud ſectarios ſit, examinatur. p. 1. 193. 194. & ſeq. Præcipua illius capita adferuntur, & cum ſectariorum doctrina conferuntur. Ibid. Vera tantum ea eſt, quæ cū antiqua conſpirat, p. 2. 368. Apoſtolicæ doctrina eſt conſanguinea Ibid. 368. A legitima Paſtorum ſucceſſione manat. ibidem.

Eccle-

INDEX.

E

Ecclesia semper Incolumis in orbe futura. p. 1. Reg. 2. per tot. 26. numquàm intermortua fuit. Ibid. 26. 38. 39 Reselluntur, qui eam interijsse affirmant. Ibidem. 38. 39. Quot absurda sequerentur, si ea intermortua statueretur: ibidem 39. 40. 41. 42. Eam semper fuisse, semper esse, semper futuram esse de fide credendū. ibidem 37. 38. Ipsius fides immobilis, & inconcussa asseritur. ibidem 28. 29. 32. 33. 34. & seq. In Christo fundata penitus ruere non potest. ibidem 28. 36. 37. Cum domo illa Euāgelica comparatur; quæ ædificata est supra petram. ibidem Aduersus illam inferi portæ præualere non possunt. ibidem 28. 29. Pro illius fidei perpetuitate Christus orauit. ibidem. 30. In ea infallibile veritatis magisterium à Christo institutum. ibidem. 32. Pro ea pleraque scripturarum testimonia afferuntur, & expenduntur. Ibid. 33. 34. In fide Christo desponsata. Ibidem. 34. Columna, & firmamentum veritatis asseritur, ab Apostolo. Ibidem. Ex quo à Christo fundata fuit; semper in Orbe floruit. ibidem 35. Reselluntur qui eam reformatam autumant. ibidem 39. Vnde Catholica dicta. ibidem 73.

Ecclesia vera vbinam quærenda? Ibidem. 76. 77. omnium temporum, locorum, ac personarum consensionem, sola tenet. ibidem. Spiritus Sanctus ipsius indiuiduus Comes asseritur. ibidem. 98. & 33. nulla vnquam erroris macula labefactanda. ibidem 98. In ea perpetua, & incorrupta fides. ibidem. Ad ipsius veritatem, fidei integritas necessaria. ibidem 99. ipsius perpetuitas, & immobilitas, ex perpetuitate, & immobilitate fidei. ibidem 99. 100. Tota est visibilis. ibidem. 107. Est multorum Congregatio. ibidem 108. Quare inuisibilis esse non possit sectariorum positione declaratur. ibidem. 108. 109 & seq.

Ecclesia quare necessario visibilis. p. 1. 108. 109. & seq. Ipsius membra, partes, Pastores, plebes, Sacramenta visibilia ibidem. 109. Regnum, Ciuitas, Mons; Lucerna in scripturis appellatur. ibidem. 110. Cum Area, Agro, Conuiuio, Ouili, Sagena, Decem Virginibus, Magna domo, comparata: ibidem 111. 112. Bonis, & malis permixta ibidem 112. 113. Christi tempestate visibilis. ibidem. 114. Malè à Sectarijs in visibilem, & inuisibilem distinguitur. ibidem 108. Tota visibilis asseritur. ibidem 108. 109. & seq. Electorum nulla inuisibilis ibidem 109. 110. & seq. Impiè à Sectarijs in veram, & apparentem distincta ibidem. 114. A suo ortu visibilis demōstratur. ibid 114. 115. Quot absurda sequerentur, si inuisibilis poneretur. ibidem 123 in ea visibile caput agnoscendū. ibid 124 per tot Reg. 7. Visibili administratione indiget. Ibidem 126.

Ecclesia sancta ab Apostolis nuncupata p. 1. 204 Quo sensu sancta dicatur. ibidem. 205. Sectariorum sensus exploditur. ibidem. 205. 206. Ex solis Prædestinatis non constat. ibidem sola fide sanctam nuncupari, multis refel-

refellitur. Ibidem 206. 207. 208. unde nam ſancta denominetur. ibidem 208. 209. 210. In ea mali, tamquam praui humores in Corpore. ibidē 209. Cum arbore bona comparatur. ibidem 212. Ipſius fructus, ſanctimonia omni virtutum genere referta. ibidem 213. Caritate, & omnium virtutum luce commendatur. Ibidem 214.

Eccleſia ſpeculo aſsimilatur, qui perfectas Chriſti Imagines refert, p. 1. 214. Viros pietate, ac ſanctimonia illuſtres gignit. ibidem. Ipſius fidem, & ſanctitatem diuina miracula teſtantur. ibidem 215. Aurorae ob fidei profectum comparatur. p. 2. 295. A Romano Pontifice fidei veritatem addiſcit. p. 2. 316. Ex Iudeis, & Gentilibus collecta. ibidem 324. Cum Petro non occubuit. ibidem 342. In Petro Claues accepit. ibidem 309. Eam non audientes Sectarij, ſicut Ethnici, & Publicani habendi. p. 2. 400. Vera, in qua Apoſtolica ſucceſſio viget, p. 1. 186. quae ab Apoſtolis originem ſe accepiſſe demonſtrat. Ibid. 192. quae Paſtorum ſeriem Apoſtolica ordinatione confectam oſtendit. Ibid.

Eccleſiae Principatus, ex Chriſti inſtituto, ad ſacras tantum perſonas ſpectat. p. 1. 148. per tot. Reg. 8. Regibus, ac Principibus ſaecularibus nullo iure debetur, ibidem 150. ante Diluuium in Orbe inſtitutus. Ibidem 152. In Hebraeo populo illuſtris. ibidem 153. A Chriſto in Orbe inſtitutus, ibidem in Petrum, ac Petri ſucceſſores, à Chriſto translatus. ibidem. Regiam Poteſtatem antecellit. ibidem. Id ex vtriuſque vſu, & fine declaratur ibid. Ad eum non Reges, aut Caeſares: ſed Petrus à Chriſto vocatur. ibidem 157. 158. In ſacris tantum perſonis à Chriſto inſtitutus. Ibid. 159. Ad Reges non ſpectare, rationibus probatur. ibid. 168

Eccleſiaſtica poteſtas à Iure diuino manat, p. 1. 149. ad eos tãtum ſpectat, quibus diuina Auctoritas ineſſe decreuerit. Ibidem 150. 151. & ſeq. Regia poteſtate maior. ibidem 151. A Deo in orbe inſtituta. ibidem 152. In Hebraeo populo illuſtris. ibidem 153. Illuſtriorem à Chriſto Inſtitutionem, accepit. ibidem. Regia tamquam ſpiritus Corpori praeſidet. ibidem. 154. Regiam Poteſtatem non minuit: ſed illi adminiculatur. Ibidem. Cur non ſit à iure naturali, cauſa redditur. ibidem. 156. A Regia poteſtate immunis Patrum teſtimonio demonſtratur. ibidem 163. & ſeq. Duplex ordinis, & iuriſdictionis. ibidem. 167. laicis Magiſtratibus interdicta p. 1. 168. quibus capitibus contineatur. p. 2. 351.

Epiſcopi in Eccleſia à Chriſto inſtituti p. 1. 173. clauorum, ac funiculorum nomine, à Vate indicantur. ibid. 174. eorum in Eccleſia munus, & officium. ibid. 175. eorum ſucceſſio à Deo in Eccleſia ordinata. ibid 173. ſine ijs Eccleſia eſſe non poteſt. Ibid. Eccleſiae Seuatum conſtituunt. Ibid. 176. A Pontifice in partem ſollicitudinis vocantur. Ibid. Ad legitimam eorum ſucceſſionem, quae requirantur. Ibidem 177.

Epiſcopi Apoſtolis in Epiſcopali munere ſuccedunt. p. 1. 178. Ad Eccleſiarum regimen deſtinantur. ibidem. Epiſcopali Iuriſdictione potiri debent. ibidem. 176. 177. A Deo Inſti-

tuti.

Digitized by Google

tuti, vt perpetuæ Eccleſiæ ædificationi incumbant. ibidem. 179 Cum iis vera fidei Doctrina coniuncta: ibid. 178. 179. Perennes in Eccleſia futuri ibid. 179. eorum ſucceſſio perpetua in Eccleſia, pleriſq. Apoſtoli teſtimoniis aſſeritur. ibid. 180. 181. eorũ ſucceſſionem ſectarij impugnantes refelluntur. ibid. 181 Hæc ipſa eorum ſucceſſio diuino iure in Eccleſia inſtituta demonſtratur. Ibid 182. eorum in Eccleſia munus, & officiũ. ibid. 190. legitima ordinatione creantur. ibid. 177. 178.

Epiſcoporum ſucceſſio, quænam legitima ſit, oſtenditur. p. 2. 394. ea ſola in Romana Eccleſia viget. Ibidem 395. eorum vocatio legitima eſt, quæ per os Eccleſiæ peragitur. ibid. 395. Ipſorum aſſumptio, ad Romanum Pontificem ſpectat. ibid. Quænam in his eligendis ratio haberi debeat. ibid. Ab Eccleſia vocati, à Deo vocantur. ibidem. 396. Ipſorum ordinatio quomodo; & à quibus perfici debeat. ibidem. Apud ſectarios nulla. ibidem. 379. Nomen ſolum proteſtantes Anglicani retinẽt, abſq. legitima ordinatione. ibidem.

Epiſcoporum miſſionem, quæ præcedere debeat, explicatur. p. 2. 398. Mittendorum poteſtas apud Romanum Pontificem repoſita aſſeritur. Ibidem. Sectariorum Commentum, de extraordinaria eorum, ac nouorum Apoſtolorum miſſione exploditur. ibidem. 399. Diuitis epulonis exemplo ſuggillatur, ſectarij id aſſerentes. ibidem eorum electio turbis nequaquam permittenda. ibidem. 400. eorum nomen Caluinus cum Presbyteris confundit, nec neutrum approbat. ibidem.

Euchariſtiæ Sacramentum adorandum, contra ſectarios ſtatuitur. p. 2. 257

Extremæ Vnctionis Sacramentum aſſeritur, contra ſectarios p. 2. 258

F

FIdes vera, prius à Deo in orbe ſata, quam hæreſis p. 1. 51. prior in Anglia, & Germania, quam hæreſis floruit. ibidem. 55. Qua ratione vera probanda ſit, & ab Hæreticorum ſectis diſcernenda ibidem 53 Nouitias doctrinas; velut profanas exhorret. ibidem. 52. cum antiqua fide conſpirare debet. ibidem 53. debet eſſe omniũ temporum, locorum, & perſonarum. p. 144. 54. 69. 70. & ſeq. numquam fuit deformata, vt reformari debuerit. ibidem 54 Catholica ſemper fuit. ibidem. eumdem illius ſpiritum habere quid ſit? Ibidem. 70. 71. Ipſius veritas inter diſſidentes doctrinas, non reperitur. ibidem. 76.

Fides integra eſſe debet: vt fides eſſe poſſit. p. 1. 93. Clauda quomodo efficiatur ibidem. ſuis omnibus partibus conſtet, neceſſe eſt. ibidem. 94. Ipſius integritas Apoſtoli Iacobi teſtimonio illuſtratur. Ibidem. 94. Phiſicorum quoque argumento demonſtratur. ibidem. quot modis corrumpatur ibid. Quare integra eſſe debeat explicatur. ibidem. 96. Apud illius integritatis Cuſtodes, vera Religio ex Auguſtino quærenda. ibidem. 96. 97. Ipſius integritas, argumento D. Thomæ confirmatur. Ibidem. 97. 98. Inter pugnantia dogmata, neque vna, neque integra eſſe poteſt. Ibidem. 100.

Fides vna, & integra ſemper in Eccleſia eſſe debet p 1. 36. Reformata vna eſſe non poteſt; ſed multiplex. ibidem. 35. 36. ſtabilis in Orbe ſemper futura. ibidem. 36. Patrum teſtimonijs ipſius ſtabilitas aſtruitur. ibidem 36. 37. vera eſt, quæ vna, & eadem, per omnia orbis tempora ſemper eſt diffuſa; quod latè demonſtratur. ibidem. 44. per tot. Reg. 3. cur Catholica dicatur. Ibidem. 44. Quæ cum antiqua Eccleſiæ fide pugnat, velut hæreſis exhorrenda. ibidem. 45. Antiqua tantum vera agnoſcenda, ibidem. 46. 51. 52. 53. Ab antiqua diſcedentes, à vera fide exciderunt. Ibidem. Ad eam quenam via bona agnoſcenda ſit. ibidem. 47. 48.

Fides perfectam Eccleſiæ ſanctitatem non præſtat. p. 1. 206. 207. Chriſtiana, ab Infidelium ſocietate diſcernit. ibidem. 226. Vera Eccleſiam à ſectis Hæreticorum diſtinguit. ibidem. Sanctificationis dumtaxat initium, ac fundamentum. Ibidem. Abſque operibus mortua, ad ſalutem non prodeſt. ibid. 206. 207. Quo ſenſu Apoſtolus dixerit, ex ea hominem, non ex operibus legis iuſtificari. Ibidem. 207. Abſque legis obſeruantia, homini inutilem eſſe pluribus demonſtratur. ibidem. 207. 208. 210. Quædam Dei vox eſt, quæ ad nuptias vocat. ibidem. 211.

Fides vera Eccleſiæ petra, & fundamentum, ab Apoſtolo aſſeritur. p. 1. 10. Qua ratione Ibidem. Ipſius vnitas neceſſaria demonſtratur. ibidem. Arboris ſimilitudine illuſtratur. ibidem. 10. 11. Ipſius veritas, eiuſdem vnitate demonſtratur. Ibidem. 12. vna à prima orbis natiuitate. p. 1. 8. à Baptiſmo exordium ſumit. ibid. 15. vnam in Baptiſmo confitemur. ibid. vnum ea Eccleſiæ Corpus conſtituitur. ibid. Eſt veræ Religionis ſpiritus quo regitur. Ibidem. 17. 70. 71.

Fidei dogmata, partim ex ſcripto, partim ex non ſcripto Dei verbo. p. 2. 283. 284 Vtraque partem Auctoritatem ſibi vendicant. Ibidem. Ipſius vniuerſalitas, & integritas veræ Religionis Symbolum ſtatuitur. ibidem. 286. qua ratione ea vera comprobetur. ibidem. 287. Romana Eccleſia numquam immutata Ibid. 287. Ipſius in Romana Eccleſia profectus oſtenditur. Ibid. 295. & ſeq. De proceſſione Spiritus ſancti, à filio, dogma, ab Eccleſia non additum, ſed declaratum. ibidem. 296. Ea in Eccleſiæ Capite ruens, totum Corpus ad ruinam prouocat. Ibidem 314. 315. Ea ſola hominem non iuſtificari aſtruitur, teſtimonijs Patrum. Ibidem 382.

Fide ſola, hominem iuſtificari Hæreticum dogma, cum ſcripturis, pugnans p. 1. 117. 118. & ſeq. cunctos ea prælitos, inter electos eſſe computandos, varijs ſcripturis refellitur. ibid. 118. 119. & ſeq. Ea ad Eccleſiæ ſanctitatem, non ſufficit. ibidem. 206. 207.

Filij Dei diuinitas, qualis ab Eccleſia Romana aſſeratur. ibidem p. 2. 373.

G

GAllia quo tempore Chriſtianam fidem amplexata fuerit p. 2. 429. A quibus Chriſtiana fidei præceptis imbuta. ibidem. Regum ipſius erga Roma-

Romanam Eccleſiam, & Pontifices pietas, ac liberalitas. Ibidem. Ludouici XIII. in ea modo regnantis, in Chriſtiana fide propaganda ardor. ibidem. idem cum Iuda Machabæo comparatur. ibidem.

Germania, à quibus viris ad fidem conuerſa. p. 2. 430.

Græcorum aduerſus Romanam Eccleſiam murmur. p. 2. 295.

H

HÆreſes à fidei integritate deſciſcunt. p. 2. 285. Earum Cathalogus deſcribitur: quæ à Romana Eccleſia profligatæ fuerunt. ibidem. 290. 291. & ſeq. vnde potiſſimum ortæ. p. 1. 72.

Hæretici tanquam ſcopæ diſſolutæ. p. 2. 241. In varias ſectarum formas abeunt. ibidem. Eorum proprium in partes ſcindi. ibidem. fidem ſemper ſingularem profitentur. ibidem. 246. Profanis ſemper nouitatibus gaudent. ibidem.

Henricus 8. Angliæ Rex, primus ſchiſma in Anglia aduerſus Pontificem excitauit. p. 1. 166. Ante ſchiſma aduerſus. lutherum ſcriptis pugnauit. ibidem pro primatu Romani Pontificis aduerſus ſectarios decertat. p. 2. 350. Cur ab Eccleſia deſcriuerit. ibidem.

Hiſpania, à quibus Chriſti fide imbuta, p. 2. 428. Catholicorum ipſius Regum erga Chriſtianam fidem, ardor. ibidem. Philippi IV. in ea modo regnantis fidei propaganda zelus. ibidem.

I

IMagines Chriſti, & Sanctorum piè colendas; aduerſus Sectarios ſtatuitur. p. 2. 261.

Imaginum cultus, veteris Eccleſiæ doctrina ſtatuitur. p. 1. 63. Innumera ad eum confirmandum miracula patrata. p. 2. 433. 434.

Imperatorum Hæreticorum in Eccleſiã conatus irritus. p. 2. 288. 289. Catholicorum in aſſerendo Romani Pontificis primatu conſenſus. ibidem 349. 350.

Indulgentiarum vſus in Eccleſia antiquus, ex Apoſtolica traditione aſſeritur. p. 2. 389. & ſeq. Miraculis à Deo comprobatur. ibidem 434.

Intus exiſtens, prohibet extraneum. App. 1. 1.

Ius triplex, naturale, Gentium, & Diuinum. p. 1. 148. Eccleſiaſticum à diuino Iure pendere demonſtratur. ibidem 149.

Iuſtificationis incertitudo pleriſque ſcripturarum teſtimonijs demonſtratur. p. 1. 118. 119. & ſeq. Vnde ortum habeat. ibidem. 121.

L

LEX naturæ ante legem non excludit Ius Gentium, aut Diuinum. p. 1. 156. In ea Sacerdotium olim cum Regno coniunctum. ibidem. 155. à Iure naturali diſtincta. ibidem. 156.

Liberum hominis arbitrium, ad benè, vel malè agendum indifferens, adſtruitur.

con-

contra ſectarios. p. 2. 380.

Liurgias ab Apoſtolis conſcriptas fuiſſe, vetus Eccleſiæ traditio. p. 1. 57.

Locus Euangelij : Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. *à Caluini cauillatione vendicatur*. p. 2. 298. *& ſeq. Eo Petri Principatus inſinuatur*. *ibidem*. 302. *Illum pro Petro vniuerſi Patres exponunt*. *Ibidem* 303. *Alter*. Et tibi dabo Claues, &c. *ab eiuſdem Caluini fraude liberatur*. *ibidem*. 308. 309.

Lutherus quo tempore Eccleſiam oppugnare cœperit. p. 1. 192. *Catholica expulſa, Lutheranam Religionem apud Germanos diſſeminat*. *ibid*. 193. *Antiquam fidem conuellit*. *Ibid*. 193. *Nulla Apoſtolica ſucceſſione tenetur*. *ibid*. 189. *& ſeq. Quibuſnam ſucceſſerit, explicatur*. *Ibidem* 198. *& ſeq.*

Lutherani, lutheranos damnant. p. 1. 88. 89. *& ſeq. Præcipua doctrinarum Capita afferuntur, de quibus inter ſe pugnant*. *ibidem*. 89. 90. *nullam Apoſtolicam ſucceſſionem oſtendere valent* *Ibidem*. 189. *Quibuſnam ſuccedant, fusè explicatur*. *Ibidem* 190. *& ſeq.*

Lutheranorum, & Caluiniſtarum bella explicantur. p. 1. 81. *inter ſe de grauiſſimis fidei dogmatibus certant*. *ibid*. 81. 82. *& ſeq. Alij alios damnant*. *Ibid*. 83. 84. *& ſeq. Eorum fides in partes diſſecta*. p. 2. 285. *Eorum fidei Cõfeſſiones ſæpè mutatæ*. *ibid*. 286.

M

MAgiſtratus laici nullam in ſacros homines poteſtatem habent p. 1. 168. *ijs Eccleſiaſtica omnis poteſtas Iure diuino, & Eccleſiaſtico interdicta*. *ibidem*. 169.

Matrimonium nouæ legis Sacramentum contra Sectarios probatur. p. 2. 259.

Miracula cur Deus in Eccleſia operetur. p. 1. 214. 215. *Diuina ſunt teſtimonia*. *Ibidem*. *Ante Chriſtum multa*. *ibidem*. 215. *Poſt Chriſtum innumera leguntur*. *Ibidem*. *Crebra ad Martyrum memorias, & pulueres*. *ibidem*. *Superuacanea non eſſe, multis oſtenditur*. *Ibidem*. 216. *Eorum patratio inter Spiritus ſancti dona enumeratur*. *Ibidem*. *Quotidie in Eccleſia, Dei virtute fiunt*. *ibidem*. 215. 216. *Ad Dei Maieſtatem declarandam tendunt*. *Ibidem*. 217. *Alia ad vera fidei commendationem fiunt*. *ibidem*. *Plurima in Ægipto à Deo patrata*. *ibidem*. *Hæreſibus ingruentibus, frequentiora à Deo patrari ſolẽt*. *ibidem*. *His plerique Hæretici ad fidem conuerſi*. *Ibidem*, *Sanctorum virorum gloriam, ac ſanctimoniam illuſtrant*. *ibidem fideles in vera dogmatum fide ijs conſtabiliuntur*. *ibidem*. 218. *Eccleſiæ vtilia aſſeruntur*. *ibidem*. *Ea ad Dæmonum præſtigias trahentes ſolidè refelluntur*. *ibidem*. 219. *A Dæmonum præſtigijs longè abſunt*. *ibidem*. 220. *Diuina, ex vſu, fine, & modo quo patrantur, agnoſcuntur*. *ibidem* 221. *Falſa ab Eccleſia reprobantur*. *Ibid*. *Vera, ac diuina, neminem fallunt*. *ibid*. 221. *Veram fidem, ac Religionẽ declarãt*. *Ibid*. 222. *Ad extraordinariam miſſionem comprobandam nèceſſaria*. *Ibidem*. 226.

Miracula, quot potiſsimum de cauſis à Deo fiant. p. 2. 214. 215. p. 2. 432.

In-

Ingentia ad Romanæ Religionis veritatem confirmandam à Deo facta ibidem 433. His ſingula ferè fidei Romanæ Religionis dogmata comprobantur. ibid. 435. Pleraque ab Illuſtriſſimis Romanæ Eccleſiæ viris diuina virtute patrata referuntur. ibidem 435. 436. veram Eccleſiam ab Hæreticorum ſectis diſcernunt. ibidem 437.

Miſſæ ſacrificium impiè à ſectarÿs impugnatur. p. 1. 56. 57. A tota veteris Eccleſiæ antiquitate aſſeritur. ibidem. Scripturarum teſtimonÿs comprobatur. ibid. 56. 57. A Chriſto Domino inſtitutum, probant veteres Patres. ibidem 57. & p. 2. 385. quamplurimis à Deo miraculis confirmatam. ibidem 433.

Monachi cuncta propter Chriſtum relinquentes, ipſius paupertatem imitantur. p. 2. 423. Euangelicum conſilium implent. ibid 422. Imperatores, & Reges nonnulli inter eos recenſentur. ibid. 423. Caſtitatis conſilium amplectuntur. ibid. 426.

Monaſtica vita omnium Patrum ore commendata. p. 2. 264. perfecta Chriſti imaginatione fulget. ibidem. Ab Apoſtolis originem duxit. ibid. 265.

O

OBedientiæ conſilium à Chriſto diſcipulis laudatum. p. 2. 427. Chriſti veram imitationem continet. ibidem. Vera perfectionis Euangelicæ Regula. ibidem.

Ordo nouæ legis Sacramentum aduerſus ſectarios aſſeritur. p. 2. 257. 258.

Opera bona, ac leges obſeruantia, ad ſalutem neceſſaria aſſeruntur contra ſectarios. p. 1. 60. 208. Veteris Eccleſiæ conſenſu confirmantur. ibid. 60. 61. Tum etiam Scripturarum teſtimonÿs. ibid. 206. 207. 208. & p. 2. 382. Facta ab homine iuſtificato, gloriam promerentur. p. 2. 383.

Originalis culpa etiam in reprobis per Baptiſmum tollitur. p. 2. 253. ſectarÿ oppoſitum docentes confutantur. ibidem 253. 254. Qui ipſius reatum, ac damnationem in reprobis manere poſt Baptiſmum ſentiunt, reprobantur. ibid. 254. 255.

P

PAſtor apud ſcripturas poteſtatem indicat p. 2. 317. Caluinus eum ad ſolum docendi munus contrahens, refellitur. Ibidem, non tantum docet; ſed etiam regit poteſtate. Ibid. 318. A Doctoribus, ab Apoſtolo diſtinguitur. Ibidem. Patrum teſtimonÿs ipſius poteſtas aſſeritur. Ibidem. 318. 319 nomen eſt muneris ordinarÿ. Ibidem. 333.

Paſtores à Chriſto in Eccleſia perpetuo inſtituti. p. 2. 333. Eorum munus ab Apoſtolo declaratur. Ibidem. Ex eorum legitima ſucceſſione vera Eccleſiæ doctrina probatur. Ibidem. 368. Eorum ſucceſſio ſemper vera doctrinæ coniuncta. Ibidem. 369.

Paſtoris vnius in Eccleſia neceſſitas ratione euincitur p. 2. 254.

Paſtorum ſucceſſio in Eccleſia neceſſaria aſſeritur. p. 1. 172. 173. & p. 2. 356. 368. Abſq. illa Eccleſia eſſe

non poteſt. p. 2. 370. inter legitimas veræ Eccleſiæ notas reponenda. Ibidem. 369. 370. ſemper cum vera doctrina coniuncta. Ibidem. Ab ea vera Eccleſiæ doctrina manat. Ibid. 370 à Domino in Eccleſia inſtituta. Ibidem. 371.

Paulo Euangelium Præputij, quo ſenſu creditus fuerit, explicatur. p. 2. 316.

Paupertatis Conſilium Apoſtolicæ perfectionis Regula. p. 2. 422. diligentiſſime in Romana Eccleſia cuſtoditur. Ibidem. Imperatorum, ac Regum Cathalogus texitur, qui illud amplexi fuere. Ibidem. 423.

Pœnitentiæ ſacramento peccata deleri, & ipſius inſtitutio diuina comprobatur parte 2. 259. Singularis peccatorum Confeſsio in eo neceſſaria aſſeritur. Ibidem. 259. 260. lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium. p. 1. 59. A Sectarijs reijcitur Ibidem. Antiquorum Patrum teſtimonijs roboratur. Ibidem. 59. 60.

Petrus Eccleſiæ petra, ex illis Matthæi verbis. Tu es Petrus, & ſuper hanc petrām &c. aſſeritur. p. 1. 26. 27. In eo velut in capite totius Eccleſiæ fides munitur. ibidem. 27. 28. Pro illius fide tantum Chriſtus orat, vt eum Eccleſiæ caput eſſe demonſtret. ibidem. 30. 31. Pro eo Lucæ locus. Simon ecce Satanas expetiuit vt &c. diligenter expenditur ibidem. 31. & 134. In eo tota Eccleſia continebatur. ibidem. In eo infallibile veritatis magiſterium à Chriſto inſtitutum aſſeritur. ibidem 32. Pro quo expenduntur illa Lucæ verba. Confirma fratres tuos ibidem. Viſibile Eccleſiæ Caput aſſeritur teſtimonijs Patrum. ibidem. 65. Eccleſiæ Caput à Chriſto inſtitutus. ibidem. 132. 133. & ſeq. ſuper eum Eccleſiam ædificari, quid ſit. ibidem. 133. Eidem Claues Regni Cœlorum traduntur. ibidem.

Petrus viſibile Eccleſiæ caput à Chriſto inſtitutus aſſeritur p. 1. 132. 133. Eccleſiæ Claues à Chriſto accepit. ibidem. 133. Eccleſia fundamentum diuerſimodè ab Apoſtolis nuncupatur. ibidem 134. Totius Eccleſiæ Paſtor à Chriſto inſtitutus. ibidem. Tamquam Chriſti Vicarius Eccleſiam adminiſtrauit. ibidem. 138. Cauſæ exarantur, cur viſibile Eccleſiæ Caput inſtitutus fuerit. ibid. 138. 139. 140.

Petrus Eccleſiæ Paſtor à Chriſto inſtitutus aſſeritur. p. 2. 297. & per tot. Conc. 5. Ipſius Monarchia in Eccleſia perennis. ibid. 298. Eadem rationibus, ex Scriptura depromptis demonſtratur. ibidem. 299. & ſeq. Eccleſiæ petra, & fundamentum contra Caluinum aſſeritur. Ibid. 298. & 299. Ipſius Principatus ex illis Euangelij verbis. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. adſtruitur. ibidem 299. 300. Inſulſus Caluini horum verborum ſenſus reijcitur. ibid. 300. Auguſtinus hunc locum exponens, Caluino eripitur. ibidem. 300. 301. Quum à Chriſto Cephas appellatur, Eccleſiæ Caput, ac fundamentum deſignatur. ibidem. 302. Quo ſenſu Eccleſiæ petra, & fundamentum à Chriſto nuncupatur. ibidem. 303. 304. 305. Suprema in eo poteſtas ea nuncupatione deſignatur. ibidem. Quo ſenſu Claues Eccleſiæ à Chriſto illi tra-

Digitized by Google

traditæ fuerint. Explicatur. Ibidem. 306. In eo eſſe Eccleſiæ ſacramentum, quo ſenſu Auguſtinus dixerit, Ibid. 309. 310. Propter primatum ex Auguſtino Eccleſiæ figuram geſſit. Ibidem. 310. 311. Eccleſiam totam, vt Princeps in ſe ipſo continuit Ibidem. 311. 314. Cur Chriſtus pro illius tantum fide orauerit, cauſa exprimitur. Ibidem. 314. Eidem fidei magiſterium à Domino commendatur. Ib. 315. 316.

Petro Apoſtolatum circumciſionis commiſſum fuiſſe, quo pacto intelligi debeat. p. 2. 325. Is tertio Claudij anno Ieroſolymam rediit. Ibid. 329. varias Eccleſias inſtituit. Ibid. Succeſſor ex Chriſti inſtitutione debetur. Ibid. 331. Eidem Romanus Pontifex in tota poteſtatis plenitudine ſuccedit. Ibid. 331. Huius ſucceſſionis neceſſitas declaratur. Ibidem 334.

Petrus Romanus Epiſcopus fuit. p. 2. 336. Antiochenam Eccleſiam, Deo iubente in Romanam commutauit. Ibid. Romanam ſedem ad Papalem dignitatem extulit. Ibid. Ipſius ſucceſſor, vrbis ſimul, & orbis eſt Pontifex. Ibid. Ipſius ſucceſſio in Romanæ Eccleſiæ Pontificibus à Deo ordinata. Ibid. 337. 338. Eccleſiæ claues in ſucceſſores Pontifices transfundendas accepit. Ibidem 338. eidem ſucceſſio tribuenda. Ibid. 339. Ipſius ſucceſſionem conuellere, quam cauendum ſit. Ibid. 334. Caluinus ſucceſſionem illius impugnans refellitur. Ibid. 335. Circa illum à Chriſto facta, ad Romanam Pontificem transierunt Ibid. 341. pro ſe, & Romanis Pontificibus, Pontificiã dignitatẽ obtinuit. Ib. 366.

Petrus Orbis terrarum Magiſter. p. 2. 316. Vniuerſas Chriſti oues paſcendas ſuſcipere: quid ſit, explicatur. Ibidem 316. 317. eam in paſcẽdis ouibus poteſtatem accepit, quam Chriſtus exercuit. Ibidem 318. Eccleſiæ poſt Chriſtum Paſtor conſtituitur. Ibid. 319. Chriſto in principatu ſuccedit. Ibidem. Ipſius in Eccleſia principatus, Patrum teſtimonijs confirmatur. Ibidem 319. 320. Romanam Eccleſiam fundauit. p. 2. 320. Romæ vnà cum B. Paulo Apoſtolo diem poſtremũ martyrio obijt. Ibid. Antiochenam prius Eccleſiam fundauit, & ſeptennio rexit. Ibidem 321. ſub Claudio ad Romanam Vrbem acceſſit. Ibid. 322. ſub Nerone paſſus fuit. Ibidem 322. 323. Sub Agrippa Præfecto Vrbis Romæ crucifixus. Ibid. 323. Romanũ Epiſcopatum vij intiquinq; annorum ſpatio adminiſtrauit. Ibid. 324. Caluini id negantis ineptiæ refelluntur. Ibid. 324. 325. & ſeq. Patrum teſtimonijs confirmatur. Ibid 326.

Pontifex, quis dicatur. p. 2. 413. abſque ſacerdotibus eſſe non poteſt. Ibidem, mutua inter eum, & ſacerdotes relatio oſtenditur. Ibid. Ipſius munus eſt, offerre dona, & ſacrificia Deo pro peccatis. Ibid 414.

Pontificum Romanorum ſucceſſio Eccleſiæ neceſſaria aſſeritur. p. 1. 282. Diuino iure inſtituta plerisq; ſcripturarum teſtimonijs demonſtratur. Ibidem 183. 184. varijs rationibus comprobatur. Ibid. 185. Ea ſublata vera fides, ac Religio interiret. Ibid. 183. Ex ea Eccleſiæ ædificatio pendet. Ibid. Ab ea vera fides expectanda. Ibid. 184.

In Petro exorſa. Ibidem. A ſectarijs perperā impugnatur. Ibid. 181. 187. Qui illam in ſua Eccleſia oſtendere nequeunt, in vera Eccleſia non ſunt. Ibidem 186.

Praeceptorum diuinorum obſeruantia cunctis neceſſaria par. 2 419 primus ſanctitatis gradus aſſeritur. ibid.

Praedeſtinationis certitudo à ſectarijs cõfecta; quot errores pariat. p 1. 118. Varijs ſcripturarū teſtimonijs reijcitur. ibid. 119. 120. Nullibi apud ſectarios ſubſiſtit, cum alij alios damnent. ibid. 121. 122. 123.

Presbyterorum ſucceſſio in Eccleſia à Chriſto inſtituta demonſtratur. p. 2. 400. Perpetua in Eccleſia futura ibidē 401. Ordinatione à legitimo Epiſcopo facta peragitur. ibid. Solam in Romana Eccleſia vigere oſtenditur. ibid. 402. Horum munera in Eccleſia explicantur. ibid. 402. 403. Eorum dignitas quanta ſit, declaratur. ibid. 403. Solis Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti conficere, & alia Sacramenta adminiſtrare datū. ibid. 404. Horum munera ex diuina inſtitutione manant. ibid. 405.

Principum, ac Regum poteſtas à Deo. p. 2. 420. Quid de ea ſentiāt, vel ſcribant ſectarij. ibid 421. Eorum qui caſtè vixerunt, Cathalogus texitur. ibid. 426.

Purgatorium Patrum teſtimonijs aſſeritur. p. 1. 62. & p. 2. 388 multis à Deo miraculis confirmatur. p. 2. 434.

R

Religio vera vna; & Catholica eſſe debet p. 1. 8. Vna ab Apoſtolis praedicata. ibid. 8. 9. Vna de fide credenda. ibid. 9. Danielis lapide ſignificata ibid. Illam multiplicantes Chriſti Regnum praeſcindunt. ibid. In vera fide fundatur. ibid. Ab Iſaia cum angulari lapide comparatur. ibid. Domus comparatione illuſtratur. ibid. 11. Super vnius fidei fundamentum aedificatur. ibid 10. 11. Fidelium multitudine cōſtituitur. ibid. 11. Cum maximo quodam animante comparatur. ibid. 12 Extra illam Deus piè nec colitur nec adoratur. par. 1. 8. Nemini extra ipſam ad ſalutem aditus. ibidem. Vna fide, vna ſpe, vna Sacramentorū ac fidelium communione conſtat. Ibidem 13.

Religio vera numquam intermortua fuit; quod fusè probatur. p. 1. reg. 2. per tot. 26. Ipſius fides immobilis, & inconcuſſa. ibidem 28. 29. A vera fide nūquam excidere poſſe, pluribus ſcripturarum teſtimonijs probatur. ibid. 28. 29 30. & ſeq. In Chriſto fundata ruere non poteſt. ibidem 28. Cum domo Euangelica comparatur, quae aedificata eſt ſupra petram. ibidem. Aduerſus illam inferi portae praeualere nūquā poſſunt. ibid. 28. 29. Pro illius fide Chriſtus orauit: vt perpetuò ſit ſtabilis. ibid 30. In ea infallibile veritatis magiſterium, à Chriſto inſtitutum. ibid. 32. In fide errare non

poteſt

poteſt; quia Spiritus Sanctus perpetuus, ac indiuiduus eſt ipſius comes. Ibidem. 33. Pro ea expenduntur nonnulla ſcripturarum teſtimonia. Ibidē. 33. 34. In fide Chriſto eſt deſponſata. Ibidem 34. Columna, & firmamentū veritatis ex Apoſtolo aſſeritur. Ibidem. Ex quo à Chriſto fundata, ſemper in Orbe floruit. Ibidem 35. Reformata vna eſſe nō poteſt; ſed multiplex. Ibidem 35. In fidei conceſſione quærenda. Ibidem. 76. Apud ſectarios inter ſe, & cum antiqua fide pugnantes, inueniri non poteſt. Ibidem.

Religio cur vna tantum eſſe debeat, varijs ſcripturarum teſtimonijs, ac rationibus demonſtratur. p. 1 8 per tot. Ipſius vnitas, Apoſtoli teſtimonio roboratur. Ibidem 14. p. 2. 232. vnitatis ipſius cauſæ referuntur. Ibidem Vnus Dominus, vna fides, vnū Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium, Religionis vnitatem conſtituunt. Ibidem. vnica Chriſti Sponſa, & vnum Corpus. Ibidem. & p. 2. 232. Extra illam geniti, Chriſti filij eſſe non poſſunt; ſed adulterini, cenſendi. Ibidem. A vera Religione preſcinditur, qui ab vnico illius corpore ſeparatur. Ibidē. 15. Ideo vna, quia vna fides. Ibid. quia vnū Baptiſma, in quo omnes in vno fidei ſpiritu in vnū corpus baptizamur. ibid. 15. 16. Ab vno fidei ſpiritu regitur. Ibid. 70. 71. Ipſius vnitas à ſectarijs conficta reijcitur. p. 2. 232.

Religio vera non poteſt eſſe multiplex. p. 1. 13. 14. 15. 16. 17. 24. Humani corporis comparatione illuſtratur. Ibidē. vno fidei ſpiritu regitur. Ibidē. 17. Dei Regnum, Ciuitas, & Reſpublica. Ibidem. 20. vno viſibili Capite, & Rectore conſtat. Ibidem. Si multiplex eſſet, quot abſurda ſequerentur, declaratur. Ibidē. 13. 17. 18. 22. 23. Apud ſectas reperiri non poteſt. Ibidem. 23. refellutur, qui plures Religiones aquè veras eſſe contendunt. Ibidem. 23. 24. Quænā incōmoda, & abſurda hanc poſitionē ſequantur, explicatur. Ibidem.

Religionum pluralitas monſtruoſa oſtenditur. p. 1. 12. Quam grauia illam abſurda ſequantur. Ibidem. 13. 17. 18. Quā tumultuoſa ſit, explicatur. Ibid. Vnde exordiū ſumpſerit. ibid. 18. 19. Apud ſectarios viget. Ibid. 18. 19.

Religionem veram inquirenti, Heretico, vel infidelis, omnis Religio ſuſpecta eſſe debet. App. 1. 3.

Religione vera ſublata, nulla Beatæ vitæ ſpes relinquitur. App. 2. 2. ea ſola ad Deum accedimus, ac beamur. Ibidē. Ad eam naturali appetitu ferimur. ibidem. Illa ſuper omnia optāda. ibidem. Ea quā ſollicitè quærenda. App. 2. 3. Ipſius cupiditas honeſta vitæ ratione fouenda. App. 3. 4. Illam oratio procedere debet, vt illius lux menti effulgeat. App. 4. 5. In ea indaganda, & aſſequenda S. Auguſtini conſilium. Ibid. Ea rebus omnibus præferenda. App. 5. 6. Ad amplectendam exhortatio. Ibid.

Religioſi cuncta propter Chriſtum relinquentes, ipſius paupertatem imitantur. p. 2. 423. Euangelicum conſilium implent. Ibid. 422. Imperatores, ac Reges nonnulli, inter hos recenſentur. ibid. 423. caſtitatis conſilium obſeruant. ibid. 426.

Reges, & Principes ab Eccleſiaſtica poteſtate

teſtate abſtinere debent. p. 1. 150. 151. Eorum poteſtas à iure gentium orta. Ibid. 151. 152. Quinam vſus, ac finis eorum poteſtatis ſit, declaratur. Ibid. Nullam in ſacros homines iuriſdictionem acceperunt. Ibid. In ordine ouiũ, ac membrorum collocantur in Eccleſia. Ibid. 155. Oziæ exemplo à diuinis miniſterijs deterrentur. Ibid. 157. His in rebus temporalibus parẽdum. Ibid. 158. Ad Politicam tantum poteſtatem vocantur. Ibid. 159. Inter Eccleſiæ miniſtros, minimè ab Apoſtolo recenſentur. Ibidem 160. Nullo titulo Eccleſiæ poteſtatem ſibi vſurpare poſſunt. Ibid. 166. 167.

Regia poteſtas ex iure gentium orta probatur. p. 1. 152. In Hæbreo populo à Deo confirmata. Ibid. 152. Eccleſiaſtica poteſtate minor. Ibid. 151. 153. 154. Vtriuſque, & Regiæ, & Eccleſiaſticæ poteſtatis finis exaratur. Ibid. 153. 154. Non eſt à iure naturali, tametſi cum Sacerdotio olim in lege naturæ coniuncta fuerit. ibid. 155.

Reliquiæ Sanctorum religioſè colendæ. p. 2. 263. Antiquos Patres propugnatores habent. Ibid. cur ijs honor habendus. 264.

Reliquiarum cultus, ac veneratio, miraculis comprobatur. p. 2. 434.

Romana fides, ac Religio hæreſes omnes anteceſſit. p. 2. 265. Ab ea hæreſes omnes, velut de vite ſarmenta inutilia prodierunt. Ibidem. Contra hæreſes omnes pugnauit, ac eas debellauit. Ibid. Ab illius doctrina Hæretici omnes exciderunt. Ibid. 266. Sola Catholica. Ibid. 270. Duces habet Apoſtolos, Euangeliſtas, & Doctores. Ibid. 266. 267. Gentium, ac locorum omnium conſenſionem ſibi vendicat. Ibid. 267. & ſeq. Idem ſemper vbiq; docuit, & docet. Ibidem. Chriſti promiſſo ſemper immutabilis futura. Ibidem 268. Ab ea cæteræ Eccleſiæ fidei regulas ſemper acceperunt. Ibid. 268. 269. In dubijs fidei rebus ea ſemper conſulta. Ibidem 270 Magiſtra omnium Eccleſiarum. Ibid. 271. Eadem vbique ab omnibus orbis Eccleſijs colitur. Ibid. 272. Populorum omnium cõſenſione admirabilis aſſeritur. Ibid. 273. Cum ea totius orbis conſenſus. ibidem 274. Orthodoxæ fidei teſſera. ibidem 274. Illam cuncta Generalia, ac Prouincialia Concilia, ſolam docent, ac tradunt. ibid. 275. Quo ſenſu vniuerſalis, ac Catholica dicatur. Ibid. 278. Integra ſemper, & incorrupta aſſeritur. ibidem 281. & ſeq Ex perfecta illius integritate, vera oſtenditur. ibid. Perpetua ipſius integritas demonſtratur. ibid. 290. Hæreſes omnes extinxit. Ibid Hæreticorum cathalogus deſcribitur, qui ab ea effugati fuere. ibid. 290. & ſeq Auroræ cõparatur, ob profectum fidei. ib. 295.

Romana Religio, ſola vera in Orbe Religio aſſeritur. p. 2. 231. Sola Religionis vnitatem retinet. ibid. 231. 235. & ſeq. ſola Chriſti corpus demonſtratur, ex Apoſtolo. ibid. 235. In Petro à Chriſto fundata. ibidem. à ſectarijs oppetitur. ibidem 236. Chriſto indiſſolubili connubio copulata aſſeritur. ibidem 237. perpetuo ſtabilis, & immota. ibid. Tempore Apoſtolorum à Chriſto defeciſſe ſectarij comminiſcuntur, & refelluntur. ibid. 238. 239.

Digitized by Google

239. Sola contra Hæreticos emergentes pugnauit. Ibid. Eadem martyres, & Doctores peperit. ibid. 237. 238. Inocciduam fidei veritatem ſeruat. ibidem 239 perfectam Chriſti corporis vnitatem tenet. ibid. 240. numquam in ſectas diſſecta. ibidem. Arrianorum furores paſſa numquam ceſſit. Ibidem. Regnum illud Danielis eſt, quod non corrumpitur. Ibidem 247.

Romana Eccleſia ſub typo Ieruſalem ab Iſaia prænunciata. p 2.416. ſola vera ſanctimonia illuſtratur. ibid. 417. Cum Ieſſe Regione comparatur. ibidem, Perpetua ipſius ſanctimonia oſtenditur. Ibidem 418 419 & ſeq. Sancta ab Apoſtolis nuncupatur. ibidem 417. Diuinorum mandatorum obſeruantiam amplectitur, ac fidelibus inculcat. Ibid 419. obedientiam Regibus, ac Principibus deberi docet. Ibid. In ea altiſſimæ virtutum exercitationes. ibid. 419. 420. Diuinorum conſiliorum obſeruantiam profitetur. ibid. 421. Perfecta Chriſti imitatione illuſtris. ibidem 424. In ea præclara Euāgelicæ perfectionis exempla elucent Ibid. 427. Ipſius in fide Chriſti per orbem propagāda ardor ibid. 428. In ea viri charitate præſtantiſſimi. ibid. 431. Triginta, & amplius Pontifices martyres oſtendit. ibid. 432. Innumeros Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Regulares martyrio obtruncatos exerit. ibidem. Diuinorum miraculorum gloria fulget. ibid. 433.

Romana Eccleſia à Chriſto cæteris Eccleſijs antelata. p. 2. 336. 337. In ea Pontificum ſucceſſio diuino iure inſtituta. ibid. 337. Maxima, & antiquiſſima. ibid. 344. Petri Cathedra. ibid. 345. omnium Eccleſiarum matrix. ibidem. In ea tantum Apoſtolica ſucceſſio emicat. ibid. 355. 356. & ſeq. numquam à vera, & Apoſtolica doctrina exorbitauit. ibid. 371. In ea veræ, & Apoſtolicæ doctrinæ ſucceſſio hactenus ſeruata fusè demonſtratur. ibid. 371. 372. & ſeq. ex ſanctimonia, & miraculis vera demonſtratur. Ibid 415.

Romana Eccleſia neceſſariam capitis viſibilis vnitatem retinet. p 2. 241. Primatum in alias Eccleſias gerit. ibid. 242. fidei vnitatem, ac veritatem ſeruat. ibidem 243. Ipſius fides ſemper vbique eadem, & vniformis. ibid. 244. cur ſola Catholica olim, & etiam nunc appellata. ibid. 244. 245. 247. Catholicæ agnomen ab Apoſtolis tulit. ibid. Perpetuum Hæreticis bellum indixit. ibid. 246. Ipſius fides antiqua Apoſtolica, & vniuerſalis. Ibid. 246. 247. & ſeq Catholicæ fidei perennis magiſtra. ibid. 247. A noua, & ſingulari fide ſemper abhorruit. ibid. 248. Singularem fidem in Hæreticis perſequitur. ibid. 250. Semper olim contra Hæreſes pugnauit. ibid. 249. 250. In tradendis fidei rebus, quo conſilio vtatur. ibid. 251. Catholicam, & vniuerſalem fidem docet. ibidem. Ipſius fides ſola Apoſtolica. ibid. 252. cum antiqua prorſus conſpirat. ibid. Catholicam omnium temporum fidem docere demonſtratur. ibidem 253.

Romana Eccleſia, cur Catholica, & vniuerſalis dicatur. p. 2. 278. cunctas Orbis Eccleſias non abſorbet. ibidem.

neque.

Fides vna, & integra ſemper in Eccleſia eſſe debet p. 1. 36. Reformata vna eſſe non poteſt; ſed multiplex ibidem. 35. 36. ſtabilis in Orbe ſemper futura. ibidem. 36. Patrum teſtimonijs ipſius ſtabilitas aſtruitur. ibidem 36. 37. vera eſt, quæ vna, & eadem, per omnia orbis tempora ſemper eſt diffuſa; quod latè demonſtratur. ibidem. 44. per tot. Reg. 3. cur Catholica dicatur. Ibidem. 44. Quæ cum antiqua Eccleſiæ fide pugnat, velut hæreſis exhorrenda. ibidem. 45. Antiqua tantum vera agnoſcenda, ibidem. 46. 51. 52. 53. Ab antiqua diſcedentes, à vera fide exciderunt. Ibidem. Ad eam quenam via bona agnoſcenda ſit. ibidem. 47. 48.

Fides perfectam Eccleſiæ ſanctitatem non præſtat. p. 1. 206. 207. Chriſtiana, ab Infidelium ſocietate diſcernit. ibidem. 226. Vera Eccleſiam à ſectis Hæreticorum diſtinguit. ibidem. Sanctificationis dumtaxat initium, ac fundamentum. Ibidem. Abſque operibus mortua, ad ſalutem non prodeſt. ibid. 206. 207. Quo ſenſu Apoſtolus dixerit, ex ea hominem, non ex operibus legis iuſtificari. Ibidem. 207. Abſque legis obſeruantia, homini inutilem eſſe pluribus demonſtratur. ibidem. 207. 208. 210. Quædam Dei vox eſt, quæ ad nuptias vocat. ibidem. 211.

Fides vera Eccleſiæ petra, & fundamentum, ab Apoſtolo aſſeritur. p. 1. 10. Qua ratione Ibidem. Ipſius vnitas neceſſaria demonſtratur. ibidem. Arboris ſimilitudine illuſtratur. ibidem. 10. 11. Ipſius veritas, eiuſdem vnitate demonſtratur. Ibidem. 12. vna à prima orbis natiuitate. p. 1. 8. à Baptiſmo exordium ſumit. ibid. 15. vnam in Baptiſmo confitemur. ibid. vnum ea Eccleſiæ Corpus conſtituitur. ibid. Eſt vera Religionis ſpiritus quo regitur. Ibidem. 17. 70. 71.

Fidei dogmata, partim ex ſcripto, partim ex non ſcripto Dei verbo. p. 2. 283. 284. Vtraque partem Auctoritatem ſibi vendicant. Ibidem. Ipſius vniuerſalitas, & integritas veræ Religionis Symbolum ſtatuitur. ibidem. 286. qua ratione ea vera comprobetur. ibidem. 287. Romanæ Eccleſiæ numquam immutata Ibid. 287. Ipſius in Romana Eccleſia profectus oſtenditur. Ibid. 295. & ſeq. De proceſſione Spiritus ſancti, à filio, dogma, ab Eccleſia non additum, ſed declaratum. ibidem. 296. Ea in Eccleſia Capite ruens, totum Corpus ad ruinam prouocat. Ibidem 314. 315. Ea ſola hominem non iuſtificari aſtruitur, teſtimonijs Patrum. Ibidem 382.

Fide ſola, hominem iuſtificari Hæreticum dogma, cum ſcripturis, pugnans p. 1. 117. 118. & ſeq. cunctos ea præditos, inter electos eſſe computandos, varijs ſcripturis refellitur. ibid. 118. 119. & ſeq. Ea ad Eccleſiæ ſanctitatem, non ſufficit. ibidem. 206. 207.

Filij Dei diuinitas, qualis ab Eccleſia Romana aſſeratur. ibidem p. 2. 373.

G

GAllia quo tempore Chriſtianam fidem amplexata fuerit p. 2. 429. A quibus Chriſtianæ fidei præceptis imbuta. ibidem. Regum ipſius erga

Roma

Romanam Eccleſiam; & Pontifices pietas, ac liberalitas. Ibidem. Ludouici XIII. in ea modo regnantis, in Chriſtiana fide propaganda ardor. ibidem. idem cum Iuda Machabeo comparatur. ibidem.

Germania, à quibus viris ad fidem conuerſa. p. 2. 430.

Græcorum aduerſus Romanam Eccleſiam murmur. p. 2. 295.

H

HÆreſes à fidei integritate deſciſcunt. p. 2. 285. Earum Cathalogus deſcribitur: quæ à Romana Eccleſia profligatæ fuerunt. ibidem. 290. 291. & ſeq. Vnde potiſſimum ortæ. p. 1. 72.

Hæretici tanquam ſcopæ diſſolutæ. p. 2. 241. In varias ſectarum formas abeunt. ibidem. Eorum proprium in partes ſcindi. ibidem. fidem ſemper ſingularem profitentur. ibidem. 246. Profanis ſemper nouitatibus gaudent. ibidem.

Henricus 8. Angliæ Rex, primus ſchiſma in Anglia aduerſus Pontificem excitauit. p. 1. 166. Ante ſchiſma aduerſus Lutherum ſcriptis pugnauit. ibidem pro primatu Romani Pontificis aduerſus ſectarios decertat. p. 2. 350. Cur ab Eccleſia deſciuerit. ibidem.

Hiſpania, à quibus Chriſti fide imbuta, p. 2. 428. Catholicorum ipſius Regum erga Chriſtianam fidem, ardor. ibidem. Philippi IV. in ea modo regnantis fidei propaganda zelus. ibidem.

I

IMagines Chriſti, & Sanctorum piè colendas; aduerſus Sectarios ſtatuitur. p. 2. 261.

Imaginum cultus, veteris Eccleſiæ doctrina ſtatuitur. p. 1. 63. Innumera ad eum confirmandum miracula patrata. p. 2. 433. 434.

Imperatorum Hæreticorum in Eccleſiã conatus irritus. p. 2. 288. 289. Catholicorum in aſſerendo Romani Pontificis primatu conſenſus. ibidem 349. 350.

Indulgentiarum vſus in Eccleſia antiquus, ex Apoſtolica traditione aſſeritur. p. 2. 389. & ſeq. Miraculis à Deo comprobatur. ibidem 434.

Intus exiſtens, prohibet extraneum. App. 1. 1.

Ius triplex, naturale, Gentium, & Diuinum. p. 1. 148. Eccleſiaſticum à diuino Iure pendere demonſtratur. ibidem 149.

Iuſtificationis incertitudo pleriſque ſcripturarum teſtimonijs demonſtratur. p. 1. 118. 119. & ſeq. Vnde ortum habeat. ibidem. 121.

L

LEx naturæ ante legem non excludit Ius Gentium, aut Diuinum. p. 1. 156. In ea Sacerdotium olim cum Regno coniunctum. ibidem. 155. à Iure naturali diſtincta. ibidem. 156.

Liberum hominis arbitrium, ad benè, vel malè agendum indifferens, adſtruitur.

contra ſectarios. p. 2. 380.

Liturgias ab Apoſtolis conſcriptas fuiſſe, vetus Eccleſiæ traditio. p. 1. 57.

Locus Euangelij: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. *à Caluini cauillatione vendicatur. p.* 2. 298. *& ſeq. Eo Petri Principatus inſinuatur. ibidem.* 302. *Illum pro Petro vniuerſi Patres exponunt. Ibidem* 303. *Alter*. Et tibi dabo Claues, &c. *ab eiuſdem Caluini fraude liberatur. ibidem.* 308. 309.

Lutherus quo tempore Eccleſiam oppugnare cœperit. p. 1. 192. *Catholica expulſa, Lutheranam Religionem apud Germanos diſſeminat. ibid.* 193. *Antiquam fidem conuellit. Ibid.* 193. *Nulla Apoſtolica ſucceſſione tenetur. ibid.* 189. *& ſeq. Quibuſnam ſucceſſerit, explicatur. Ibidem* 198. *& ſeq.*

Lutherani, lutheranos damnant. p. 1. 88. 89. *& ſeq. Præcipua doctrinarum Capita afferuntur, de quibus inter ſe pugnant. ibidem.* 89. 90. *nullam Apoſtolicam ſucceſſionem oſtendere valent Ibidem.* 189. *Quibuſnam ſuccedant, fusè explicatur. Ibidem* 190. *& ſeq.*

Lutheranorum, & Caluiniſtarum bella explicantur. p. 1. 81. *inter ſe de grauiſſimis fidei dogmatibus certant. ibid.* 81. 82. *& ſeq. Alij alios damnant. Ibid.* 83. 84. *& ſeq. Eorum fides in partes diſſecta. p.* 2. 285. *Eorum fidei Cõfeſſiones ſæpè mutatæ. ibid.* 286.

M

M*Agiſtratus laici nullam in ſacros homines poteſtatem habent p.* 1. 168. *ijs Eccleſiaſtica omnis poteſtas Iure diuino, & Eccleſiaſtico interdicta. ibidem.* 169.

Matrimonium nouæ legis Sacramentum contra Sectarios probatur. p. 2. 259.

Miracula cur Deus in Eccleſia operetur. p. 1. 214. 215. *Diuina ſunt teſtimonia. Ibidem. Ante Chriſtum multa. ibidem.* 215. *Poſt Chriſtum innumera leguntur. Ibidem. Crebra ad Martyrum memorias, & pulueres. ibidem. Superuacanea non eſſe, multis oſtenditur. Ibidem.* 216. *Eorum patratio inter Spiritus ſancti dona enumeratur. Ibidem. Quotidie in Eccleſia, Dei virtute fiunt. ibidem.* 215. 216. *Ad Dei Maieſtatem declarandam tendunt. Ibidem.* 217. *Alia ad vera fidei commendationem fiunt. ibidem. Plurima in Aegipto à Deo patrata. ibidem. Hæreſibus ingruentibus, frequentiora à Deo patrari ſolēt. ibidem. His plerique Hæretici ad fidem conuerſi. Ibidem, Sanctorum virorum gloriam, ac ſanctimoniam illuſtrant. ibidem fideles in vera dogmatum fide ijs conſtabiliuntur. ibidem.* 218. *Eccleſiæ vtilia aſſeruntur. ibidem. Ea ad Dæmonum præſtigias trahentes ſolidè refelluntur. ibidem.* 219. *A Dæmonum præſtigijs longè abſunt. ibidem.* 220. *Diuina, ex vſu, fine, & modo quo patrantur, agnoſcuntur. ibidem* 221. *Falſa ab Eccleſia reprobantur. Ibid. Vera, ac diuina, neminem fallunt. ibid.* 221. *Veram fidem, ac Religionē declarāt. Ibid.* 222. *Ad extraordinariam miſſionem comprobandam neceſſaria. Ibidem.* 226.

Miracula, quot potiſsimum de cauſis à Deo fiant. p. 2. 214. 215. *p.* 2. 432.

Ingentia ad Romanæ Religionis veritatem confirmandam à Deo facta ibidem 433. His ſingula ferè fidei Romanæ Religionis dogmata comprobantur. ibid.435. Pleraque ab Illuſtriſſimis Romanæ Eccleſiæ viris diuina virtute patrata referuntur. ibidem 435. 436. veram Eccleſiam ab Hæreticorum ſectis diſcernunt. ibidem 437.

Miſſæ ſacrificium impiè à ſectarijs impugnatur. p.1. 56.57. A tota veteris Eccleſiæ antiquitate aſſeritur. ibidem. Scripturarum teſtimonijs comprobatur. ibid. 56. 57. A Chriſto Domino inſtitutum, probant veteres Patres. ibidem 57. & p. 2. 385. quamplurimis à Deo miraculis confirmatam. ibidem 433.

Monachi cuncta propter Chriſtum relinquentes, ipſius paupertatem imitantur. p.2. 423. Euangelicum conſilium implent.ibid 422. Imperatores, & Reges nonnulli inter eos recenſentur. ibid.423. Caſtitatis conſilium amplectuntur. ibid.426.

Monaſtica vita omnium Patrum ore commendata. p.2.264. perfecta Chriſti imaginatione fulget. ibidem. Ab Apoſtolis originem duxit. ibid. 265.

O

Obedientiæ conſilium à Chriſto diſcipulis laudatum. p. 2. 427. Chriſti veram imitationem continet. ibidem. Veræ perfectionis Euangelicæ Regula. ibidem.

Ordo nouæ legis Sacramentum aduerſus ſectarios aſſeritur. p.2. 257. 258.

Opera bona, ac leges obſeruantiæ, ad ſalutem neceſſaria aſſeruntur contra ſectarios. p. 1. 60. 208. Veteris Eccleſiæ conſenſu confirmantur. ibid. 60. 61. Tum etiam Scripturarum teſtimonijs. ibid. 206. 207. 208. & p. 2. 382. Facta ab homine iuſtificato, gloriam promerentur. p. 2. 383.

Originalis culpa etiam in reprobis per Baptiſmum tollitur. p. 2. 253. ſectarij oppoſitum docentes confutantur. ibidem 253. 254. Qui ipſius reatum, ac damnationem in reprobis manere poſt Baptiſmum ſentiunt, reprobantur. ibid. 254. 255.

P

Paſtor apud ſcripturas poteſtatem indicat p. 2. 317. Caluinus eum ad ſolum docendi munus contrahens, refellitur. Ibidem, non tantum docet; ſed etiam regit poteſtate. Ibid. 318. A Doctoribus, ab Apoſtolo diſtinguitur. Ibidem. Patrum teſtimonijs ipſius poteſtas aſſeritur. Ibidem. 318. 319 nomen eſt muneris ordinarij. Ibidem. 333.

Paſtores à Chriſto in Eccleſia perpetuo inſtituti. p. 2. 333. Eorum munus ab Apoſtolo declaratur. Ibidem. Ex eorum legitima ſucceſſione vera Eccleſia doctrina probatur. Ibidem. 368. Eorum ſucceſſio ſemper vera doctrinæ coniuncta. Ibidem. 369.

Paſtoris vnius in Eccleſia neceſſitas ratione euincitur p. 2. 254.

Paſtorum ſucceſſio in Eccleſia neceſſaria aſſeritur. p. 1. 172. 173. & p. 2. 356. 368. Abſq. illa Eccleſia eſſe

d non

non poteſt. p. 2. 370. inter legitimas veræ Eccleſiæ notas reponenda. Ibidem. 369. 370. ſemper cum vera doctrina coniuncta. Ibidem. Ab ea vera Eccleſiæ doctrina manat. Ibid. 370 à Domino in Eccleſia inſtituta. Ibidem. 371.
Paulo Euangelium Præputij, quo ſenſu creditus fuerit, explicatur. p. 2. 316.
Paupertatis Conſilium Apoſtolicæ perfectionis Regula. p. 2. 422. diligentiſſimè in Romana Eccleſia cuſtoditur. Ibidem. Imperatorum, ac Regum Cathalogus texitur, qui illud amplexi fuere. Ibidem. 423.
Pænitentiæ ſacramento peccata deleri, & ipſius inſtitutio diuina comprobatur parte 2. 259. Singularis peccatorum Confeſsio in eo neceſſaria aſſeritur. Ibidem. 259. 260. lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium. p. 1. 59. A Sectarijs reijcitur Ibidem. Antiquorum Patrum teſtimonijs roboratur: Ibidem. 59. 60.
Petrus Eccleſiæ petra, ex illis Matthæi verbis. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. aſſeritur. p. 1. 26. 27. In eo velut in capite totius Eccleſiæ fides munitur. ibidem. 27. 28. Pro illius fide tantum Chriſtus orat, vt eum Eccleſiæ caput eſſe demonſtret. ibidem. 30. 31. Pro eo Lucæ locus. Simon ecce Satanas expetiuit vt &c. diligenter expenditur ibidem. 31. & 134. In eo tota Eccleſia continebatur. ibidem. In eo infallibile veritatis magiſterium à Chriſto inſtitutum aſſeritur ibidem 32. Pro quo expenduntur illa Lucæ verba. Confirma fratres tuos ibidem. Viſibile Eccleſiæ Caput aſſeritur teſtimonijs Patrum. ibidem. 65. Eccleſiæ Caput à Chriſto inſtitutus. ibidem. 132. 133. & ſeq. ſuper eum Eccleſiam ædificari, quid ſit. ibidem. 133. Eidem Claues Regni Cœlorum traduntur. ibidem.
Petrus viſibile Eccleſiæ caput à Chriſto inſtitutus aſſeritur. p. 1. 132. 133. Eccleſiæ Claues à Chriſto accepit. ibidem. 133. Eccleſia fundamentum diuerſimodè ab Apoſtolis nuncupatur. ibidem 134. Totius Eccleſiæ Paſtor à Chriſto inſtitutus. ibidem Tamquam Chriſti Vicarius Eccleſiam adminiſtrauit. ibidem. 138. Cauſæ exarantur, cur viſibile Eccleſiæ Caput inſtitutus fuerit. ibid. 138. 139. 140.
Petrus Eccleſiæ Paſtor à Chriſto inſtitutus aſſeritur. p. 2. 297. & per tot. Conc. 5. Ipſius Monarchia in Eccleſia perennis. ibid. 298. Eadem rationibus, ex ſcriptura depromptis demonſtratur. ibidem. 299. & ſeq. Eccleſiæ petra, & fundamentum contra Caluinum aſſeritur. Ibid. 298. & 299. Ipſius Principatus ex illis Euangelij verbis. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. adſtruitur. ibidem 299. 300. Inſulſus Caluini horum verborum ſenſus reijcitur. ibid. 300. Auguſtinus hunc locum exponens Caluino eripitur. ibidem. 300. 301. Quum à Chriſto Cephas appellatur, Eccleſiæ Caput, ac fundamentum deſignatur. ibidem. 302. Quo ſenſu Eccleſiæ petra, & fundamentum à Chriſto nuncupatur. ibidem. 303. 304. 305. Suprema in eo poteſtas ea nuncupatione deſignatur. ibidem. Quo ſenſu Claues Eccleſiæ à Chriſto illi

tra-

traditæ fuerint. Explicatur. Ibidem. 306. In eo eſſe Eccleſię ſacramentum, quo ſenſu Auguſtinus dixerit, Ibid. 309. 310. Propter primatum ex Auguſtino Eccleſiæ figuram geſsit. Ibidem. 310. 311. Eccleſiam totam, vt Princeps in ſe ipſo continuit. Ibidem. 311. 314. Cur Chriſtus pro illius tantum fide orauerit, cauſa exprimitur. Ibidem. 314. Eidem fidei magiſteriũ à Domino commendatur. Ib. 315. 316.

Petro Apoſtolatum circumciſionis commiſſum fuiſſe, quo pacto intelligi debeat. p. 2. 325. Is tertio Claudij anno Ieroſolymam rediit. Ibid. 329. varias Eccleſias inſtituit. Ibid. Succeſſor ex Chriſti inſtitutione debetur. Ibid. 331. Eidem Romanus Pontifex in tota poteſtatis plenitudine ſuccedit. Ibid. 331. Huius ſucceſsionis neceſſitas declaratur. Ibidem 334.

Petrus Romanus Epiſcopus fuit. p. 2. 336. Antiochenam Eccleſiam, Deo iubente in Romanam commutauit. Ibid. Romanam ſedem ad Papalem dignitatem extulit. Ibid. Ipſius ſucceſſor, vrbis ſimul, & orbis eſt Pontifex. Ibid. Ipſius ſucceſſio in Romanæ Eccleſiæ Pontificibus à Deo ordinata. Ibid. 337. 338. Eccleſiæ claues in ſucceſſores Pontifices transfundendas accepit. Ibidem 338. eidem ſucceſſio tribuenda. Ibid. 339. Ipſius ſucceſſionem conuellere, quam cauendum ſit. Ibid. 334. Caluinus ſucceſſionem illius impugnans refellitur. Ibid. 335. Circa illum à Chriſto facta, ad Romanam Pontificem tranſierunt. Ibid. 342. pro ſe, & Romanis Pontificibus, Pontificiã dignitatẽ obtinuit. Ib. 366.

Petrus Orbis terrarum Magiſter. p. 2. 316. Vniuerſas Chriſti oues paſcendas ſuſcipere; quid ſit, explicatur. Ibidem 316. 317. eam in paſcẽdis ouibus poteſtatem accepit, quam Chriſtus exercuit. Ibidem 318. Eccleſiæ poſt Chriſtum Paſtor conſtituitur. Ibid. 319. Chriſto in principatu ſuccedit. Ibidem. Ipſius in Eccleſia principatus, Patrum teſtimonijs confirmatur. Ibidem 319. 320. Romanam Eccleſiam fundauit. p. 2. 320. Romæ vnà cum B. Paulo Apoſtolo diem poſtremũ martyrio obijt. Ibid. Antiochenam prius Eccleſiam fundauit, & ſeptennio rexit. Ibidem 321. ſub Claudio ad Romanam Vrbem acceſſit. Ibid. 322. ſub Nerone paſſus fuit. Ibidem 322. 323. Sub Agrippa Præfecto Vrbis Romæ crucifixus. Ibid. 323. Romanũ Epiſcopatum viginti quinq; annorum ſpatio adminiſtrauit. Ibid. 324. Caluini id negantis ineptiæ refelluntur. Ibid. 324. 325. & ſeq. Patrum teſtimonijs confirmatur. Ibid. 326.

Pontifex, quis dicatur. p. 2. 413. abſque ſacerdotibus eſſe non poteſt. Ibidem, mutua inter eum, & ſacerdotes relatio oſtenditur. Ibid. Ipſius munus eſt, offerre dona, & ſacrificia Deo pro peccatis. Ibid. 414.

Pontificum Romanorum ſucceſſio Eccleſiæ neceſſaria aſſeritur. p. 1. 282. Diuino iure inſtituta plerisq; ſcripturarum teſtimonijs demonſtratur. Ibidem 183. 184. varijs rationibus comprobatur. Ibid. 185. Ea ſublata vera fides, ac Religio interiret. Ibid. 183. Ex ea Eccleſiæ ædificatio pendet. Ibid. Ab ea vera fides expectanda. Ibid. 184.

Digitized by Google

In Petro exorſa. Ibidem. A ſectarijs perperã impugnatur. Ibid. 181. 187. Qui illam in ſua Eccleſia oſtendere nequeunt, in vera Eccleſia non ſunt. Ibidem 186.

Præceptorum diuinorum obſeruantia cunctis neceſſaria par. 2. 419 primus ſanctitatis gradus aſcribitur. ibid.

Prædeſtinationis certitudo à ſectarijs cõfecta; quot errores pariat. p. 1. 118. Varijs ſcripturarũ teſtimonijs rejcitur. ibid. 119. 120. Nullibi apud ſectarios ſubſiſtit, cum alij alios damnent. ibid. 121. 122. 123.

Presbyterorum ſucceſſio in Eccleſia à Chriſto inſtituta demonſtratur. p. 2. 400. Perpetua in Eccleſia futura ibidẽ 401. Ordinatione à legitimo Epiſcopo facta peragitur. ibid. Solam in Romana Eccleſia vigere oſtenditur. ibid. 402. Horum munera in Eccleſia explicantur. ibid. 402. 403. Eorum dignitas quanta ſit, declaratur. ibid. 403. Solis Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti conficere, & alia Sacramenta adminiſtrare datũ. ibid. 404. Horum munera ex diuina inſtitutione manant. ibid. 405.

Principum, ac Regum poteſtas à Deo. p. 2. 420. Quid de ea ſentiãt, vel ſcribant ſectarij ibid 421. Eorum qui caſtè vixerunt, Cathalogus texitur. ibid. 426.

Purgatorium Patrum teſtimonijs aſſeritur. p. 1. 62. & p. 2. 388 multis à Deo miraculis confirmatur. p. 2. 434.

R

RElegio vera vna, & Catholica eſſe debet. p. 1. 8. Vna ab Apoſtolis prædicata. ibid. 8. 9. Vna de fide credenda. ibid. 9. Danielis lapide ſignificata ibid. Illam multiplicantes Chriſti Regnum præſcindunt. ibid. In vera fide fundatur. ibid. Ab Iſaia cum angulari lapide comparatur. ibid. Domus comparatione illuſtratur. ibid. 11. Super vnius fidei fundamentum ædificatur. ibid 10. 11. Fidelium multitudine cõſtituitur. ibid. 11. Cum maximo quodam animante comparatur. ibid. 12 Extra illam Deus piè nec colitur nec adoratur. par. 1. 8. Nemini extra ipſam ad ſalutem aditus. ibidem. Vna fide, vna ſpe, vna Sacramentorũ ac fidelium communione conſtat. ibidem 13.

Religio vera numquam intermortua fuit; quod fusè probatur. p. 1. reg. 2. per tot. 26. Ipſius fides immobilis, & inconcuſſa. ibidem 28. 29. A vera fide nũquam excidere poſſe, pluribus ſcripturarum teſtimonijs probatur. ibid. 28. 29 30. & ſeq. In Chriſto fundata ruere non poteſt. ibidem 28. Cum domo Euangelica comparatur, quæ ædificata eſt ſupra petram. ibidem. Aduerſus illam inferi portæ præualere nũquã poſſunt. ibid. 28. 29. Pro illius fide Chriſtus orauit: vt perpetuò ſit ſtabilis. ibid 30. In ea infallibile veritatis magiſterium, à Chriſto inſtitutum. ibid. 32. In fide errare non poteſt

Digitized by Google

poteſt; quia Spiritus Sanctus perpetuus, ac indiuiduus eſt ipſius comes. Ibidem. 33. Pro ea expenduntur nonnulla ſcripturarum teſtimonia. Ibidē. 33. 34. In fide Chriſto eſt deſponſata. Ibidem 34. Columna, & firmamentū veritatis ex Apoſtolo aſſeritur. Ibidem. Ex quo à Chriſto fundata, ſemper in Orbe floruit. Ibidem 35. Reformata vna eſſe nō poteſt; ſed multiplex. Ibidem 35. In fidei conceſſione quærenda. Ibidem. 76. Apud ſectarios inter ſe, & cum antiqua fide pugnantes, inueniri non poteſt. Ibidem.

Religio cur vna tantum eſſe debeat, varijs ſcripturarum teſtimonijs, ac rationibus demonſtratur p. 1 8 per tot. Ipſius vnitas, Apoſtoli teſtimonio roboratur. Ibidem 14. p. 2. 232. vnitatis ipſius cauſæ referuntur. Ibidem Vnus Dominus, vna fides, vnū Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium; Religionis vnitatem conſtituunt. Ibidem. vnica Chriſti Sponſa, & vnum Corpus. Ibidem. & p. 2. 232. Extra illam geniti, Chriſti filij eſſe non poſſunt; ſed adulterini, cenſendi. Ibidem. A vera Religione preſcinditur, qui ab vnico illius corpore ſeparatur. Ibidē. 15. Ideo Vna, quia vna fides. Ibid. quia vnū Baptiſma, in quo omnes in vno fidei ſpiritu in vnū corpus baptizamur. ibid. 15. 16. Ab vno fidei ſpiritu regitur. Ibid. 70. 71. Ipſius vnitas à ſectarijs conficta rejicitur. p. 2. 232.

Religio vera non poteſt eſſe multiplex. p. 1. 13. 14. 15. 16. 17. 24. Humani corporis comparatione illuſtratur. Ibidē. vno fidei ſpiritu regitur. Ibidē. 17. Dei Regnum, Ciuitas, & Reſpublica. Ibidem. 20. vno viſibili Capite, & Rectore conſtat. Ibidem. Si multiplex eſſet, quot abſurda ſequerentur, declaratur. Ibidē. 13. 17. 18. 22. 23. Apud ſectas reperiri non poteſt. Ibidem. 23. refellitur, qui plures Religiones æquè veras eſſe contendunt. Ibidem. 23. 24. Quanā incōmoda, & abſurda hanc poſitionē ſequantur, explicatur. Ibidem.

Religionum pluralitas monſtruoſa oſtenditur. p. 1. 13. Quam grauia illam abſurda ſequantur. Ibidem. 13. 17. 18. Quā tumultuoſa ſit, explicatur. Ibid. Vnde exordiū ſumpſerit. ibid. 18. 19. Apud ſectarios viget. Ibid. 18. 19.

Religionem veram inquirenti, Heretico, vel infidelis, omnis Religio ſuſpecta eſſe debet. App. 1. 3.

Religione vera ſublata, nulla Beatæ Vitæ ſpes relinquitur. App. 2. 2. ea ſola ad Deum accedimus, ac beamur. Ibidē. Ad eam naturali appetitu ferimur. ibidem. Illa ſuper omnia optāda. ibidem. Ea quā ſollicitè quærenda. App. 2. 3. Ipſius cupiditas honeſta vitæ ratione fouenda. App. 3. 4. Illam oratio procedere debet, vt illius lux menti effulgeat. App. 4. 5. In ea indaganda, & aſſequenda S. Auguſtini conſilium. Ibid. Ea rebus omnibus præferenda. App. 5. 6. Ad amplectendam exhortatio. Ibid.

Religioſi cuncta propter Chriſtum relinquentes, ipſius paupertatem imitantur. p. 2. 423. Euangelicum conſilium implent. Ibid. 422. Imperatores, ac Reges nonnulli, inter hos recenſentur. ibid. 423. caſtitatis conſilium obſeruant. ibid. 426.

Reges, & Principes ab Eccleſiaſtica po-

teſtate abſtinere debent. p. 1. 150. 151. Eorum poteſtas à iure gentium orta. Ibid. 151, 152. Quinam vſus, ac finis eorum poteſtatis ſit, declaratur. Ibid. Nullam in ſacros homines iuriſdictionem acceperunt. Ibid. In ordine ouiū, ac membrorum collocantur in Eccleſia. Ibid. 155. Oziæ exemplo à diuinis miniſterijs deterrentur. Ibid. 157. His in rebus temporalibus parēdum. Ibid. 158. Ad Politicam tantum poteſtatem vocantur. Ibid 159. Inter Eccleſiæ miniſtros, minimè ab Apoſtolo recenſentur. Ibidem 160. Nullo titulo Eccleſiæ poteſtatem ſibi vſurpare poſſunt. Ibid 166. 167.

Regia poteſtas ex iure gentium orta probatur. p. 1. 152. In Hæbreo populo à Deo confirmata. Ibid. 152. Eccleſiaſtica poteſtate minor. Ibid. 151. 153. 154. Vtriuſque, & Regiæ, & Eccleſiaſticæ poteſtatis finis exaratur. Ibid. 153. 154. Non eſt à iure naturali, tametſi cum Sacerdotio olim in lege naturæ coniuncta fuerit. ibid. 155.

Reliquiæ Sanctorum religioſè colendæ. p. 2. 263. Antiquos Patres propugnatores habent. Ibid. cur ijs honor habendus. 264.

Reliquiarum cultus, ac veneratio, miraculis comprobatur. p. 2. 434.

Romana fides, ac Religio hæreſes omnes anteceſſit. p. 2. 265. Ab ea hæreſes omnes, velut de vite ſarmenta inutilia prodierunt. Ibidem. Contra hæreſes omnes pugnauit, ac eas debellauit. Ibid. Ab illius doctrina Hæretici omnes exciderunt. Ibid. 266. Sola Catholica. Ibid. 270. Duces habet Apoſtolos, Euangeliſtas, & Doctores. Ibid. 266. 267. Gentium, ac locorum omnium conſenſionem ſibi vendicat. Ibid. 267. & ſeq. Idem ſemper vbiq; docuit, & docet. Ibidem. Chriſti promiſſo ſemper immutabilis futura. Ibidem 268. Ab ea cæteræ Eccleſiæ fidei regulas ſemper acceperunt. Ibid. 268. 269. In dubijs fidei rebus ea ſemper conſulta. Ibidem 270 Magiſtra omnium Eccleſiarum. Ibid. 271. Eadem vbique ab omnibus orbis Eccleſijs colitur. Ibid 272. Populorum omnium cōſenſione admirabilis aſſeritur. Ibid. 273. Cum ea totius orbis conſenſus. ibidem 274. Orthodoxæ fidei teſſera. ibidem 274. Illam cuncta Generalia, ac Prouincialia Concilia, ſolam docent, ac tradunt. ibid. 275. Quo ſenſu vniuerſalis, ac Catholica dicatur. Ibid. 278. Integra ſemper, & incorrupta aſſeritur. ibidem 281. & ſeq Ex perfecta illius integritate, vera oſtenditur. ibid. Perpetua ipſius integritas demonſtratur. ibid. 290. Hæreſes omnes extinxit. Ibid Hæreticorum cathalogus deſcribitur, qui ab ea effugati fuere. ibid. 290. & ſeq Auroræ cōparatur, ob profectum fidei. ib. 295.

Romana Religio, ſola vera in Orbe Religio aſſeritur. p. 2. 231. Sola Religionis vnitatem retinet. ibid. 231. 235. & ſeq. ſola Chriſti corpus demonſtratur, ex Apoſtolo. ibid. 235. In Petro à Chriſto fundata. ibidem. à ſectarijs oppetitur. ibidem 236. Chriſto indiſſolubili connubio copulata aſſeritur. ibidem 237. perpetuo ſtabilis, & immota. ibid. Tempore Apoſtolorum à Chriſto defeciſſe ſectarij comminiſcuntur, & refelluntur. ibid. 238. 239.

Digitized by Google

239. *Sola contra Hæreticos emergentes pugnauit. Ibid. Eadem martyres, & Doctores peperit. ibid.* 237. 238. *Inocciduam fidei veritatem ſeruat. ibidem* 239 *perfectam Chriſti corporis vnitatem tenet. ibid.* 240. *numquam in ſectas diſſecta. ibidem. Arrianorum furores paſſa numquam ceſſit. Ibidem. Regnum illud Danielis eſt, quod non corrumpitur. Ibidem* 247.

Romana Eccleſia *ſub typo Ieruſalem ab Iſaia prænunciata.* p 2. 416. *ſola vera ſanctimonia illuſtratur. ibid.* 417. *Cum Ieſſe Regione comparatur. ibidem. Perpetua ipſius ſanctimonia oſtenditur. Ibidem* 418 419 *& ſeq. Sancta ab Apoſtolis nuncupatur. ibidem* 417. *Diuinorum mandatorum obſeruantiam amplectitur, ac fidelibus inculcat. Ibid* 419. *obedientiam Regibus, ac Principibus deberi docet. Ibid. In ea altiſſima virtutum exercitationes. ibid.* 419. 420. *Diuinorum conſiliorum obſeruantiam profitetur. ibid.* 421. *Perfecta Chriſti imitatione illuſtris. ibidem* 424. *In ea præclara Euãgelicæ perfectionis exempla elucent. Ibid.* 427. *Ipſius in fide Chriſti per orbem propagãda ardor ibid.* 428. *In ea viri charitate præſtantiſſimi, ibid.* 431. *Triginta, & amplius Pontifices martyres oſtendit. ibid.* 432. *Innumeros Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Regulares martyrio obtruncatos exerit. ibidem. Diuinorum miraculorum gloria fulget. ibid.* 433.

Romana Eccleſia *à Chriſto cæteris Eccleſijs antelata.* p. 2. 336. 337. *In ea Pontificum ſucceſſio diuino iure inſtituta. ibid.* 337. *Maxima, & antiquiſſima. ibid.* 344. *Petri Cathedra. ibid.* 345. *omnium Eccleſiarum matrix. ibidem. In ea tantum Apoſtolica ſucceſſio emicat. ibid.* 355. 356. *& ſeq. numquam à vera, & Apoſtolica doctrina exorbitauit. ibid.* 371. *In ea vera, & Apoſtolica doctrina ſucceſſio hactenus ſeruata fuſè demonſtratur. ibid.* 371. 372. *& ſeq. ex ſanctimonia, & miraculis vera demonſtratur. Ibid* 415.

Romana Eccleſia *neceſſariam capitis viſibilis vnitatem retinet.* p 2. 241. *Primatum in alias Eccleſies gerit. ibid.* 242. *fidei vnitatem, ac veritatem ſeruat. ibidem* 243. *Ipſius fides ſemper vbique eadem, & vniformis. ibid.* 244. *cur ſola Catholica olim, & etiam nunc appellata. ibid.* 244. 245. 247. *Catholicæ agnomen ab Apoſtolis tulit. ibid. Perpetuum Hæreticis bellum indixit. ibid.* 246. *Ipſius fides antiquã Apoſtolica, & vniuerſalis. Ibid.* 246. 247. *& ſeq Catholicæ fidei perennis magiſtra. ibid.* 247. *A noua, & ſingulari fide ſemper abhorruit. ibid.* 248. *Singularem fidem in Hæreticis perſequitur. ibid.* 250. *Semper olim contra Hæreſes pugnauit. ibid.* 249. 250. *In tradendis fidei rebus, quo conſilio vtatur. ibid.* 251. *Catholicam, & vniuerſalem fidem docet. ibidem. Ipſius fides ſola Apoſtolica. ibid.* 252. *cum antiqua prorſus conſpirat. ibid. Catholicam omnium temporum fidem docere demonſtratur. ibidem* 253.

Romana Eccleſia, *cur Catholica, & vniuerſalis dicatur.* p 2. 278. *cunctas Orbis Eccleſias non abſorbet. ibidem.*

neque.

neque cuncta Terrarũ ſpacia occupat. ibidem. Caput eſt, radix, & mater omnium Eccleſiarum. ibidem. In ea Apoſtolica fides ſemper integra ſeruata. ibidem. Auctoritatem in omnes orbis Eccleſias exercet. ibid. 279. cur apud antiquos Patres olim Catholica appellata. ibid. & 280. Ab ea totius Orbis Epiſcopi Apoſtolicam fidem hauriunt. ibid. 280. Eo nomine à ſectis diſcernitur. ibid. Sola eſt omnium temporum vniuerſalis. ibid. fidei integritatem ſeruat. ibid. 281. 282. & ſeq. Ipſius in fidei integritate ſeruanda ſtudium. ibid. 285. fidei dogmata, quæ ſemel accepit, integra ſemper cuſtodit. ibid. 286. Illius fides incorrupta oſtenditur. ibidem 287. vniuerſas hæreſes iugulat. ibid. 288. qua ratione ad eam compellantur Hæretici. ibid. 288. Ipſius primatus fusè oſtenditur. ibid. 348. & ſeq.

Romanus Pontifex legitimus B. Petri ſucceſſor aſſeritur. p. 2. 330 & ſeq. Petro ſuccedit, non ſolum, vt Pontifex, ſed etiam; vt Pontifex Romanus. ibid 335. 336. Vrbis ſimul, & orbis eſt Pontifex: ibid 336. In tota, ac integra capitis poteſtate Petro ſuccedit. ibid. 339. Ipſius ſucceſſio bifariam concipi poteſt. ibid. 335. Inſtar Petri eſt Eccleſiæ caput. ibid. 342. In eius primatu aſſerendo, tota Patrum antiquitas collimat. ibid. 343. omnium Eccleſiarum cura illi demandata. ibidem. Eidem vineæ cuſtodia à Domino commiſſa. ibid. 347. caput, & Princeps omnium Patriarcharum ex Conc. Niceno. Ibidem. Eidem data à Deo poteſtas ſuper omnes Principes Chriſtianos. ibidem. Chriſti Vicarius aſſeritur. ibid. 348. Ad eum ſpectat Concilia Generalia conuocare, & confirmare ibid. 352. abſque illius auctoritate, nullum Concilium legitimè celebratum. Ibidem. Ad ipſum è toto orbe appellatur. ibid. 353. Ad eum Epiſcoporum depoſitio, ac reſtitutio pertinet. ibid. Ipſius vitia Pontificiam dignitatem non labefactant. ibid. 366.

Romanus Pontifex lapis Apoſtolicus, & Petro ſcandali ſectariis. p. 2. 242. ſolus Petro in Pontificali dignitate ſuccedit. ibid. 243. Caluini in Romanum Pontificem cauillatio diſſoluitur. ibid eſt vrbis, & orbis Epiſcopus. ibid. 280. In fidei veritate tuenda in Stephano Papa admirabile exemplũ. ibid. 289. Præcipuum ipſius in Eccleſia munus. ibid. 315. verus, ac legitimus Petri ſucceſſor aſſeritur. ibidem 330. & ſeq. Eccleſiæ caput, & Chriſti Vicarius oſtenditur. ibid. 331. ex Chriſti inſtitutione Eccleſiæ Paſtor aſſeritur. ibid. 32. 333. Ipſius Primatus Patrum teſtimoniis adſtruitur. ibid. 346. 347. & ſeq.

Romanus Epiſcopatus totius orbis Præfecturæ coniunctus aſſeritur. p. 2. 336.

S.

SAcerdotes Apoſtolorum ſucceſſores. p. 2. 406. iis diuina myſteria credita. ibid. Ius ligandi, atque ſoluendi eiſdem à Chriſto traditum. ibid. Lutheri commentum refellitur, aſſerentis, Chriſtianos omnes naſci Sacerdo-

tes. ibid. 405 406. & ſeq. Quinam in Eccleſia legitimi cenſendi ibid. 407. à plebe diſtincti, atq; à populo ſegregati. ibidem. Quaſi ſacra dantes ibid. 408. excellentiori vitæ forma alijs præcellere debent. ibid. 409. quo ſenſu intelligendæ ſint ſcripturæ aſſerentes: fideles omnes eſſe Sacerdotes. ibid. 410.

Sacerdotium Chriſti, antiquo illo Aaronis præſtantius. p. 2. 407. 408. ſecundum Ordinem Melchiſedech aſſeritur. ibid. Sacerdotium ſecundum ordinem Aaron compleuit. ibid.

Sanctitas vnde homini oriatur. p. 1. 211. non à ſola fide. ibid. 210. Eccleſia, in perfecta legis, & conciliorum obſeruantia agnoſcenda. ibid. 213. 212. ea vera Religio à ſectis diſcernitur. ibid. Rectam fidem commendat. ibid. 214. veram Eccleſiam, & Religionem indigitat. ibid.

Sãctitas Eccleſiæ, nõ in fide ſola; ſed in Charitate cõſiſtit. p. 2. 418. Chriſtianas omnes virtutes comites habet. ibidẽ veræ ſanctitatis Regula enucleãtur. ibi. 419. Has ſola Romana Eccleſia complectitur. ibid. Ex diuinorũ quoque Conſiliorum obſeruãtia pendet. ibid. 421. Chriſti paupertatẽ ſectatur. ibid. 422. Caſtitatẽ colit. ibidem. 486. Obediẽtiæ conſilium complectitur. ibidem. 417.

Sanctos in Cælo regnãtes, pro nobis orare, ac recte inuocari, aſſtruitur. p. 1. 64. & par. 2. 378. 379. Pio cultu à Chriſtianis venerandos. ibid. 379. Horum cultus à Deo miraculis illuſtratur. p. 2. 424.

Scriptura ſacr. quæ paſſim plerіſq. difficultatibus reſperſa. p. 1. 53. Ea perfectus fidei Iudex eſſe non poteſt. ibid. Ex his male intellectis, plerumq. hæreſes naſcũtur. ibid. Eas obtruncat, & mutilant ſectarij. ibid. 100. Quas Lutheriſtæ, & Caluiniſtæ è ſacris libris præſcindant, fusè explicatur. ibid. 100. 101. & ſeq.

Sectarij veram Religionem confundunt, & cum ſectis commutãt. p. 1. 25. His ex Apoſtolo terribilis quædam iudicij expectatio imminet. ibid. Plures Religiones veras ſibi fingunt, in quibus quiſq. ſaluari poteſt. ibid. 23. 24. 25. Quam abſurda ſit hæc illorum poſitio declaratur multipliciter. ibid. Patrum teſtimonijs illa refellitur. ibid. 25. Religionem reformatam ſtatuentes præclariſſimis teſtimonijs, & rationibus reyciuntur. ibid. 40. 41. 42. 43. 44. ſuomet pugione iugulantur. ibid. 42. 43. Religionem reformatam, abſque ſcripturarũ teſtimonio vendicãt. ibid. Reformatam Religionẽ prædicantes, omnem verã Religionem, è medio tollunt. ibid. 44. Noua quadã doctrina, ac fidei ſpecie, incautos decipiũt. ibidem 46. 47. 49. Ab antiquis patribus delineati. ibid. 49. Fides annuas, & menſtruas colunt. ibidem. 76. Alij ab alijs diuerſa docent. ibidem.

Sectarij antiquorum hæreſiarcharũ heredes demõſtrãtur. p. 1. 300. 301. & ſeq. Fidem prædicãt. vt opera à ſalute excludant. ibid. 206. Eccleſiæ ſanctitatem in ſola fide reponunt. ibid. 206. 207. Iidem refelluntur. ibid. 207. 208. Qualẽ fidem prædicẽt, & explicatur. ibid. 210. Sãctimonia, & miraculorum teſtimonio carent. ibid. 222. 223. & ſeq. Conſilia Euangelica op-

pu-

pugnant. ibid. 223. 224. Dei præcepta inobſeruabilia prædicant. ibid 224. 225. peſſimè cũ Euangelio agunt, dũ pleroſque noui Teſtamenti libros, & capita obtruncant. par. 1. 102. 103. & ſeq. Fidem breuem, & mutilã prædicant. ibid. 107 Eccleſiam inuiſibilem adſtruunt. ibid. 108. Solam Electorũ veram Eccleſiã eſſe ſibi fingunt. ibidem 108. 116. multis rationibus refelluntur. ibid. 109. 110. & ſeq. Aſſeclas ſuos ſolos prædeſtinatos docent. ibid 116. Ignotum cum inuiſibili cõfundunt. ibid. 116. 117. Cum prædeſtinatorum tantum Eccleſiam inuiſibilẽ ſtatuunt, ſeipſos oppugnant. ibid. 117.

Sectarij à viſiblis Eccleſiæ capitis poſitione abhorrent. p. 1. 140. Gregis diſperſi imaginem præſeferũt. ibid Ezechielis Prophetæ verbis ſuggillãtur. ibid 140. 141. Eorũ calamitas deploranda. ibid. 141. Diuini ſunt, vidẽtes mendacium. ibid. 142. Tamquam ſomniatores, non Dei, ſed proprium ſpiritũ ſequũtur. ibid. Fatui gregis ductores. ibid. Falſa, ac vana dogmatũ ſomnia, pro Dei reuelationibus obtrudũt. ibid. 143 Acephali, & ſine capite incedũt. ibid. Non habent Deum Patrem, qui non habent veram Eccleſiam Matrẽ. ibid. 143. Illorum Chriſtus, cur caput eſſe non poſſit, rationes afferũtur. ibid. 144 Qualibus titulis Pontificem Romanũ cohoneſtent. ib. 144. 145. Eorũ crimen in Deum redundat: ibid. Deũ abijciũt dum Eccleſiæ caput à Chriſto inſtitutum repellunt. ibid. 145. Inter Chriſti oues non habentur, qui Paſtorem à Chriſto inſtitutum non ſequantur. ibid.

Sectarij nouæ doctrinæ ſatores ab Apoſtolo ſuggillantur. p. 1. 49. Antiquam fidem violant, & euertunt. ibid. Tertulliani argumẽto Hæretici conuincũtur. ibid. 49. 50. 51. Eorũ fides, ac Religio, omni antiquitatis teſtimonio deſtituta. ibid. 51. Nouitias doctrinas colunt, ac docent. ibid 54. 55. Omniũ temporum, locorum, ac perſonarum fidem non docent. ibid. Perfidiã pro fide diſſeminant ibid. 55. Eorum fides, ac doctrina, ad antiquã Eccleſiæ fidem, ac doctrinam prouocatur, & examinatur. ibid 55. 56. 57 & ſeq. Diſſenſiones, & offendicula præter antiquam doctrinã ponunt ibid 68. Iis nec Aue dicendum. ibid 69. De grauiſſimis fidei dogmatibus inter ſe diſſident. p. 1. 77. Armis ſe inuicẽ ex vrbibus expellunt. ibid. 78 Perſonarum, ac locorum fidem non habẽt ibid. 79. 80. Ex doctrinarum diſcordia geniti. ibid. 91. Apud illos nihil in fide firmũ, & conſtans. ibid. 93. Ab ijs fidei integritas dilaceratur. ibid. 100.

Sectarij omnem à ſuis ſectis ſanctitatem expellunt. p. 1. 224. 225. Nouum eos Euangelium cudere, pluribus explicatur. ibid. 226. Nouam Eccleſiam erigunt, cum reformatam prædicant. ibid. 227 fruſtra ab ijs miracula exiguntur, quæ numquam dare potuerint. ibidem 225. Ab ijs, qui ſe extraordinariè excitatos iactant, iuſtè miraculorum teſtimonia poſtulantur. ibid. 228. 229. de numero, & vſu ſacramẽtorum inter ſe diſſentiunt. p. 2. 234. 235. Romanam Eccleſiam tempore Apoſtolorum defeciſſe aſſerentes, refelluntur. ibid. 236.

Signum Crucis à Deo miraculis ſanctum confirmatur. p.2.433.
Spiritus ſancti Diuinitas, qualis à Romana Eccleſia tradatur. p.2. 373.
Succeſſio Apoſtolica quot, & quibus ſignis agnoſcatur. p.1. 187. Apud ſectarios, nulla. ibid. 187.188. eam ab Eccleſia expellentes, Chriſtum expellunt. ibid. 188. ſectariorum, an Apoſtolica ſit, examinatur. ibid. 189. ab ea longè ſectarios abeſſe demonſtratur. ibid. 189. 190. & ſeq.
Succeſſio Apoſtolica tantummodo in Romana Eccleſia reperitur. p.2.355. & per tot. conſ. 8. Veræ fidei, & Religionis cuſtos aſſeritur. ibid. quanti hanc antiqui Patres ſemper fecerint, explicatur. ibidem 356. ea Catholica Eccleſia, & fides demonſtratur. ibid. 357. ab ea extorres inter Hæreticos computandi. ibidem. Auguſtinum ad Romanam Eccleſiam prouocauit. ibidem 358. 359. veram fidei doctrinam probat. ibidem 359. Antiquam tantum fidem commendat. ibid. 360. Romanorũ Pontificum à Petro exorſa, deſcribitur. ibidem 361. & ſeq. ea tamquam veræ Eccleſiæ teſtis à Patribus producitur. ibid. Singularium perſonarum vitio non deperditur. ibid. 365. Multum à generis ſucceſſione diſtat. ibid. Inter vtramque diſcrimen adnotatur. ibid. 366. morum corruptio eam minimè tollit. ibidem 367. ſectarij eam in vera tantum doctrina collocantes refelluntur. ibidem. Ab ea vera doctrina petenda. ibid.
Succeſſio Eccleſiaſtica veræ Eccleſiæ nota aſſeritur p.1.170. ea vera fides, ac Religio demonſtratur. ibidem 171. Quid ſit, & quomodo fiat, inueſtigatur. ibid. 171. Quænam in Eccleſia prorſus neceſſaria ſit, declaratur. ibidem 172. 173. Illam ſectarij totis neruis impugnant. ibid. 171. Quorſum à Deo in Eccleſia inſtituta ibidem 173. Pontificum quo diſcrimine ab Epiſcoporum ſucceſſione ſecernatur. ibid. Pontificum, & Epiſcoporum in Eccleſia neceſſaria. ibidem. Veræ, ac legitimæ ſucceſſionis gradus deſcribuntur. ibid. 176.177.

T

Totum ſuarum partium naturam ſequitur. p.1. 117.
Traditiones Apoſtolicæ ſumma Religione cuſtodiendæ. p.2.261.262. ſectarij eas oppugnantes debellantur. ibidem. Parem vim habent, cum ſcripturis ad pietatem. ibidem.
Trinitatem Perſonarum in diuinis, qualem Eccleſia Romana doceat. p. 2. 371. 372.

V

Veritas Corporis, & ſanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ demonſtratur ex Scripturis, & Patribus. p.1. 57. 58.59. & p.2. 384.
Vitium menti tenebras offundit. App. 3. 4.

FINIS.

APPARATVS

Ad Orthodoxam Fidei Conſultationem

APPARATVS PRIMVS.

QVANDOQVIDEM in hoc Libello Conſultoris mihi onus, obeundum ſuſcepi, quo quiſque veræ fidei, ac Religionis ſtudioſus, ad diuinam tum Fidem, tũ Religionem agnoſcendam ducatur: Cum primis neceſſarium cenſui: ea quæ vel animum à meliori conſilio auocare: vel eidem adiumento eſſe poſſunt, quibuſdam præceptis, ab ipſa natura ductis, velut Apparatibus aperire; vt his perſpectis vniuſcuiuſque mens; dum quid fugiendum, quidue amplectendum ſit, agnoſcit, perfectius, ac facilius ad veræ Religionis conſilium capeſſendum diſponatur.

In his illud primum eſt. Vt, quoniam vera Religio inquirenda eſt; antequam ad eam inueſtigãdam accedat, omnem Hęreticus prius Religionem apud ſe ſuſpectam habeat: lubeatq. illi tandiù à Lutheriſtarum, Caluinianorum, Proteſtantium, Anabaptiſtarum, aut aliorum, atque etiam Catholicorum Fide, ac Religione, animum, & voluntatem ſuſpendere; quamdiu in veri inquiſitione verſatur: ita vt liber animus ab omni quantumuis coniunctæ Religionis affectu ſolutus, liberè ſe in verę Fidei, ac Religionis indagine exerceat. Notum eſt enim Philoſophi dictum: Intus exiſtens prohibet extraneum: neque vlla vnquam, aut vera fides, aut vera Religio in hominis animum vehi poſſet, niſi humana mens id ſibi perſuaderet, ab intus exiſtentis Religionis amore aliquandiù ſibi eſſe abſtinendum.

Hinc rectè monet Boetius: *Si vis lumine claro cernere veru,* Boetius.

Digitized by Google

gaudia pelle, timorem, ſpemq fugato, nec dolor adſit. Quamobrem id tantùm quod honeſtum, quodq. neceſſarium eſt (Acquiſsime Lector) à te poſtulo: vt antequam ad hanc noſtram Fidei Conſultationem perlegendam accedas; immò ante omne de Fide, ac Religione amplectenda conſilium; omnem ſpem, metum, omnem proprię Religionis cupiditatem; omne denique quo liber animus velut vinculis conſtringi ſolet, quo minus ad veritatis cognitionem euolet, à te procul abijcias: ac tandem omni, tum erga Catholicos odio, tum erga Lutheriſtas, aut Caluinianos, aut cęteros amore prorſus abiecto, teipſum liberum, ac velut medium inter vtramque & propriam, & Catholicorum Romanorum Religionem ſtatuas: perinde ac ſi omni fide, ac Religione careres. Hac primum conditione, atque animi propoſito (ſapientiſsime Lector) veræ Fidei, ac Religionis amplectendæ tibi ratio ineunda eſt; vt cum veritas liberè per intellectum excurrere valuerit, eam facilius aſſequaris.

APPARATVS SECVNDVS.

VEram Fidem, & Religionem homini adeò neceſſariam eſſe; vt ea ſublata, nulla prorſus beatæ vitæ, atque æternæ fœlicitatis comparandæ ſpes illi relicta ſit, apud omnes in confeſso eſt, qui veræ Fidei, ac Religionis, qua ſola ad Deum accedimus, ac beamur, naturam non ignorant. Eo fit, vt cum vniuerſi naturali appetitu ad Beatitudinem ferantur; eadem quoque ratione veram Fidem, ac Religionem, qua ad cœleſtem Beatitudinem diſponuntur, appetere debeant.

Quapropter veræ fidei, ac Religionis cupidus, huc omne ſtudium, ac ſollicitudinem conferre debet: vt veræ Religionis, ſine qua nulla homini vera fœlicitas eſſe poteſt, amore, & cupiditate ita afficiatur: vt quantumuis opibus, aut ingenio excellat; nullum ſibi bonum adeſſe putet: quoad veram Dei Religionem aſſequutus fuerit, atque in eius ſinu conquieuerit.

 Neque

Digitized by Google

Neque id (Lector amantiſſime) tibi abſque Dei teſtimonio perſuadeo: Hunc enim ad diuinam veræ Fidei, ac Religionis ſapientiam comparandam, non leuem ſtimulum eſſe olim ſapiens docuit, cum de ea ita ſcriberet. *Propter hoc optaui, & datus eſt mihi ſenſus.* Sap. 7. Diuinum ſiquidem verè Fidei ſenſum, ac intelligentiam, ipſius deſiderium, ac cupiditas præcedat neceſsè eſt. Neque enim quis ea ſolicitè quærere, aut ſtudiosè inueſtigare ſolet, quorum nullo appetitu, ac deſiderio ducitur. Amor quippè (teſte Auguſtino) animi pondus eſt, quo is ad quæcumque proſequenda fertur: quo fit, vt eo ex animo ſublato, omnis vera Fides, ac Religio contemnatur.

Quamobrem id cum primis expeto, vt ſponſæ illius, quę apud Salomonem in Canticis legitur, diligentiam, ac ſtudium imitere: quæ vicos, ac plateas circumibat, vt quem ipſa diligebat, quæreret: ita, & tu per vicos, & plateas, veram fidem, ac Religionem omni ſtudio inquire. Rima ſcripturas, antiquos Patres interroga, Concilia examina, Rationes ſcrutare: cunctasq. vias diligentiſsimè percurre, quibus ad eam certo peruenire queas: vt quum primum ad eam, Deo duce, pertigeris; tàm ſtrictè ipſius amplexibus inhæreas, vt ab ea nullo vnquam tempore, aut ratione auelli queas.

APPARATVS TERTIVS.

VEræ iam Religionis amore in animo excitato, ac ſtabili mentis propoſito ſæpè confirmato: vt diuini conſilij luce cuiuſque mens ad eam capeſſendam copioſius illuſtretur. efficaciusq. moueatur: illud vitæ genus inſtitui opus eſt, quod cœleſte hoc fidei donum non impediat. Nota eſt enim Sapientis vox: *Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim Sanctus diſciplina effugiet fictum & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.* Sap. 7. Quo fit, vt fruſtra ij veram fidẽ, ac Religionẽ, aut agnoſcere, aut confe-

Digitized by Google

qui ſe poſſe ſperent, qui cum turpe, ac flagitioſum vitæ genus colant, planè ſe indignos præbent, quibus tàm egregia, ac præclara Dei dona communicari debeantur.

Quamobrem id omn bus veræ fidei ſtudioſis tertio loco perſuadendum eſt: vt honeſtam rectè viuendi normam, ab omni, quoad fieri poteſt, vitio, ac ſcelere alienam amplectantur. Vitium enim cum illud proprium habeat, quod menti tenebras offundit: quantò magis exiſtimandum eſt, id iam offuſas tenebras augere; omnemq. diuinæ Fidei luci aditum præcludere? Veræ igitur Religionis cupiditas honeſta vitæ Ratione, ac virtute fouenda, augenda, perficienda eſt. Cornelius ille Centurio eleemoſynis, ac pauperũ miſericordijs Chriſti fidem aſſequutus eſt. His quoque tu, ſi ſapis, diuinam tibi pietatem para; ſi enim Gentilis ille rectè, honeſtèq. viuendo Dei miſericordiam conſequutus eſt; & Chriſti fidem Apoſtolo prædicante hauſit: hac planè via, & tu quoque ad cœleſtem fidei lucem, Deo miſerante, pertingere poteris.

APPARATVS QVARTVS.

VEruntamen haud ſatis eſt, his animum ad veræ fidei amplexum pręparaſſe: quartum obſeruandum ſupereſt, quod præclarè indicat ſapiens, quum poſt priora illa
Sap. 7. verba, hæc ſubdit. *Inuocaui, & venit in me Spiritus ſapientiæ*, Cùm enim fides ex Apoſtolo, ſit donum Dei, atque
Epheſ. 2. inter gratuitas diuinæ munificẽtiæ opes annumeretur; quibus homines, quos vult, cohoneſtat: planè tam ardua ipſius cognitio eſt, vt eam abſque cęleſti, ac ſupernaturali Dei Opt. Max. auxilio adipiſci nemo poſsit.

Quapropter poſt mentis ad fidei diſciplinam capeſſendam indifferentiam; poſt igniculos erga veram fidem, ac Religionem in animo excitatos: poſt vitam cum virtute cõpoſitam: Poſtremo in id (ſtudioſe Lector) ſumma contentione tibi enitendum eſt: vt diuinam hanc veræ fidei ſapiẽtiam

tiam è cælo tibi dari poſtules, illamq. à Deo ſummis precibus efflagites. Quare ſi quis æternorum amor, ſi quæ veræ Religionis agnoſcendæ cupiditas, ſi quod propriæ ſalutis diſcrimen, ſi quæ tandē diuinæ erga te munificētiæ, qua te ipſum tot naturæ,ac fortunę bonis accumulauit,ac potioribus augere parat, gratitudo, liberalem, ac generoſum animum attingit; ſanis conſilijs acquieſce. Ante Maieſtatem Dei pronus corrue: Oculos lachrymarū imbribus perfunde: Ex imo pectoris ſinu diuinam è cœlo lucem, qua ad veram fidem,& Religionem agnoſcendam illuſtreris, illis Regij Prophetæ verbis inſtanter tibi poſtula. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus praualui aduerſus eum. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Cœlum tuis clamoribus pulſa. Diuinam pietatem exora; ad Deumq. tandiù clama; donec voti cōpos (quod abſque dubio fiet) cęleſti tibi luce affulgente, cognoueris, vbi nam vera fides, & Religio tibi quærēda ſit. Pſal. 12. Pſal. 42.

At,neque exiſtimes velim, hoc meū tantùm conſiliū eſſe, aut proprio dumtaxat Marte elaboratū: Auguſtini conſilium eſt,grauiſſima ab eo ratione conceptum:dum,& ipſe in Manichęorū aliquādo ſecta detineretur,cuius verba paulò fuſiùs in tui gratiā exaranda ſunt. *Edā tibi, vt poſſum* (inquit ad Honoratū ſcribens) *Cuiuſmodi via vſus fuerim, cum eo animo quærerē veram Religionē,quo nunc expoſui,eſſe quærēdā: vt enim à vobis trans mare abſceſſi, iam cūctabundus, atq. hęſitans,quid mihi tenendum,quid dimittendum eſſet? quæ mihi cunctatio in dies magis oboriebatur, ex quo illum hominē,cuius nobis aduentus,vt noſti,ad explicanda omnia,quæ nos mouebāt, quaſi de cęlo promittebatur &c. Rationem ipſe mecū habui,magnamq. deliberationem iam in Italia conſtitutus; non vtrum manerem in illa ſecta, in quam me incidiſſe pęnitebat; ſed quonam modo verum inueniendum eſſet, in cuius amorem ſuſpiria mea nulli meliùs,quam tibi nota ſunt: ſæpè mihi videbatur non poſſe inueniri,magniq. fluctus cogitationum mearum in Academicorum ſuffragium ferebantur. Sæpè rurſus intuens quantū poteram,* Aug to.6. de vtil. credend. ad Honoratū, cap. 8.

terum, mentem humanam, tam viuacem, tam ſagacem, tam perſpicacem, non putabam latere veritatem: niſi quod in ea quærenda modus lateret, eumq; ipſum modum ab aliqua diuina auctoritate eſſe ſumendũ. Reſtabat quærere, quænam illa eſſet auctoritas; cum in tantis diſſenſionibus ſe quiſque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis ſylua, cui demum inſeri multùm pigebat; atque inter hæc ſine vlla requie, cupiditate requirendi veri animus agitabatur. Diſſuebam me tamen magis, magiſq. ab iſtis, quos iam deſerere propoſueram. Reſtabat autem aliud nihil in tantis periculis, quàm vt diuinam prouidẽtiam lachrymoſis, & miſerabilibus vocibus, vt opem mihi ferret, deprecarer. Atque id ſedulò faciebam &c. Opportuniſſimum ergo me, ac valde docilem tunc inuenire potuiſſet, ſi fuiſſet, qui poſſet docere. Hactenùs Auguſtinus.

Vides (Nobiliſſime Lector) nihil nos in hiſce Apparatibus proprium, ac arbitrarium confinxiſſe, ſed vniuerſa grauiſſimo S. Auguſtini conſilio tibi ſequenda proponi. Atque vtinam poſteriora, quæ hæc ſequũtur verba, animo tibi ita inſculpta ſint, vt ab eo deleri nunquam poſſint. *Hoc ergo modo* (inquit) *& ſimili animæ tuæ cura ſit; diu te quoque afflictum vides, & ſi iam ſatis tibi iactatus videris, finemque huiuſmodi laboribus vis imponere: Sequere viam Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos vſque manauit, & ab hinc ad poſteros emanatura eſt.*

APPARATVS QVINTVS.

VBi verò (Prudentiſſime Lector) veram fidem, ac Religionem Deo intus illuminante, ac miſerante cognoueris. Poſtremum hoc non meum, ſed Dei ipſius conſilium eſt, vt ab ea amplectenda non hominum metus, non ſectariorũ minæ, non Propinquorum amor, non bonorum iactura, non vitæ pericula, non demum incommoda vlla te ipſum deterreant: ſed illam Regnis, ac ſedibus, rebuſq. omnibus præponas, nihilq. diuitias eſſe ducas in comparatione illius. Cuncta Apoſtolus, vt ſtercora, arbitrabatur, vt Chri-

ſtum

ſtum lucrifaceret. Quidni; vt veram fidem, ac Religionem aſſequaris, qua ſola Chriſtum tibi comparare, ac poſsidere potes, vniuerſa contemnere debeas?

Aude (Chriſti pugil) Apprehende fidem, ac vitam æternam, ad quam (Deo miſerante) vocaris. Deus eſt, quem intus vocantem audis. Diuinis te præſidijs tutò committe, Deo confide, Deum ſequere: veramq. fidem, ac Religionem ex animo amplectere: neque vllatenus dubita, quin Deus Opt. Max pro te in acie ſtare debeat. Pugnabit pro te fides. Vincet vera Religio, cedent pericula, ceſſabunt metus, Angeli victoriam canent, cęleſtis corona parabitur: Quid times? Qui te ad beatas ſuperum ſedes vocat, ac Regnis cœleſtibus aptare parat, qua ratione terrena hæc, quæ infima ſunt, in diſcrimen vocabit? Quid verò? ſi pro fide, ſi pro vera Religione, ſi pro Deo, bonorum iactura, carceres, vincula, exilia, vita ipſa cōtemnenda ſit: an non hæc rerum omnium iactura omni eſt poſſeſſione fęlicior? Tot Martyres in hoc Dei certamine, Duces, & Anteſignanos habes: quorum geſta tecum ſummopere commendas, & gloriam æmularis: vt ampliori mihi perſuaſione vtendum non ſit; qua ad veræ Religionis amplexum, ac conſtantiam prouoceris.

Veram denique Religionem poſtquam ſemel amplexatus fueris; nullo vnquam tempore dimittas; ſed eidem perpetuo fidei, atque amoris vinculo inhæreas: Aliena, quæ à varijs huius tempeſtatis Religioniſtis tibi lumina promittuntur, tamquam cimmerias tenebras horreſce: idque velut firmum, & immobile in animo ſtatue, ac propone, Pro luce, hanc ſolam Religionem habere; quandoquidem ea ſola cœleſtis illa lux eſt, quæ prorſus inextinguibilis inter ſectarum tenebras lucet, neque vllam tenebrarum eclipſim vnquam patitur. In quo Salomonem ipſum imitaberis, qui olim de ea ita ſcripſit: *Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.* Sap. 7.

OR-

ORTHODOXAE CONSVLTATIONIS.

De ratione veræ Fidei, & Religionis amplectendæ.

PARS PRIOR.

REGVLA PRIMA.

FIRMISSIME tenè (Fulgentij verbis vtar) *et nullatenus dubita* (verę Fidei, ac Religionis ſtudioſe) *vnam fuiſſe à prima Orbis natiuitate, veram Dei fidem, ac Religionem à Deo Opt. Max inſtitutam: extra quam quandoquidem Deus piè nec colitur, neque adoratur: propterea nemo ſiue Gentilis, ſiue Iudæus, ſiue Hæreticus, ſiue Schiſmaticus, quantumcumque Chriſtum ore ventilet, extra illam, ſalutem conſequi poteſt.*

Diuinam, ſacroſanctam, atque Orthoxam Fidei Regulam, non hominum conſilio excogitatam, aut ingenio elaboratam; ſed ex ipſis Chriſtianæ Religionis penetralibus hauſtam, in hoc Orthodoxæ Conſultationis veſtibulo tibi contemplandam propono; quam omnium ſcripturarum atque Orthodoxorum Patrum conſenſione receptam, velut totius Chriſtianę fidei baſim, ac fundamentum Apoſtoli in ſymbolo ſanxerunt, cùm vnam Eccleſiam, non plures, aut multiplices Eccleſias, ſiue Religiones: non multas, vel diſpertitas fides, quibus variæ Eccleſiæ in orbe ſubſiſtant, Apoſtoli diuino ſpiritu afflati docuerunt: ſed vnam dumtaxat, eamq. vniuerſalem, & Catholicam Religionem, orbem vniuerſum, omnia tempora, omnes populos, omnes homi-

num

num ætates ambientem, certa fide credendam decreuerũt. Lapidem illum apud Danielem, qui ſtatuam olim præ grandem, ac profanam ad fauillam vſque contriuit, Chriſti Regnum, ac Religionem, vate ipſo atteſtante, præſignificaſſe certum eſt, à quo cum multiplex ille idolorum cultus comminutus, ac pœnitus extinctus eſſet, is ſolus Regnum in orbe obtinuit: Ibi enim ita legitur. *Lapis autem, qui percuſſit ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Dan. 2. Porrò hæc, de vnica Chriſti Eccleſia, & Religione quæ per orbem diffundenda erat, intelligenda eſſe, explicat idem vates, cum poſt pauca ſubdit. *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, & conſumabit vniuerſa Regna hæc, & ipſum ſtabit in æternũ.* Qui igitur plures Fides, ac Religiones æque veras, ac diuinas eſſe perſuadent, planè Chriſti Regnum, quod vna dumtaxat fide, ac religione ſubſiſtit, infideliter proſcindunt.

Huc ſpectat, quod de myſtico hoc verę religionis lapide his conſentanea prædixit Iſaias his verbis. *Ecce ego mitto in fundamentum Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, precioſum, in fundamento fundatum: qui crediderit in eum, non confundetur.* Iſa. 28. Equidem non ignoro, huius vaticinij verba à plurimis ad Chriſtum referri, qui idcirco tum à Regio Vate, tum ab Apoſtolo lapis angularis appellatur: Pſal. 117. Epheſ. 2. nihil tamen impedit, quominus ea de Chriſti fide, ac religione, ſine qua Chriſtus apprehēdi nõ poteſt, intelligenda ſentiamus. Veram etenim Chriſtianæ Eccleſiæ lapidem, ac fundamentum eſſe nemo ignorat: Apoſtolo prædicante, fidem ſperandarum eſſe ſubſtantiam rerum, Heb. 11. cui ipſa Eccleſiæ moles innitatur. Hinc B. Petrus ad ipſum religionis ſtatum, in fide Chriſti fundatum, videtur hæc Vatis verba deflectere, quum ait. *In quo, & ipſi, tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpirituales.* Pet. Ep. 1. c. 2. Cum enim fideles in eo religionis ſtatu, qui in Chriſti fide fundatus eſt, ſine dolo, ſimulatio-

Digitized by Google

ne, ac malitia ſtabiles permanere, & creſcere hortaretur: hunc religionis ſtatum primum lapidem appellat, in quo religionis ſoliditas, ac ſtabilitas declaratur: tum ſummum in quo illius vnitas, & excellentia: tum angularem, in quo illius amplitudo, tum electum in quo illius ſanctitas: tum precioſum, in quo ipſius præſtantia; tum demum, in fundamento fundatum, in quo ipſa diuina inſtitutio panditur.

Quod ſi quærat quiſpiam: qua ratione Apoſtolus fidem veræ religionis petram, & fundamentum nuncupet: ea eſt: primum quod abſque fide nulla vera religio eſſe poſsit: tum etiam, quod veræ fidei vnitate ſublata, veram Chriſti Eccleſiam, ac religionem, velut effoſſo fundamento ruere neceſſe ſit.

Quapropter Paulus ad Coloſſenſes ſcribens hanc illis maximè fidei vnitatem commendat his verbis. *Sicut ergo accepiſtis IESVM Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate, radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide, ſicut, & didiciſtis.* Vides hic Apoſtolum duplici argumento neceſſariam hanc fidei vnitatem probare. Primo, ab arboris ſimilitudine, ducto: Etenim cum arborem aliquam in vberẽ ramorũ propagationem interdum excreſcere videas: quid illud eſt, quod tantam, ac tam ingentem ramorum multitudinem alet, fouet, vegetat, conſeruat, atque in vnam arborem coagmentat; nequando aut diſſoluatur, aut intereat? non aliud ſanè, quam quod ijs vna ineſt radix, à qua vna in omnes vita diffunditur. Hinc non immerito Apoſtolus veram religionem cum arbore comparat: in qua cum ingentẽ fidelium propaginem toto orbe diffuſam conſpicere liceat: ſi quærat quiſpiam, quo pacto tanta fidelium multitudo vna duntaxat religione contineri, ac foueri queat? an non ſtatim ad vnam fidem confugiendum erit? quæ velut totius religionis radix, cunctos fideles in ſpem vitæ æternæ alat. Hæc tametſi corpore diſtractos, animo tamen coniunctiſſimos reddit, ac vnos cum Chriſto efficit. Hæc vnam Eccleſiam fidelium ramorum vbertate fœcundã præſtat. Hæc

veram

veram religionem in orbe ſtatuit. Hæc tandem viuos veræ religioni ramos miniſtrat, dum charitate informata, primum vitæ ſpiritum quo ab infidelitatis ſepulchro excitantur, impertit. Quare profundiſſimè nos in fidei vnitate radicari monet Apoſtolus: neque vnquam ab vnius fidei radice diſiungi, vt veræ religionis alumni agnoſcamur.

Altero quoque argumento fidei vniuerſalitatem veræ religionis neceſſariam confirmat: cum addit, *Et ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide,* quod etiam repetit ad Coloſſ. 1. *Si tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles.* Enimuerò cùm in fide nos Paulus ſuperædificari, ac fundari debere monet, fidem proculdubio totius ſuperædificandæ molis fundamentum eſſe decernit. Domus namq. cum à fundamentis erigitur, in plurimos, tum lapides, tum parietes ſe extendit, quibus tandem perfecta conſurgit: at ſi in tanta lapidum, ac parietum diſtinctione ſibi cohærere, & firma, ac ſtabilis eſſe debet, illi fundamento opus eſt, à quo tota domus conſtructio fulciatur. ad Coloſ. 1

Certè nemo ignorat, veræ religionis ſtatum, Chriſtianã Eccleſiam, domum Dei appellari ipſo D. Paulo teſte 1. ad Tim. 3. *vt ſcias* (inquit) *Quomodo te oporteat ambulare in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui.* Hæc fidelium multitudine conſtruitur, qui tanquam lapides viui in ea ſuperædificantur, ex quibus tandem domus ſpiritualis erigitur. At quomodo hæc vera religionis domus, tanta fidelium mole vndique exurgente, firma, ac immobilis eſſe poſſet, niſi ei vnum omnium fundamentum, à quo tota fulciretur, ipſa nimirum fidei vnitas ſubſterneretur? qua totius Eccleſiæ augmentatio fieret, qua etiam illius vnitas indiſſolubilis, & veritas inconcuſſa demonſtraretur. 1. Tim. 3.

Quod luculentius declarat Iudas Apoſtolus in ſua Canonica dicens. *Vos autem chariſſimi ſuperædificate voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei in Spiritu Sancto.* En religionis ædificationem vnius fidei fundamento ſuperpoſita. Cur autem Iudas Spiritum Sanctum fidei ſuperaddat, occulto Iudas in Ep.

ſenſu non vacat: nam cum omnis tam vnitas, quàm veritas à Spiritu Sancto ſit, ſicut fidei vnitatem à Spiritu Sancto nos accipere intelligimus, ita vbicumque fidei vnitas reperitur, ibi veritatem à Spiritu Sancto eſse haud dubitãdum eſt: quapropter nos ipſos fidei ſuperædificare hortatur Apoſtolus; ne quando in nobis fidei vnitas diſsoluatur, atq; ab hac fidei vnitate, quæ à Spiritu Sancto eſt, nunquam dimoueri contingat; quo tandem fiat, vt veritate conuulſa in ſectas, ac Hæreſes diſpertiamur.

Id verò vt manifeſtius fiat, lubet aliam ipſius rationem proſequi, quam tradit ad Romanos ſcribens his verbis. *Sicut in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra.* ad Rom. 12

En quàm apta, & accommodata ſimililitudine, neceſsariam veræ religionis vnitatem Paulus deſcribit. Nam qui noſtram hanc humani corporis molem tam multiplici membrorum varietate compactam intuetur; tantam quoque actuum diuerſitatem ab eo proficiſci, tum alia, atque alia munera ſingula quæque membra obire conſpicit; cum nihil altius contempletur, ſtatim diſcrepantia inter ſe membra bellum inire, actus nulla ratione moderari, denique diſsidijs omnia perturbari arbitratur. At, cum mẽbra vniuerſa in vnum corpus coaleſcere, actus omnes vna virtute regi, ac tandem totum corpus vno ſpiritu gubernari ſapienter animaduertit, nihil præter vnitatem animo concipit, & mirum in modum concordi illa rerum varietate delectatus, ſupremi in ea Opificis ſapientiam admiratur.

Hoc planè modo Apoſtolus veram religionem, veluti maximum quoddam corpus, nobis cõtemplandam prębet; in quo cum plurima fidelium, velut membrorum multitudo, varia quoque diuini cultus genera, ac diſtincta munerum diſpenſatio cernantur: hinc rudes, atque ignari homines religionem, vel varijs ſententijs diſcindi, vel diuerſis fidelium ſtudijs conturbari poſse, facilè arbitrantur. Ex

quo

quo plerique nihil à religione alienum agere ſe putant, ſi varias in ea ſectas. & Eccleſias conſtituant. Quos tamen æquum eſset, rem accuratius perpendere. Cum enim vera religio ordinatiſſimum quoddam corpus ſit à Deo conditore ſapientiſsimè elaboratum, cuius mēbra fideles ſunt, vndique in vnam Eccleſiam, vna fide, vna ſpe, vna Sacramentorum communione, vna tandem Euangelij prædicatione collecti: quis in eo plura, ac diſsecta corpora conſtituere, vel diſtinctas Eccleſias, ac diſcordes inter ſe religiones, abſque ſummi Opificis iniuria collocare valeat? Quibus religio ne dum tot corporibus monſtruoſa appareat; verum etiam perpetuis, ac inteſtinis tot Eccleſiarum inter ſe diſsidijs dilaceretur. Nulli dubium eſt (Lector) quin Chriſtus totius religionis Caput ſit à Patre inſtitutum. At ſi plures Eccleſiæ, ac religiones in Orbe conſtituantur, an non plura quoque religionum corpora ſub Chriſto multiplicari opus erit? Ex quo alterum ex his incommodum accidere neceſse ſit: nimirum, aut aliquod religionis corpus ſine capite permanere (vnum quippe caput pluribus corporibus aptari non poteſt) ac proinde religionem ſine capite, monſtri potius, quam religionis formam præſeferre: aut Chriſtum, qui vnicum Caput eſt, pleraq. ſibi religionis corpora inter ſe pugnantia coaceruare. At, quid horribilius, atque monſtruoſius excogitari poteſt, quam vnicum caput pluribus corporibus præeſse? ac multa corpora ſub vno tantum capite moueri? Quare, ſi vnum caput vni dūtaxat corpori coaptari naturæ conſentaneum eſt, id quoque credendum eſt, religionis corpus vni duntaxat capiti eſse copulandum.

Porrò, ſi cauſam expetas (Lector) cur vna tantum religio, ęquè ac vna Eccleſia in orbe agnoſcenda ſit, eā præclarè reddit idem Apoſtolus, ita ad Epheſios ſcribens. *Solliciti* (inquit) *ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtra:* Epheſ. 4.

Digitized by Google

ſtræ: vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium.

Perpende (Lector) Apoſtolum, non vnam tantum modò, ſed plures, atque grauiſſimas huius rei cauſas explicare, quas tum ex Chriſti, tum ex Fidei, tum ex Baptiſmatis, tum ex Dei vnitate colligit: *vnus Dominus* (inquit) *vna Fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium*. In primis nulli dubium eſt, vnum Chriſtum, vnius tantummodo religionis eſſe Auctorem, ac propterea duntaxat religione, in qua colatur, contentum eſſe: quod ex eo potiſsimum elicimus; quòd Chriſtus, tum ſponſus, tum caput Eccleſiæ nuncupatur. Quo fit, vt vna quoque Chriſti ſponſa, & vnum Chriſti corpus, ac proinde vna tantum Eccleſia eſſe debeat.

Hinc illud in primis apud te velut certiſsimum ſtatue, qui cunque ad Chriſtum pertinent, ab hac vna Eccleſia Chriſti ſponſa genitos eſſe oportere, atque ab ipſa ali, & foueri debere. Quod ſi qui fortè ab ea ingeniti non fuerint, vel aliunde ſe Chriſti eſſe dixerint, quocumque nomine cenſeantur, legitimos Chriſti filios eſſe non poſſe: ſed ſpurios, ac adulterinos eſſe cenſendos; cum hanc vnam Eccleſiam, quæ Chriſti ſponſa eſt, matrem non agnoſcant. Atque huc ſpectat, quod Cyprianus ait: *Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem, caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſeruat: hæc filios Regno, quos generauit, aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus, adulteræ iungitur, à promiſsis Eccleſiæ ſeparatur; nec pertinet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti: alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Dominum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.*

Cypr. de vnit. Eccl.

Alterum quoque tibi in animo repone, quòd cum vnũ ſit Eccleſiæ corpus, in quo vniuerſa fidelium membra ſub Chriſto capite debent coaleſcere: ſi qui ab hoc corpore ſeipſos diuellant, ſeque in ipſius vnitate non contineant,

pro-

protinus, velut areſacta membra à veræ religionis corpore præſcindi, atque omni vitæ æternæ ſpe orbatos, in perpetuum interitum ruere neceſſe eſt.

Id præclarè annuit Auguſtinus, his verbis: *Contingit, vt in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidatur membrũ, manus, digitus, pes; nunquid præciſum ſequitur anima? Cum in corpore eſſet, viuebat; præciſum, amittit vitam: ſic, & homo Chriſtianus, Catholicus eſt, dum in corpore viuit; præciſus, Hæreticus factus eſt: membrum amputatum non ſequitur ſpiritus.* Auguſt.ſ.r. 188.de tẽp.

Propterea ipſa Fidei vnitas, ſecunda cauſa eſt, cur vna quoque Eccleſia, ac religio eſſe debeat. Cum enim, perſpicuum ſit ex Apoſtolo, nos vnica fide, ad vnum Deum accedere: (Vera etenim fides, vt notum eſt, vnum Deum reſpicit, ad quem, velut ad obiectum, tendit; atque hac ratione Apoſtolus, vnam fidem, ac vnum Deum commendat) inde neceſſariò colligimus, vnam tantummodo Eccleſiam eſſe oportere, quæ vno fidei ſpiritu genita, ac imbuta, vnum Deum vera religione colat: quam rationẽ confirmat Auguſtinus, cum ita ſcribit. *Antea gentes, multæ gentes, modo vna gens. Quare vna gens, quia vna fides, quia vna ſpes, quia vna charitas, quia vna expectatio.* Auguſt. Pſalm. 1

Tertia quoque cauſa eſt: vnitas Baptiſmi. *vna fides* (inquit) *vnum Baptiſma*. Quis enim Baptiſmum ſicut fidei, ita & veræ religionis exordium eſſe ignorat? ſicubi namq. fides, & vera religio reperitur, eam à Baptiſmo exordiri neceſsè eſt; id Domino apud Matthæum atteſtante, cum ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Quo fit, vt Chriſti Eccleſia, quæ vera fide tamquam propria forma ſubſiſtit, aliunde quàm à Baptiſmo incipere non potuerit. Quod cum ita ſit, planè conſtat, quòd cum vna tantum fides ſit, quam omnes in Baptiſmo profitentur, vnus quoque Baptiſmus, quo fideles in Chriſti membra coaptantur; eo quoque vnum, ac indiuiſum Eccleſiæ corpus conſtituatur: in quod fideles omnes velut in vnum corpus connecti neceſse eſt, vt Pauli teſtimonium obtineat, dicentis. *Etenim* Matth. 28.

1.Cor.12. *nim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles*.

Denique, Dei ipſius vnitas ex Apoſtolo poſtrema cauſa eſt, cur & vna tantum Eccleſia agnoſci debeat: Deum enim rerum omnium principium, ac vltimum finem eſſe omnibus certa fide compertum eſt; quæ fides cum hominis animum imbuerit, quodam velut ſtimulo illum excitat, vt Deum, quem naturæ, & gratiæ Auctorem non ignorat, vnica, ac certa religione colat, & quem vnicum, ac poſtremum omnium finem agnoſcit, in eum ſimplici, & irrequieto mentis motu, ac propenſione feratur. Et quidem nulli dubium eſt, ſi plura principia, & plures vltimi rerum fines conſtituerentur, quin plures quoque fides, quę cuiq. principio reſponderent, ac tot propenſiones, quot fines vltimi eſſent, nobis inditæ forent: quo ſanè fieret, vt nec diſſentaneum eſſet, tot Deos venerari, quot tum fides, tum propenſiones in animo vigerent: ac proinde nihil omnino prohiberet, tot nos religiones, & Eccleſias confingere, quot rerum principia, ac vltimi fines præſtituerentur. At verò cum Deus Optimus, Maximus vnicum rerum principium, atque vltimus finis ſit, qui diuina fide à nobis apprehenditur; hinc vnicam tantum Eccleſiam, ac religionem eſſe opus eſt, in qua vnus Deus rectè, ac piè colatur. Quæ ratio ab Auguſtino hiſce verbis illuſtratur. *vnus enim Deus* (inquit) *vna fides, vnum Baptiſma, vna incorrupta Catholica Eccleſia, non in qua ſola vnus Deus colitur, ſed in qua ſola vnus Deus piè colitur*.

Aug. ſt. ad Creſc. lib. 1. cap. 29.

Verum illud Pauli teſtimonium, quod paulò ante à nobis prælibatum fuit, paulò accuratius expendamus. *Etenim* (inquit) *in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui ſiue liberi; & omnes in vno ſpiritu potati ſumus*. Plurima (Lector) ac diuerſa in humano corpore, tum membra, tum membrorum operationes conſpiciuntur; quibus cum diſtinctus ſit operationis modus, vna tamen omnibus ineſt operandi ratio, quæ ab

1.Cor.12.

vno

vno ſpiritu fluit: eò fit, vt humanum corpus, tametſi in multa membra diſpertitum ſit, vnum tamen eſſe dicatur. Vndè nam, igitur, humanum corpus vnum ſit, oportet? Id ſane non aliundè oritur, quam quòd vnus omnibus corporis membris ſpiritus præeſt, cuius Imperio gubernantur.

Hoc ipſum, & in myſtico veræ religionis corpore ſapiẽter contemplari debes. Cum enim vniuerſi per Baptiſmũ in vnam veræ religionis ſocietatem vocati, vnius corporis formam aſsequuti ſimus: ſi quæras, quanàm id ratione, aut factum fuerit, aut fieri neceſſe ſit; nulla alia ſanè excogitari poteſt, quã quod vnum fidei ſpiritum cunctis Eccleſiæ mẽbris neceſſariò præeſſe debere intelligimus; à quo vniuerſa regantur, atque eidem corpori aſſocientur. Habet igitur corpus ſpiritũ ſuum, quo ſeipſum tuetur, quo duce, ac rectore operatur, quo moderante cuncti membrorum motus ad vnum ſibi propoſitum finem diriguntur; quo tandem impellente vniuerſa membra mutuo ſocietatis vinculo colligata, in vnum corpus coaleſcunt. Habet, & vera religio ſuum fidei ſpiritum, quo Eccleſiæ corpus viuit, alitur, augetur, quo inſtruitur, quo in vnitate continetur.

Iam verò (Prudentiſſime Lector) ex hac humani corporis ſimilitudine, quid in diuerſarum religionum pluralitate, ac diſſimilitudine monſtri accidere debeat, diligenter intuere. Primùm tibi aliquod humanum corpus, quale cuiuslibet hominis eſſe ſolet, ante oculos pone; tum apud te ipſum cogita, quo pacto corpus illud afficeretur, ſi plures in eo ſpiritus præſiderent. Heu, quibus tunc motibus corpus quateretur? Qualibus affectibus diſcinderetur animus, cum tot rectores ſpiritus inter ſe diuerſa vellent, ac ſentirent? Cui nam parendum eſſet? Cuius imperio obtemperandum, cum appoſita, ac repugnantia præſcriberent? An non ſeditionibus, ac inteſtinis bellis, hominis Rempublicam diſcindi, & cuncta vi, ac violentia inuolui oporteret?

Id planè in religione accidere opus eſt, ſi plures religionum ſpiritus in Eccleſiæ corpore dominentur. Etenim,

C cum

cum quiſque ſibi veræ religionis ſceptrum vſurpare contendat; quiſque Principatum in Eccleſia ambiat; quiſque ſenſu ſuo abundare velit; quiſque proprias leges ſuæ religioni conſonas ferat; quiſque cultus ſuos à cæteris diſsidentes inſtituere, cæremonias vel tollere, vel docere, propria dogmata condere, religionis ſuæ diſciplinas tradere geſtiat. Quis amabò, diſſenſionum finis erit? Cui ſpiritui obtemperandum, cum aduerſam quiſque fidem, ac religionem expellat, diris deuoueat, anathematizet? Et vi potius, quam ratione ad ſe cuncta violenter trahat? Quæſo, quo pacto in tanta hac ſpirituum multiplicitate, ac inteſtino bello vera religio poteſt ſalua conſiſtere?

Hic (amantiſsime Lector) expergiſcere, paululumque oculos erige: neque enim longè abſunt exempla. Num ab hac re alienum eſt, quod hac noſtra tempeſtate apud religioniſtas accidiſſe vides? cum nonnulli religionem ita inter ſe diſpertiuntur, vt quilibet ſuam ſibi religionis ſectam conſtituat, quilibet ſuum religionis ſpiritum extollat; quilibet ſuam fidem ab alijs diſſentaneam prædicet; ac tandem quilibet tot in Eccleſiæ corpore ſpiritus conſtituat, quot diſſentientes ab alijs fides, ac religiones diſſeminat. Ex quo, id illis accidere opus eſt, quod Corinthijs adhuc Neophitis, & Chriſtianæ religionis imperitis, olim Paulus

1. Cor. 1. accidiſſe narrat, cum ait: *Significatum eſt mihi, fratres mei, de Vobis, ab his qui ſunt chloes; quia contentiones ſunt inter vos. Ego autem dico, quòd vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti: Diuiſus eſt Chriſtus?* Hoc planè modo, & illis obtigiſſe videas, qui vbi ſemel à Catholicæ Eccleſiæ corpore receſſerunt, mox diſpertita fide, & ſacra, & neceſſaria veræ religionis vnitate diſciſſa, eò meliorem religionis partem quiſque ſibi vendicare exiſtimauit, quò inſigniorem errorum Magiſtrum ſortitus fuit. Quò fit, vt hic quidem Lutheri, ille Caluini, alter Zuuinglij, alius Oſiandri; hi Puritani, illi Proteſtantes eſſe iactent. Atqui Apoſtolum eos grauiter

ter obiurgantem audiant: Numquid diuiſus eſt Chriſtus? Num diuiſa Chriſti religio? Num diſpertita fides? Num multiplex Eccleſia? Si vnus toti Eccleſiæ corpori veræ fidei ſpiritus præeſſe debet, cur mutuis in fide diſsidijs religionem inter ſe digladiantur? Ita vt id illis eueniſse videatur, quod Iſraelitis quondam Dei deſertoribus contigiſse refert ſacra Regum Hiſtoria, dum ait: *Vnaquaque gens fabricata eſt Deum ſuum, &c. Viri Babilonij fecerunt Socothbenot, viri autem Cutthai fecerunt Nergel, & viri de Emath fecerunt Aſima.* Catholica enim religione pulſa, Vuittembergenſes fecerunt ſibi Lutherum, viri Geneuenſes Caluinum, viri Baſileenſes Oecolampadium, viri Tigurini Zuuinglium, Ienenſes Illiricum, Pruſſienſes Oſiandrum, Lipſenſes Maiorem, Puritani Caluinum, Proteſtantes Caluinopapiſmum. En, quo pacto diuiſo Chriſto, ac diſciſso veræ, ac vnius religionis corpore, religionum pluralitas paſsim in orbe graſſari cœpit. 4. Reg 17.

Denique ex illo Pauli teſtimonio, tertia quoq; ratio deſumitur, ex qua veræ religionis vnitas colligi poteſt, nimirum ex viſibili capite, quod viſibili Eccleſiæ corpori præeſse debet: nam quemadmodum vnius corporis membra, quamuis in vnum corpus coaleſcant, nuſquam tamen, niſi in capite, perfectam vnitatem aſsequuntur: ita veræ religionis membra, tametſi in vnum corpus conſpirent, nunquam tamen plenam, ac perfectam vnitatem ſibi comparant, quàm cum vni capiti ſubijciuntur, cuius imperio regi, ac duci patiuntur.

Conſtat enim in vno animantis corpore, nunquam in vnum poſse conſpirare omnia, niſi vnum ſit in capite motus principium, quo rectore, ac duce vniuerſa, quę in corpore membra ſunt, ſuis motibus diſponantur. Quod etiam in qualibet bene conſtituta Ciuitate, ſiue Republica, aut familia conſpicere licet, quæ certo quodam moderatore egent, cuius auctoritate, atque imperio varij officiorum gradus diſponantur, vt publica, ac domeſtica res certo or-

Digitized by Google

dine ad communem omnium vtilitatem conſpiret. Cùm etiam ipſa rei veritas loquatur, in omni ſocietatis humanæ genere id requiri: vt ſi vnitas, ac concordia ſeruãda ſit, certa lege ad vnum referantur omnia, quo vno inter multos pax, & vnitas conciliari, ac conſeruari poteſt: Planè dubitandum non eſt, quin ſapientiſſimus Deus, qui prouidentiſſimam ſuæ Eccleſiæ curam gerit, vtpotè quæ illius Regnũ, Ciuitas, Reſpublica, ac domus eſt, eam ita diſpoſuerit, vt abſoluto, conſummatoq. ordine ad Rectoris, ac Præſidis vnitatem reduxerit: itaut ſub Chriſto primùm tanquam primario, ac inuiſibili capite, deinde ſub Romano Pontifice, viſibili Pręſide eſſe voluerit, vt illius vnitati, ac concordiæ prouideret: neque enim ſine viſibili capite, ac Rectore tam immenſa, atque adeò vaſta in orbem vniuerſum diffuſa fidelium multitudo, in ſolidum hunc vnius religionis, fidei, ac doctrinæ conſenſum, qualem in Romana religione cernimus, conſpirare potuiſſet.

Neque tamen hic aduerſariorum murmur magnifacimus, qui ex præfato teſtimonio Apoſtoli aſtruere conãtur, nullum pręter Chriſtum verę religionis caput agnoſcendũ eſſe, cum affirmet Apoſtolus. Nos vnum corpus eſſe in Chriſto; ac pręterea datum eſſe Chriſtum caput ſuper omnem Eccleſiam, & fideles velut membra in Chriſto creſcere debere: neque enim vnquam Paulus Romani Pontificis meminit, neque nos vnum corpus eſſe in Romano Pontifice, neque datum eſſe Romanum Pontificem caput ſuper omnem Eccleſiam, neque tandem nos in Romano Pontifice, velut mẽbra in capite, creſcere debere aſſeruit Paulus. At verò nos, quod Apoſtolus ait, Chriſtum eſſe Eccleſiæ caput, lubenter amplectimur, ac liberiùs profitemur; quod verò ipſi aiunt, ſolum Chriſtum eſſe Eccleſię caput, & nullum aliud ſub Chriſto in Eccleſia tolerandum eſſe, Caluiniana, ac Lutherana eſt additio, quam idcircò longè expellimus, quòd ea nihil Apoſtolicum, aut Euangelicum; ſed Caluiniſticum tantum, ac Lutheriſticum continet: Vnde enim

enim

enim aduerſarij ex Apoſtolo ſpuriam hanc conſequentiam colligunt? Chriſtus eſt caput Eccleſiæ: ergo nullum aliud ſub Chriſto eſt caput Eccleſiæ. Perinde enim eſt, ac ſi dicerent, Chriſtus eſt homo, ergo nullus alius eſt homo præter Chriſtum; Chriſtus eſt Deus, igitur pręter Chriſtum nulla alia perſona diuina eſt Deus, non Pater, non Spiritus Sanctus; Chriſtus eſt Rex, igitur nullus alius eſt Rex præter Chriſtum, non Gallorum, non Hiſpanorum. Rex imperat, ergo nullus alius præter Regem imperat, non Prorex, non Magiſtratus, non Conſul. Hoc modo inſipidi arguunt Aduerſarij; cum ex eo, quod Apoſtolus docet Chriſtum eſſe caput Eccleſię, inde inferunt, nullum ſub Chriſto ſuffraganeum, ac miniſteriale caput in Eccleſia eſſe poſſe.

At ſi Pauli teſtimonium rectè aduerſarij expendiſſent, perſpexiſſent profectò, quoties Paulus Chriſtum Eccleſiæ caput, nosq. illius membra eſſe affirmat, toties erga Romanum Pontificem, qui Chriſti in Eccleſia vices gerit, à nobis obedientiam exigere: nam cum is velut Vicarium, ac ſuffraganeum caput, Chriſti ſupremi capitis perſonam, & auctoritatem in terris referat, nulli dubitandum eſt, eam nos illi ſubiectionem debere, quæ Chriſto ipſi, ſi nobiſcum in Eccleſia verſaretur, deferenda foret; eo tamen diſcrimine conſtituto, quod Chriſtus primum, ac ſupremum eſt Eccleſiæ caput, Pontifex tantum miniſteriale.

Nam quemadmodum Prorex à Rege conſtitutus regiā perſonam, ac poteſtatem refert: & Regis nomine, quæcunque ad ſuum munus ſpectant, molitur: ita Romanus Pontifex à Chriſto pro caput in Eccleſia conſtitutus, cū Chriſti perſonam, ac poteſtatem præſeferat, ac pro Chriſto in Eccleſia viſibiliter pręſideat, cunctaq. quę ad Pontificium munus pertinent, Chriſti nomine perficiat: ſanè ęquum eſt, omnia Eccleſię membra illius imperio ſubijci, atque ab eo velut ab ipſo Chriſto pendere. Quo fit, vt à mente Pauli haud alienum fuiſſe dixerim, cum ait. Multos nos vnum corpus eſſe in Chriſto, & in Chriſto, qui eſt caput, nos

velut

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

velut membra creſcere debere, ipſum quoque Romanum Pontificem, qui Chriſti perſonam in Eccleſia gerit, inſinuaſse, ac cum Chriſto coniunctum intellexiſſe. Hanc vnitatem, quę perpetuo in Eccleſia veteri ſeruata fuit, primus in Chriſtiana Chriſtus inſtituit: cum ſeipſum viſibilem Paſtorem exhibuit: tum vni Petro Eccleſiam totam ſubiecit illis verbis. *Paſce oues meas.* quibus verbis, fidelium gregem ſibi, & cum vno viſibili paſtore vnitum eſſe debere declarauit. Quapropter Cyprianus Eccleſiam haud aliud eſse cenſet, quàm gregem ſuo Paſtori vnitum, ſed quoniã de hoc viſibili capite alibi fuſius agendum eſt, hęc obiter dicta ſufficiant.

Ioan. 21.

Poſtremò quàm cunctis exhorrenda ſit religionum pluralitas (Prudentiſſime Lector) diſce ex eodem Apoſtolo, qui veræ religionis finem in eo ſitum eſse declarat: *vt vnanimes, inquit, & vno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini noſtri IESV Chriſti.* Hic enim potiſsimus eſt veræ religionis ſcopus: vt quicumque Eccleſiæ corpori aſsociantur, in id omni ſtudio laborent, vt vna, ac concordi omnium uoluntate, fide, religione, uelut uno ore, Deum Optimum Max. colant.

Rom. 15.

Porro, qui plures, ac multiplices religiones inter ſe diſcordes ęquè coli poſse docent: quo pacto in Dei cultu vnanimes eſſe poſſunt? quo (obſecro) ore, Deum honorificant? vno? Abſit. vnaquęque enim Religio os ſuum habet, quo ſuam fidem commendat, quo ſua dogmata extollit, quo cęrimonias laudat, quo ſe ipſam prę cęteris magnificat, quo Deo tandem obmurmurat. Tot igitur ora ſolui neceſse eſt, quot Religiones ſeſe efferunt: quę cum inter ſe, tam nomine, quam re, ac inſtitutione diſcrepẽt, qualem denique Deo concentum eas edere exiſtimas? Non alium ſanè, pręterquam ſtrepitum, ac diſsonum murmur.

Fortè quidem te aliquando meminiſse contingat, plebem, vel timore perterritam, vel inſolito alicuius rei euentu perculſam, acclamantem audiuiſse, cui cum ea tantummodo

modo clamoris ratio cuique inſeruiat, quam ipſe inęqualis cuiuſq. animi impetus pellit, nihil pręter confuſum, & infauſtum ſonitum reddit. Huic ſimillimum eſt tot Religionũ, ac ſectarum, quę per orbem curſitant, clamoroſum murmur: nam, cum hę in nulla, aut fidei, aut doctrinę vnitate conſpirent, ſed id tantummodo, quod proprij ſpiritus impetus miniſtrat, diſſonantibus prorſus doctrinarum clamoribus, conciſè eructent: an nõ illas Deo potius obmurmurare, quã ipſũ, aut honore, aut laude aliqua proſequi ſẽties?

Hac igitur fidei regula conſtituta: ſi qua fides, aut religio ſeſe offerat, quæ veræ fidei, ac religionis vnitatem diſcerpere, plures, ac multiplices fides, ac religiones æquè veras, ac legitimas in orbe ſtatuere, altare contra Dei Altare erigere ſtudeat; ita vt docere audeat, quamlibet fidẽ, & religionem adeò cuiq. homini baptizato liberam eſſe, vt dummodo is fundamentum, quod eſt Chriſtus, ſiue ſalutẽ per Chriſtum, retineat, quamcumque ſiue Caluini, ſiue Lutheri, ſiue Zuuinglij, ſiue Huſſitarum, ſiue Puritanorum; ſiue alterius nominis fidem, ac religionem tutò amplecti, atque in ea ſalutem conſequi poſſit. Quid prudentiſſime Lector, num eam veram fidem, ac religionem eſſe vlla vnquam ratione tibi in animum induces? An non potius apertam perfidiam, & diabolicã ſectam aduerſus omnem veram fidem, ac religionem ſeſe efferentẽ eſſe deprehendes, quam exhorrendam potius, ac deteſtandam, necnon toto orbe exterminandam cenſeas?

Hanc impietatem olim orbi propinauit Caluinus, Inſtit. lib. 4. cap. 1. §. 12. & cap. 2. §. 12. & poſt eum Theodorus Beza in Iconibus, Paulus Eberus in Annal. Eccleſ., Philippus de Mornay in tractatu de Eccleſia cap. 11. Iſaac Cheironius aduerſus Porſanum, Antonius Faius Miniſter Geneuenſis in Enchirid. diſputat. 24. cap. 22. Confeſſio Heluetica Tiguri impreſſa anno 1565. in præfatione, Kalendarium Geneuenſe Biblijs affixum: qui vno ſenſu affirmant, diſcrepantiam in doctrina fidei, quæ inter diuerſarum ſe-

ctarum

Digitized by Google

ctarum auctores, & alumnos graſſatur, modo Chriſtus nō negetur, veram fidem, ac religionem non minuere: quod perinde eſt, ac ſi doceant, vnam fidem, atque vnam Eccleſiam homini adeò neceſſariam non eſſe, quin extra ipſam ſaluari queat. Ita vnus pro omnibus Antonius Faius loco citato ſcribit. *Notandum eſt etiam* (ait) *in Eccleſia vitia quædam poſſe obrepere, vel in Sacramentorum adminiſtratione, vel etiam in doctrina, nec tamen deſinere eſſe Eccleſiam, modò fundamentum retineatur, quod eſt Chriſtus, ſeu ſalus per Chriſtum.*

Ant. Faius in Enchir. d ſput. 24. cap. 22.

Hinc Theodorus Beza, hinc Eberus, hinc Mornay, hinc Kalendarium Geneuenſe, cuiuslibet ſectæ Hæreſiarchas, tanquam Apoſtolos commendant: & diuerſarum ſectarum hæreticos, paſſim per omnes Europæ partes extremo ſupplicio affectos, velut Chriſti martyres, ſummis laudibus efferunt. Hinc confeſſio Heluetica integram cum cæteris omnibus ſectariorum Eccleſijs ſocietatem ſe ſeruare profitetur: quò ſanè omnium fidem, ac religionem tametſi in multis, ac præcipuis fidei dogmatibus diſcordem, tanquam veram, ac diuinam probant.

Quid hac doctrina pernicioſius? quidue in diuinas ſcripturas contumelioſius excogitari poteſt, quàm ſectis, & hæreſibus ita veræ religionis nomen imponere, vt quilibet in ea, quam ſibi fingit, ſuperſtitione, ſalutem adipiſci queat? Quid? ſi alterius altera eſt fides? ſi diſcrepantia dogmata? ſi diſſentiens doctrina? ſi contraria omnino religio? Quo pacto vtraque fides, ac religio ad ſalutem via eſſe poteſt? ſi quod vna affirmat, altera negat; quod altera amplectitur, altera anathematizat; quod hæc prohibet, illa imperat: qua ratione in vtriſque fidei veritas, quæ vna eſt, & à qua totius ſalutis fundamentum pendet, ſalua eſſe poteſt? Certè Paulus, cum ad Romanos ſcribens, ait: *Reuelatur ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiã hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinẽt*; quid aliud annuit, præterquam ſeueriſſimam Dei vindictam, ac ter-

Rom. 1.

terribilem quandam expectationem Iudicij ijs imminere, qui diuinam fidei veritatem in errorum perfidia detinẽtes, vnam Chriſti Eccleſiam deſerunt, & veram religionem cum ſectis commutant?

Et cum hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuitandum iubet, ob id potiſſimum, quòd ſubuerſus, & proprio iudicio condemnatus eſt: quid niſi æternam damnationem ſectarijs varias religiones colentibus minatur? An non ad Hæreticos, ac Religioniſtas illa Chriſti vox ſpectat: *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum?* ad Tit. 3. Matth. 13.

Quòd ſi huius rei, veteris Eccleſiæ fides exquiritur, quid ea luculentius? Cum vniuerſi penè priorum ſæculorum Patres vnam fidem, & unam Eccleſiam adeò homini neceſſariã eſse docuerint, ut extra illam nulli prorſus ſpem ullam ſalutis reliquerint. Cyprianus integrum librum de Eccleſiæ unitate ſcripſit, in quo uarijs argumentis probat fidei, & Eccleſiæ Catholicæ unitatem adeò homini neceſſariam eſse, ut aſserere non uereatur, non habere Deum, Patrem, qui non habet Eccleſiam, Matrem. Tertullianus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Epiphanius, Optatus, Iuſtinus, Hieronymus (quos conſultò, ut breuitati ſtudeã, prætereo) hoc ipſum diſertè proſequuntur.

At omnium doctiſſimè Fulgentius totam hanc Regulã ad Fidei Canonem perſtringit, de fide ad Petrum, his uerbis: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites quemlibet Hæreticum, ſiue ſchiſmaticum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizatum ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcumque eleemoſynas fecerit, & ſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari.* Fulgen. de fid. ad Pet.

Iam uerò cum Lutheriſtarum, Caluinianorum, atque omnium ferè ſectariorum conuentus, ab hac impietate, quæ omnem ueram fidem, ac religionem conuellit, non abhorreant: ſed uelut ſacrum, ac diuinum colant, & do-

ceant: num eorum tibi fides, ac Religio ſequenda ſit: tu (Aequiſsime Lector) Iudex eſto.

REGVLA SECVNDA.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenus dubita* (ueræ fidei, ac Religionis indagator) *ueram Chriſti fidem, & Religionem, ex quo ſemel ab eo inſtituta fuit, nunquam erroribus extinctam, nunquam Hæreſum tenebris ſepultam, nūquam intermortuam, nunquam denique corruptam, atque deformem fuiſſe: ita vt noua reformatione indiguerit.*

Conſtantiſsima apud ſcripturas, & apud Patres, ſemper fuit hæc fidei Regula, cuius nobis primus Auctor eſt Chri-
Matth. 16. ſtus, Matthæi 16. ubi Petrum alloquens ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Perpetuam in fide conſtantiam his uerbis Chriſtus duplici ratione Eccleſię pollicetur. Prima eſt, quum Eccleſiam ſuper petram ędificandam fore aſseuerat. Non ignoro, Caluinum priora illa uerba ita interpretari; quaſi Chriſtus ſeipſum petram illam eſse indicauerit, ſuper quam Eccleſiam ſe ędificaturum eſse affirmat: ita ut hęc uerba hunc ſenſum reddant. *Et ſuper hāc petram*, ſcilicet me ipſum, *ædificabo Eccleſiam meam*. Nec pugno, quin Chriſtus petra, & Eccleſię fundamentum ab
1. Cor. 10. Apoſtolo nuncupetur 1. ad Corinth. *Petra autem erat Chri-*
1. Cor. 3. *ſtus*: tum in eadem Epiſtola cap. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, niſi quod poſitum eſt, Chriſtus IESVS.* tametſi
Epheſ. 2. in Epiſtola ad Epheſios Apoſtoli quoque, & Prophetę ab eo alia ratione Eccleſię fundamenta dicantur: nimirum, quia eorum doctrina Chriſtianę fidei baſis eſt, & fundamētum. Illud uero tantum contendo, ſi uerba non ex libidine, ſed ex genuino Chriſti ſenſu interpretanda ſint, Petrā hāc, de qua in hoc teſtimonio agitur, nullo modo ad Chriſtum referri poſse. Perpende uerba (Prudētiſsime Lector)

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (inquit) *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; ſi Chriſtus ſeipſum Eccleſię petram, ac fundamentum his uerbis aſſerere uoluiſset: Quare uerba illa pręmiſiſſet. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*? quę uerę confeſsionis, quę in Petro pręceſſerat, pręmiũ aliquod indicant, à Chriſto illi conferendum: ut docet Hilarius in Matthęum ita ſcribens: *Et dignum planè confeſſio Petri præmium conſequuta eſt, quia Dei Filium in homine vidiſſet &c. O in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaq. ædificatione illius petra &c.* Cur potius aduerſatiua dictione, *At*, quam coniunctiua, *Et*, uſus non fuit? ut conſtantem, ac prioribus uerbis cohęrentem aliquem ſuę ſententię ſenſum ſeruaret: ita ut hunc ſenſum pręferret. Et ego quidem dico tibi. *Quia tu es Petrus*. At *ſuper hanc petram*, ideſt me ipſum, *ædificabo Eccleſiam meam*. Qui sẽſus, tametſi ęgre prioribus poſteriora uerba copularet, ferri nihilominus poſset: ueruntamen cum non aduerſatiuam, *At*, uel *Sed*, ſed copulatiuam coniunctionem, *Et*, Chriſtus expreſserit: ſanè perſpicuum eſt, hunc Chriſti uerbis ſenſũ ineſse, ut Petrus, tum propter cęleſtis luminis donũ, beatus: tum ob pręclaram fidei confeſsionem, quam omnium Apoſtolorum primus protulit, Eccleſię petra, ac fundamentum aſseratur: quę omnium ferè antiquorum Patrum eſt ſententia, quam unus pro omnibus tradit Clemens Primus Epiſtola ad Iacobum his uerbis: *Simon Petrus vera fidei merito, & prædicationis obtentu fundamentum Eccleſiæ eſſe, definitus eſt.* Hęc obiter de huius loci interpretatione attingere uolui. Quod enim ad rem propoſitam pertinet, uterque ſenſus, perennem Eccleſię in uera fide ſtabilitatem maximè confirmat.

S.Hilar. in Matt. c. 16

Clem. epi. ad Iacob.

Etenim, ſiue Eccleſia ſuper petram ędificanda aſſeratur: Cum Petrus is ſit, cui aliquando à Chriſto dictũ fuit. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua* (quem locũ fuſius infra examinabimus) atque in Petro, uelut in capite, totius Eccleſię fides muniatur: inde exploratum eſt, Eccleſiam ſuper

Luc. 22. Ciril. Alex lib. 4. Dial. de Trinit.

Digitized by Google

hac inexpugnabili fidei petra ędificatam, ſemper in fide ſtabilem, & incolumem futuram: quam interpretationem tradit Cirillus Alexādrinus. *Petram* (inquit) *opinor per agnominationem, nihil aliud, quàm inconcuſſam, & firmiſſimam Diſcipuli fidem vocauit, in qua Eccleſia Chriſti ita firmata, & fundata eſſet, vt non laberetur, & eſſet inexpugnabilis inferorum portis, in perpetuum manens*. His conſentanea ſcribũt Leo Magnus, Euſebius Cęſarienſis, & Gregorius Magnus.

Leo Mag. ſ. r. 2. in n· tiu. Apoſtol. Petr. & Paul. Euſeb. Cęſarien. de eod. Euan. lib. 4. c. 19. S. Greg. in Pſ. 5. Pęnit. Matth. 7.

Si uerò Eccleſiam ſuper Chriſtum ædificatam intelligas: inde fortior Eccleſiæ in fide firmitas exurgit: quæ enim in Chriſto fundata eſt, quo pacto in ipſo fidei fundamento ruere poteſt, quæ Chriſtum immobile fundamentum ſibi vendicat?

Hinc de domo illa, ſuper firmam petram fundata, qua Eccleſiam ſignificari, ex præcedenti teſtimonio omnibus manifeſtum eſt, ita ſcribit Matthæus: *Deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram*. Ingruẽtibus namq. Tyrannorum turbinibus, ſeua debacchante hæreſum tempeſtate, exurgentibus undique perſecutionũ procellis, toto denique terrarum orbe aduerſus eam olim conſpirante, Catholica Eccleſia adeò ſemper in fide immota permanſit, vt ab ea nulla vi dimoueri vnquam potuerit; quod ipſa temporum, ac hiſtoriarum Eccleſiaſticarum ſeries facilè declarat.

Alterum argumentum ex poſterioribus verbis colligitur, cum ſubditur: *Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam:* nimirum Eccleſiam, de qua tunc agebatur. Quid luculentius? (Lector ſuauiſſime) quid hoc Chriſti teſtimonio præclarius? Quis Eccleſiæ fundamentũ dirui, ac euerti poſſe ſibi perſuadeat, quod præpotens, ac inuicta Dei virtus tam immobile præſtat, vt inferi portę illud effodere, atque aduerſus id præualere nunquam poſſint? ſiue enim portas inferi cum Hieronymo, generalem in Eccleſia vitiorum corruptionem interpretemur: ſiue cum Epiphanio,

hæ-

Digitized by Google

hæreſum auctores intelligamus, qui tartari fores hominibus aperiunt: ſiue cum Gregorio, ipſas hæreſes, quibus aditus ad inferos panditur: ſiue cum Theophilacto, temporales Eccleſiæ perſequutiones: vel demum cum cęteris, dæmonum in Eccleſiam conatus eſſe, credamus: An non vndique vera Fides, ac Religio tam firma, ac immobilis in orbe conſtituitur; vt niſi quis vanam, & fallacem Chriſti promiſſionem eſſe, noua infidelitate ſibi in animo fingere voluerit, eam nullo vnquam tempore dilabi, aut intermori poſſe, certa fide ſibi perſuadere debeat? Ita hunc locum exponit Iſidorus Peluſiota antiquiſſimus Pater, qui quarto poſt Chriſtum ſæculo ſcripſit: *Per inferi portas*(inquit)*diuinus ſermo impiorum hominum cætus, atque hæreſum blaſphemias intelligit, quibus omnibus obſiſtens Dei Eccleſia, eas quidem frangit, & expugnat: ab ijs autem vinci non poteſt*. Cui adſtipulatur Damaſcenus his verbis: *Aduerſus hanc (*Eccleſiæ fidem) *inferorum portæ, hæreticorum ora, dæmonum organa, impetum quidem facient, ſed non præualebunt; arma quidem induent, ſed non expugnabunt: ſagittæ paruulorum plagæ eorum fuerunt, & erũt*. Hinc Leo Magnus hæc Chriſti verba explanans. *Super hanc* (inquit) *fortitudinem æternum extructum templum: & Eccleſiæ meæ cælo inſeranda ſublimitas in huius fidei firmitate conſurget: hanc confeſſionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt*. Iſid.Peluſit lib.1.epiſt. 238. Damaſcen. orat.deTrã ſfig. Dom. Leo Mag. ſer.2. in natal.Apo. Petr.& Pauli.

Aliud æquè illuſtre huius rei teſtimonium legitur apud Lucam, cap. 22. vbi Saluator ad Petrum conuerſus, ait: *Simon, Simõ, ecce ſathanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Excute (Generoſe Lector) omne ab animo erga Romanam Sedem, ac Catholicam Religionem odium (ſi quod fortè conceptum habes) candidèq. diuinum hunc ſcripturæ locum mecum perpende; vt hinc quoque diuinam huius Regulæ veritatẽ aſſequaris. Duplex ex hoc teſtimonio, ad hanc fidei Regulam confirmandam, argumentum colligo. Primum eſt, Luc. 22.

quod

quod Chriſtus pro Petri tantùm, non pro Ioann is, au Iacobi, aut aliorũ Apoſtolorum fide orat, ne deficiat. Quid eſt (Lector) quòd cũ Ioannes, & Iacobus, ac reliqui Apoſtoli æquè, ac Petrus Chriſti Diſcipuli eſſent, atque ęquè ad illius curam pertinerent, nihilominus Chriſtus tanta, ac tam ſingulari erga Petrum ſolicitudine premitur, vt pro ipſius tantum, non pro aliorum fide oret? Diſce, eo planè inſinuari, Petrum totius Chriſtianæ Religionis Caput ab eo inſtituendum fore, cuius fides ad totius Eccleſię incolumitatem ſufficeret: eo planè modo, quo capitis ſanitas ad totius corporis incolumitatem conferre ſolet. Nam ſi capitis incolumitate ſublata, cuncta corporis membra in morbum reſoluantur, neceſſe eſt; qua reſtituta, illa ad priſtinam valetudinem redeunt: ita ſi fidem in Apoſtolico capite, ex quo in Eccleſiæ membra diffundenda eſt, ita minui, ac labefactari contingeret, vt erroris Magiſter fieret: cui dubium eſt, quin Eccleſiæ corpus errorum, atque hæreſum contagione tabeſceret? Hac certè ratione, non alia, Chriſtus tã egregiè pro Petri, non pro aliorũ fide orãdo laborat, quam integram, ac perpetuò incolumem eſſe decernit; nempe, vt ſeruata capitis fide, qua totius Eccleſiæ corpus imbuitur, omnium fidem incolumem ſeruaret. Hinc Auctor quæſtionum Noui, & Veteris Teſtamenti apud Auguſtinum: *Pro Petro rogabat* (inquit) *& pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam: manifeſtum eſt in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur: ſemper enim in Prępoſito populus, aut laudatur, aut corripitur.*

In q. q. vet. & nou. Teſtam. q. 75

Vide (Lector) in Petro, tanquam in Eccleſiæ capite, ac Præpoſito, ac proinde in Romano Pontifice Petri ſucceſſore, Eccleſiæ fidem perpetuò ſtabiliri: quo fit, vt qui locũ hunc ad ſingularem Petri, vt priuati hominis, fidem inuitum pertrahunt, omnem prorſus huius loci veritatem euertant.

Id verò, vt tibi luculentius fiat, priora teſtimonij verba

dili-

diligenter expende. Dixerat enim Chriſtus: *Simon, Simon, ecce ſathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum*. Quid? An hæc variata ſermonis ſeries, qua Chriſtus Simonem alloquens, multitudinis numerũ, præter omnem loquendi vſum, vſurpat: dum ait: *Simon ecce ſathanas expetiuit vos &c.* myſterio vacare credenda eſt? Abſit: neque enim, quod in ſermone vitium eſt, Chriſto affigi debet. Quorsùm igitur id? Profectò nulla alia huius rei ratio eſſe poteſt, quàm quòd Chriſtus ita Petri perſonam alloquitur, vt in eo, velut in capite, ac ſubrogato Paſtore, totam Eccleſiam intueretur. Idcircò Petrum alloquens, cum ſingulari pluralem numerum copulat, vt fidelium multitudinem, in Petro, tanquam in Paſtore contineri: & poſteriora illius verba ad ipſum, velut Eccleſiæ caput, referenda indicaret.

Audi (Lector) Expetierat ſathanas Apoſtolorum omnium fidem Crucis ſcandalo euertere, vt ſimul totam Eccleſiæ fidem proſterneret. At Chriſtus, quid? Pro ſola Petri fide orat; vt illum, velut Eccleſiæ caput, à cæteris diſcernat: eiuſq. fidem ſemper integrã, ſemper incolumem, ſemper ſtabilem eſse decernit: vt ſalua, ac ſartatecta capitis fide, omnium fides incolumis ſeruaretur. *Ego autem* (inquit) *rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*. Sat enim erat, vt ſana fides, ac perpetua in Petro, atque Romanis Pontificibus Petri ſucceſſoribus maneret, vt inde perennis in Eccleſiæ membra diffunderetur.

Hunc ſenſum Leo Magnus, qui quarto poſt Chriſtũ ſęculo doctrina, ac ſanctimonia floruit, egregiè proſequitur, his verbis: *Commune erat omnibus periculum de tentatione formidinis: & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus, omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro Petri fide propriè ſupplicatur: tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur.* Leo 1. ſer. de Nat. Apoſt. Petr. & Paul.

Vides (Aequiſſime Lector) me non extortas, non violentas

lentas, non denique prioribus ſæculis inauditas, ſacrorũ locorum interpretationes obtrudere: ſed eas tantùm vrgere, quæ ab antiquiſsimis, æquè, ac ſanctiſsimis Patribus traditę, auctoritatem ex communi Eccleſię Catholicę cõſenſu acceperunt. Ex quibus facilè addiſcere valeas, veram Chriſti Eccleſiam nunquam interijſse, neque à vera vnquam fide defeciſse.

Verùm, lubet alterum ex hoc teſtimonio, ad hanc fidei Regulam confirmandam, argumentum proſequi; quod ex poſterioribus verbis oritur, cum Petro dicitur: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Quid enim hoc fratrum confirmandorum munere, Petro, non alijs Apoſtolis collato, aliud indicari exiſtimandum eſt; præterquam Petro, ac proinde Romano Pontifici ipſius ſucceſsori tanquam Eccleſiæ capiti, ac Magiſtro veræ fidei magiſterium traditum eſſe; à quo Eccleſia veram fidem addiſcere, ac perpetuam in ea ſtabilitatem expectare debeat? Quæſo, perpende verba: *Tu* (inquit) non Iacobus, non Ioannes, non alius Apoſtolorum, qui inter fratres cenſentur; ſed *Tu*, cui indefectibile fidei donum, velut capiti, collatum eſt, vt illam in membra diffundas, *confirma*, docendo, declarando, definiendo, quæ ad fidei, ac morum doctrinam ſpectant, *fratres tuos*: eos nimirum, qui fidei conſanguinitate tibi ſunt coniuncti, Chriſtianum populum, fidelium gregem, Eccleſiam in vna fide congregandam; tibi enim, non alijs, id muneris demandatum eſt. Nam & ſi alij quoque Apoſtoli Chriſti fidem prædicandam ſuſceperint: ijs tamen fides, ita vt perpetua Pontificum ſucceſsione in Eccleſiam diffunderetur, minimè à Deo collata fuit. Quo fit, vt eorum Cathedræ, ac ſucceſsio tandem interierint; ſoli autem Petro perpetua ſucceſsio, ac fidei indefectibilis Cathedra tradita fuit, vt in perenni fidei doctrina Eccleſiam confirmaret. Vide, quæ Theophilactus, & Bernardus in hũc locum ediſſerunt: neque enim, omnia huc congerere, huius libelli breuitas fert. Ex quibus tandem illud confice

ſice (Lector) quod, ſi in Petro, ac Romanis Pōtificibus Petri ſucceſſoribus (ne fides cum Petro interijſse credatur) indeficientis fidei Cathedra, ex qua Eccleſiam docerent, & in fide confirmarent, inſtituta fuit, Eccleſia in fide errare, aut interire nunquam potuerit.

His ſcripturarum oraculis adde, ſi placet, præclarum illud Chriſti teſtimonium, quod legitur Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.* Quò apertè Spiritus Sanctus perpetuus, ac indiuiduus Eccleſiæ comes promittitur; vt omnem illam fidei veritatem doceat, quæ ad perfectam Fidelium inſtructionem neceſſaria eſt. Cui illuſtriſsimum illud Iſaiæ vaticinium adamuſsim reſpōdet, cum ait: *Cum venerit Sion Redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recident de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, à modo, & vſque in ſem iternum.* En quàm apertè declarat Vates Spiritum Sanctum, qui in Chriſto fuit, perpetuò in Eccleſia futurum; & verbum fidei, quod ſemel ex eius ore manauit, nunquam ab ore Eccleſiæ receſſurum: *A modo* (inquit) *& vſque in ſempiternum:* vt ſemper vera credere, vera docere, vera defi ire, ac totius tandem veritatis magiſtra eſſe crederetur. Quid clarius? quid luculentius ad perpetuam Eccleſiæ fidem aſseuerandam dici potuit? Ioan. 14. Iſai. 59.

Adde, & illud Matthæi vltimo capite, quo Chriſtus ſe indiuulſum Eccleſiæ ſocium, ac ſponſum pollicetur: *Ecce ego vobiſcum ſum* (inquit) *omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* At cui dubium eſſe poteſt, quin Chriſti cum Eccleſia coniugium, quod Fide conſummatum fuit, perpetuum, ac indiſsolubile futurum ſit? Cum id apertè Deus per Oſeam declarauerit, his verbis: *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & in iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te* Math. 28. Oſeæ 2.

Digitized by Google

mihi in fide. Neque enim aliud eſt, Eccleſiam in fide Chriſto deſponſari, quàm Eccleſiam perpetuò, ac indiſsolubili Fidei vinculo Chriſto copulari. At quis indiſsolubile hoc fidei vinculum cęleſti matrimonio firmatum, diſsolui vnquã poſse exiſtimet? Hinc rectè Cyprianus exclamat: *Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit.*

Cypr. de vnit. Eccl.

Adde poſtremò, vt cętera prætercam, Apoſtoli teſtimonium his verbis ad Timotheum ſcribentis: *Vt ſcias*(inquit) *Quomodò te oporteat conuerſari in domo Dei, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.* En (Lector) Eccleſiam, quæ Dei domus eſt, ab Apoſtolo columnam, & firmamentum veritatis, appellatã. Ea quippe eſt, quæ ad fidei veritatem aduerſus hæreſes tuendam, inexpugnabile à Deo robur ſortita eſt, quæ indefectibilis fidei donum in ſuo capite accepit; quæ fidei magiſterium in Petro nacta, ſemper vera docet; quæ Chriſti ſpiritu ſemper afflata, indelebilem ſuis fidei, & morum definitionibus veritatem coniunctam habet; quæ fidei coniugio Chriſto copulata à veritatis amplexu nullo tempore poteſt diſcedere; quæ tandem ſuis humeris totam Fidei veritatem regit, ac ſuſtentat.

1. Tim. 3.

Nam, quemadmodum ædificij moles columnę aut fundamento innixa, tandiù integra ſubſiſtit, quandiù ab ijs regitur, ac ſuſtentatur: hoc ſanè pacto, & Fidei veritas in Eccleſia labi non poteſt; ſed ſalua ſemper, ac ſarta tecta maneat, neceſsè eſt, quandiù firmiſſimis Eccleſiæ humeris fulcitur, quibus tandem inconcuſſa redditur.

Plura (ſapientiſsime Lector) ſi te fortè de hac re audire delectet, & copioſiùs exarata, tàm ſcripturarum oracula, quàm Patrum teſtimonia, & argumenta in ſecundo noſtrarum Demonſtrationum tomo collecta reperies: quæ hic tantùm breuiter indicare volui, ne breuis operis metas excederem: ea tamen ſufficere debent, vt ex his velut certum, & indubitatum tibi in animum inducas: veram Chriſti Eccleſiam, ex quo à Chriſto fundata, atque inſtituta fuit,

Dem. tom. 2. lib. 1. demon. 8. per 5. ar. & lib. 3. dem. 8. per 4. art.

fuit, ſemper glorioſam, ſine vlla errorum macula, aut ruga (vt Apoſtoli verbis vtar) in orbe floruiſſe; nec vllis vnquam hæreſum tenebris obſcuratam fuiſſe.

Sed quid pluribus opus eſt? Quod vnum & idem eſt, integrum ſemper fuiſſe oportet: nam ſi, aut corruptum, aut immutatum aliquando fuerit: iam non idem eſt, ſed alterum: quod ſi alterum; duo ergo ſunt, non vnum. Domum etenim, ſi corruere contigerit, tametſi denuò extructa fuerit, haud vnam ſemper extitiſſe iudicamus; quandoquidē prior illa corrupta, eadem cum poſteriori eſſe non poteſt. Arbor quoque, ſi ſemel præciſa fuerit, licet altera ex radice pullulet, vna appellari non poteſt; cum non eadem, ſed alia ſit.

Ita Fidem, veluti præclaram quãdam domum, intueri licet, in fideliũ cordibus extructam, in qua cum Chriſto vniuerſa Eccleſia habitat, teſte Apoſtolo, ad Ephef. 3. *Orantes Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris:* quæ cum ab ipſo mundi exordio à fundamentis erecta fuerit: atque in Chriſto aucta, ac propagata, in eo ſemper integra, ac firma ſtare debet. Quòd ſi eam funditus corruere poſſe credimus: malè profectò de illius vnitate ſentimus, quam ſupremo ipſius caſu diſcerpimus: neque enim ea, iuxta Apoſtolicam Regulam, vna dici poſſet, quamuis denuò inſtaurata, ſi integra ſemper non fuit. adEpheſ. 3

Eandem quoque velut excelſam Arborem (Lector) cōtemplari potes, vſque ad cœli verticem pertingentem, quæ Dei verbo plantata, paſsim in immenſas ramorum propagines excreſcit, dum per totum Orbem diffuſa à fidelium multitudine colitur. Ab hac quamuis pleriq. rami præciſi fuerint: ij nimirũ, qui in hæreſim prolapſi, ſeipſos ab Eccleſia diuulſerunt. Ipſa tamen Fidei Arbor in Chriſto fixa, vna, ac ſtabilis ſēper eſſe debet, vt vna appellari queat. Nam ſi ea ſemel corrupta, ac præciſa fuerit: licet rurſum germinauerit, vna tamen, nec eadem eſſe poteſt: cum primam illam vnitatem amiſerit, quæ ipſius exciſione corru-

pta eſt. Quamobrem cum vna, ac integra ſemper eſſe debeat; perpetuò quoque incorruptam ad extremum vſque Orbis interitum permanere, neceſſe eſt.

Cæterum, vt hanc fidei Regulam, non nuperam, aut paucis ab hinc annis à nobis genitam, aut excogitatam exiſtimes: ſed antiquo, ac perpetuo veræ Eccleſiæ conſenſu traditam, & confirmatam addiſcas; nonnullos duntaxat prioris Eccleſiæ Patres, qui ante quingenteſimum annum docuerunt: quo tempore vera Eccleſia, ac ſana doctrina, ex Caluini placito, in orbe vigebat; ex quàm plurimis huc prouocandos duxi, vt, quid vetus Eccleſia ante prætenſum illius occaſum de hoc dogmate ſenſerit, non ignores.

Mart. epiſt. ad Burdegal.

Martialis, qui vir Apoſtolicus fuit, & proximus Apoſtolorum temporibus, de Eccleſia agens, ita ſcribit in Epiſtola ad Burdegalenſes: *Firma Eccleſia Dei, & Chriſti, nec cadere, nec dirumpi poterit vnquam.* Quæ igitur, nec cadere, nec dirūpi poteſt, quomodo reformari, aut inſtaurari valet?

Cypr. de vnit. Eccl.

Cyprianum in ſecundo ſæculo audiuimus exclamātem: *Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti; incorrupta eſt, & pudica.* Malè igitur fidei adulterium, Lutherani, Puritani, Caluiniſtæ, & Proteſtantes illi impingunt.

Ambr. lib. 4 Exam. c. 2.

Ambroſium tertij ſæculi Patrem audi docentem: *Eccleſia tempora ſua habet perſequutionis, & pacis. Nam videtur; ſicut luna, deficere: ſed non deficit. Obumbrari poteſt, deficere non poteſt.* Et alibi: *Et ſi vndarum fluctibus, & procellis ſæpè vexatur, tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium.* Quid igitur in fide naufragam, ac erroribus obrutam ſibi fingūt?

Ibid. li. de Salom. c. 4

Hier. ad c. 4. Iſai.

Porrò vox Hieronymi ex eodem ſæculo perſonantis eſt: *Super petram fundata Eccleſia, nulla tempeſtate cōcutitur, nullo turbine, ventiſq. ſubuertitur.* Idem alibi; *Eccleſia dicitur: Surge, illuminare; vt quæ cecidit in incredulis, ſurgat in Fidelibus; quæ cecidit in ſynagogis, ſurgat in Eccleſiis, & poſtquam ſurrexerit, illuminetur: vt nequaquam habeat erroris tenebras.* Quomodo ergo, erroribus oppreſſa, ac in hæreſum tenebris ſepulta à Proteſtantibus creditur?

Id. ad cap. 60.

Sed

Sed Athanaſium adhuc Hieronymo priorem audiamus, illa verba Matthæi explicantem: *Tu es Petrus* &c. *& portæ inferi* &c. *Fidelis* (inquit) *ſermo, & non vacillans promiſsio, & Eccleſia inuicta res eſt; etiam ſi infernus ipſe commoueatur: & ſi qui in inferno ſunt, mundi Principes, & tenebrarum, tumultum faciant.* Athan. ora quod vnus eſt Chriſt.

Præclarè quoque eadem tempeſtate id cõfirmat Theophilus Alexandrinus, Epiſtola ad Epiphaniũ, quæ eſt apud Hieronymum epiſt. 67. *Dominus* (ait) *qui locutus eſt ad Prophetam: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & Regna, &c. ſingulis temporibus eandem Eccleſiæ ſuæ largitur gratiam, vt integrum corpus conſeruetur, & in nullo Hæreticorum dogmatum venena præualeant.* Erubeſcant itaque, qui Eccleſiam, ita à Deo derelictam tradunt, quòd hæreſum venenis infecta tandem perierit. Theophil. Alex. epiſt. ad Epiph.

Chryſoſtomum, Auguſtinum, Lactantium, Hilarium, Leonem, Proſperum, atque alios plerosq. Patres prætereo, ne inſtitutam breuitatem excedam. Hæc tamen (ſuauiſsime Lector) tibi ſufficiant, vt, concordem in hac Fidei Regula veteris Eccleſiæ conſenſum eſse, tibi perſuadeas.

His itaque ita demonſtratis (Lector) aures, animumq. ad veritatem para: ab eaq. mentis propenſione, quæ tibi ex longa, ac diuturna Lutheriſtarum, ſeu Caluinianorum, ſiue aliorum Religioniſtarum conſuetudine, ac ſocietate, velut naturæ indita fuit, paululum caput erigens, Lutheriſtarum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, ac cæterarum Eccleſiarum Religionẽ, vera, quæ tibi ex ſacrarum ſcripturarum fonte modò obiecta eſt, luce intuere; tecumq. (ſi placet) hanc rationem ini.

Veram Eccleſiam ſanctam, & Catholicam credere, tam certus, ac perſpicuus fidei articulus eſt, in ſimbolo ab Apoſtolis traditus. *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam.* vt eum nemo, niſi Infidelis, aut Hæreticus audeat conuellere. Id quoque certum eſt; hãc de Eccleſia Fidem, cũctis orbis ætatibus adeo neceſsariam eſse; vt quicumque ſuperioribus

bus Eccleſiæ tẽporibus, vel ante nos fuerunt, vel poſt nos futuri ſunt, ſinguli haud ſecus hanc fidem profiteri debuerint, ac in poſterum debeant, quàm ipſam ſummæ Trinitatis Fidem, ac cæteros fidei articulos, qui in eodem ſymbolo continentur, in confeſso habent. Igitur cùm hæc de Eccleſia fides omnes omnium ſæculorũ homines perſtringat: velut certiſsimum ſtatuendum eſt, Eccleſiam ſemper fuiſse, ſemper eſse, ſemperq. futuram eſse ſanctam, & Catholicam. Quemadmodum, & de alijs Fidei articulis idem prorſus credendum eſt; id euincit Petrus Chriſologus antiquus Pater ita ſcribens: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam: vt confitearis Eccleſiam, Chriſti ſponſam in perpetua Chriſti ſocietate eſse manſuram*; neque enim vera Fides eſt vnius, vel alterius temporis; ſed omnium temporum: vt ſequenti Regula explicabimus.

Pet. Chryſol. ſer. 61.

Quod cum ita ſit: Iam Lutheriſtas, Caluiniſtas, Proteſtantes, Puritanos, ac cæteros Religioniſtas, quocunque nomine cenſeantur, interroga: quonam pacto eorum Religio, quæ ab hoc eſsentiali Fidei articulo planè exorbitat; cum docet, veram Eccleſiã aliquando interijſse, nec ſemper ſanctam, ſed errorum, ac hæreſum labe diu deformatã, tandem à Luthero, & Caluino reformatam fuiſse, vera eſſe poſsit? Cum enim vera Religio, veram, & Apoſtolicam Fidem doceat, & inconcuſsam ſeruet; quid eſt, quod Caluiniſtarum, Lutheranorum, atque aliorum Religio Apoſtolicum dogma (ſine quo vera fides, ac Religio eſſe non poteſt) velut gladio confodit? Neque enim in ea orbis tempeſtate, in qua Eccleſiam erroribus proſtratam, velut mortuam iacentem ſibi fingunt, vera huius Apoſtolici articuli Fides erat, aut vera illa Fidei propoſitio eſſe poterat, *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, cùm tunc Eccleſia non eſſet; nec ſancta, aut Catholica credi poſſet. Quo fit, vt hi apertum cum Apoſtolis bellum gerãt: ſi quidem Apoſtoli id in ſymbolo credendum præſcribunt: Credo Eccleſiam ſemper ſanctam, & Catholicam. Caluiniſtę verò, & alij contra

tra credendum iubent. Credo Eccleſiam, nec ſanctam, nec Catholicam ſemper fuiſſe.

Iam verò, quòd non modo Lutheranorum, Caluiniſtarum, Puritanorum &c. ſed etiam Proteſtantium Eccleſia, hanc, aduerſus Apoſtolicam fidem, doctrinam profiteatur; tametſi id ex Caluini, Lutheri, Zuuinglij, & cæterorum ſectariorum ſcriptis, è quibus ea ſuam fidem, & doctrinam hauſit, oſtendere liceat: id tamen ex ipſo Religionis nomine, quo ſe reformatam Eccleſiam colere gloriantur, apertiſſimum eſt. Nam Theodorus Beza in Iconibus, primos per Europam Apoſtolos fuiſſe prædicat, Ioannem Huſſum, & Lutherum in Germania; Zuuinglium, & Oecolampadium in Heluetia; Sauonarolam in Italia; Farellum, & Caluinum in Gallia, Vuiclefum, & Bucerum in Anglia; Onoxum, & Buchananum in Scotia: à quibus collapſam Religionem inſtauratam fuiſſe autumat.

At animaduerte (Lector) quàm falſa, & impoſſibilia doceant, dum Eccleſiam Chriſti ab his reformatam eſſe contendunt: & quidem in primis certum eſt ex Apoſtolo, Eccleſiam nunquam veris Paſtoribus, ac Doctoribus poſſe deſtitui: fixa enim Dei promiſſio eſt, eiuſdem verbis luculenter expreſſa: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Euangeliſtas, quoſdam autem Prophetas, alios Paſtores, & Doctores in conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti, done occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei.* Epheſ. 4. At hi, cum Eccleſiæ reformationem ſibi vendicant, id planè aduerſus Apoſtolum contendũt, vt Eccleſiam diù veris Paſtoribus, ac Doctoribus caruiſſe perſuadeant: quod Apoſtolus, ex Chriſti promiſſione, impoſsibile aſſeuerat.

Tria ſiquidem in hac reformatione tempora diſtinguenda ſunt. Primum eſt, Eccleſiæ formatæ, ſeu inſtitutæ. Secundum, Eccleſiæ deformatæ, ſeu deſtitutæ. Tertium, Eccleſiæ reformatæ, ſeu reſtitutæ. Primum Eccleſiæ tempus, quidquid Lutherus, & alij ſecus ſenſerint, Caluinus ad

quin-

Caluin. Inſtit. li. 4. c 17. §. 49. & epiſt. ad Sadoletum. quingenteſimum duntaxat annum, nimirum ad Gregorij tempora perueniſſe, affirmat. Deinceps Eccleſiam erroribus deformatam, vera Fidei doctrina per mille circiter annos deſtitutam fuiſſe, ac proinde intermortuam iacuiſſe (quod ſecundum Eccleſiæ tempus complectitur) ſectarij vniuerſi docēt; donec à Luthero, Caluino, Zuuinglio, Vuiclefo, Bucero, & alijs, quos nouos orbis Apoſtolos vocāt, iterum Eccleſia reformata, ac priſtinæ Fidei reſtituta fuit. Quo fit, vt ex Proteſtantium, Lutheranorum, Caluinianorum, & Puritanorum doctrina, Eccleſia per mille, & amplius annos veris Paſtoribus, ac Doctoribus, qui in Eccleſia vndique erroribus corrupta eſſe non poterant, caruerit.

An non id eſt (Prudentiſſime Lector) veram Apoſtoli doctrinam ad ſolum vſque proſternere, & Chriſti promiſſiones, quæ Cœlo ſolidiores ſunt, euertere? Equidem, cũ Eccleſiam Chriſtus cum agro comparauerit; in quo bonũ Religionis ſemen, hæreſum zizanijs permixtum, vſque ad iudicij meſſem, ſeruandum iubet; an non apertè cũ Chriſto pugnant, ac pœnitus incredibilia perſuadent, qui Eccleſię agrum, verę Fidei tritico euulſo, per tot annorum circulos totum hæreſum zizanijs opertum tradunt? An non id eſt, aduerſus irrefragabile Dei verbum petulanter inſoleſcere: cum ex Arcâ Domini, triticum, ex veræ Religionis ſagena, bonos piſces, ex Eccleſiaſtico ouili, agnos, ex Dei domo, vaſa aurea, ex Eccleſiæ conuiuio, bonos, tandem à Chriſti nuptijs prudentes virgines expellere audeāt? Hoc ſe planè ſcelere contaminant, qui Eccleſiam, ſine vera Fidei doctrina, per tot annorum cēturias deformem ſibi fingunt; quam etiam ſe reformaſſe iactant. Hoccinè veræ Religionis inſigne (Prudens Lector) Eccleſiæ Regnũ, quod per omnia orbis tempora incorruptibile, & inconcuſſum, Daniel Dei ſpiritu afflatus, Chriſto pollicitus fuerat, cùm diceret: *Suſcitabit Deus cœli Regnum, quod non deſtruetur, & Regnum eius alteri non tradetur &c. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius, quod non corrumpetur.* Dan. 7.

petur. Quòd ne, de Eccleſiæ Chriſti Regno hæc intellig', quis dubitet, id Angelus Deiparę Virgini confirmat, his verbis: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*. Quod tandem Illuſtriſſimum in orbe futurum, Vates vniuerſi prędicauerunt; adeò labile, & dirutum; ita obſcurum, ac deforme in orbe ſtatuere; quod vix ortum, ita erroribus, ac ſuperſtitionibus corruptum fuerit, vt ad illud rurſus excitandum, ac inſtaurandum, poſt tot temporum curricula nouis reformatoribus opus fuerit? Luc. I.

Quònam igitùr abijt pręclariſsimus ille Eccleſię Chriſtianę ſplendor, tam ſeriò à Vatibus celebratus? Illa verę Religionis maieſtas, per cunctas orbis tempeſtates diffundenda? Copioſus ille populorum concurſus, vndique iuxta Iſaię vaticinium ad Eccleſiam vocandus? Hanc ne illuſtriſsimam Eccleſię gloriam tam citò, tamquam exitiali caſu extinctā fuiſse, credendum eſt; vt Eccleſia vix quingentos annos nata, cum à Tyrannorum perſecutionibus iam reſpirare inciperet, & certam promiſsę glorię ſpem, poſt grauiſsimas tentationum tempeſtates, iam animo cōciperet; protinus hęreſum gladijs confoſsa, ſupremum diē, non niſi poſt multas annorum centurias excitanda, obierit? An non hęc audire animus horret; quę tamen Lutheriſtę, Caluiniſtę, Puritani, & Proteſtantes, velut ſacra Fidei dogmata, tibi credenda proponunt?

At horribiliora vrgeo. Nā cum veram Religionem ita deformem in orbe ſtatuunt, vt ea nouis Apoſtolis ad ſuam reformationem indiguerit; planè indigna de Dei ſapientia ſentiunt. Id enim eos fateri neceſsè eſt; veram Eccleſiā, quę hæreſū impugnatione ex Dei verbo illuſtrior fieri debuit, tandem hæreſum triumphis victam ceſsiſse. Et quid tandem ex eo nobis colligendum relinquunt, prætèrquam dæmonum artes, ac præſentiam contra inuictum Dei robur præualuiſse, quo Eccleſiam aduerſus inferorum portas munierat? Deiq. iubentis imperium, quo veræ Religionis triticum vſque ad meſsem creſcere decreuerat, id obtine-

re non potuiſſe, vt hæreſum zizanijs vndique obrutum nō fuerit? Quid quòd Dei domum, quam totius veritatis in orbe columnam, ac firmamentum eſſe oportebat: vtpotè in immobili Fidei rupe fundatam, ſolo æquant, ac proſternunt: Chriſti ſponſam perpetuo Fidei coniugio eidem copulatam, cōſtuprant; ſtabile Regnum, quod nullo vnquam tempore diſsipandum fuerat, Chriſto eripiunt, atque hæreſibus vndique deuaſtatum exterminant. Quid plura? Eccleſiam Chriſti, quam vbique Scripturæ illuſtrem, glorioſam, pulchram, ſine macula, aut ruga, ſanctam, & Catholicam commendant; ipſi noua infidelitate ignobilem, obſcuram, deformem, errorum maculis vndique aſperſam, rugoſam, impuram, adulteram prædicant. Denique, cui non horrendum videri debet; Eccleſiam, cùm iam adoleſcere, ac pubeſcere inciperet, vt matura Chriſti amplexibus adhæreret, ab eo ita repudiatam fuiſſe; vt ipſam omnibus donis ſpoliatam, ſine Fide, ſine Spe, ſine Charitate, ſine Religione, ſine vero Sacramentorum vſu, ſine legitima verbi prædicatione, ſine peccatorum remiſſione, demum abſque vlla Eccleſiæ forma, quæ illam ab Hæreticorum ſectis diſcerneret, pœnitus deſeruerit?

Eia (Benigniſsime Lector) iam candidis oculis intuere; num vera, nū Apoſtolica, num diuina illa Religio ſit, quæ diuinam ſcripturarum fidem proſcribit? quæ omnem Religionem ab orbe expellit? quæ Chriſti Eccleſiam proſternit? & cum in Dei Maieſtatem ſit blaſphema, reformatæ tamen Eccleſiæ nomen, ac titulum ſibi vſurpat? quem nullo iure, tametſi ab ipſius legibus petito, ſibi vendicare poteſt.

Patere, obſecro (Lector æquiſſime) vt extremo argumento, velut gladio à Proteſtantibus, ac alijs Religioniſtis mutuato, ipſos confodiam. Etenim, grauiſsimum apud ipſos præceptum extare, ac peremptoria lege cautum eſſe, ne quid abſque ſcripturarum, ac diuini Verbi auctoritate ad Fidem vocetur, lippis, & tonſoribus notum eſt. At quod

nam

nam inter eos grauius, ac principalius dogma excogitari poteſt, quàm quod de Religionis reformatione circumferũt? à quo totius ipſorum Fidei, ac Religionis ſumma certiſsimè pendet? Quod ſanè adeò neceſſarium exiſtimare debent; vt ſi id è medio tollatur, aut certa fide non apprehendatur, omnem illorum fidem, ac reformationem perire neceſsè ſit. Iam verò ab ipſis percunctor: quo diuini Verbi oraculo, qua ſcriptura, quo Apoſtolo, hoc de neceſſaria Eccleſiæ reformatione dogma, verum eſſe ſtatuãt? Vbi nam de Catholico Eccleſiæ caſu, ac ipſius reformatione in ſcripturis agatur? Proferant, ſi quod habent, Dei Verbum, quo id nobis probent, vel credibile efficiant? Quòd ſi omnia illis ſcripturarum ſilent oracula: Patrum ſaltem Orthodoxorum teſtimonia vrgeant; quibus ſuam Eccleſiæ reformationem veram eſſe confirment. Quòd ſi Patrum auctoritate pœnitus deſtituuntur, argumenta demum, rationes, congruentias, vel ex Eccleſiæ natura, ac conditione, quæ viciſſitudines patiatur; vel ex alio Eccleſiæ lapſu, ac reformatione, quibus ea olim ſubiecta fuerit, ductas depromant. Verùm cum neque ex Dei Verbo, neque ex Apoſtolicis traditionibus, neque ex Patribus, neque vllis veris argumentis, aut rationibus probare valeãt, veram Chriſti Religionem cadere, & reformari poſſe, ſiue ab eis profectam reformationem veram, ac legitimam credendam eſſe; iuſtè profectò illos in ius voco, & ad tuum ipſius iudicium (Cãdidiſsime Lector) vniuerſos prouoco: vt, cur potiſsimũ fidei dogma aduerſus inſtitutę Reformationis leges, ſine Dei verbo ſcripto, aut non ſcripto, ſine diuina aliqua auctoritate, ſine Patribus, ſine Teſte temerè tibi propoſuerint, & credendum perſuaſerint, rationem reddant.

Quod ſi ſuam Religionis reformationẽ ad Fidei dogmata minus pertinere dicant; quamquam id minimè aſſerere debeant: nam ſi prima Eccleſiæ fundatio, ac inſtitutio ita ſub Fidei dogmate comprehenditur, vt ea certiſsima fide

F 2 credi

Digitized by Google

credi debeat; cur eiuſdem reſtitutionem, ac reformationem, quę nouā Fidei, ac Religionis formationem inſinuat, æqua ratione ſub Fidei præcepto minimè credendam proponent? At eſto: ad Fidem non pertineat. Iam tibi (Prudens Lector) credere liberum erit: num reformata (vt vocant) Caluiniſtarum, Lutheranorum, Proteſtantium, Puritanorum, & aliorum Religio vera ſit, an falſa: Cùm verò nullo fidei præcepto apud eos lato, ad eam veram credendam tenearis: planè ex his, quæ hactenus, tum ex ſcripturis, tum ex Patribus orthodoxis, tum etiam præclaris rationibus tibi demonſtrata ſunt, facilè addiſcere potes: Lutheriſtarum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, atque aliorum Religioniſtarum Fidem, ac Religionem verā eſſe non poſſe: quæ omnem veram Fidem, ac Religionem, Dei verbo reluctante, ad interitum rapit.

REGVLA TERTIA.

F*Irmiſſimè tene; & nullatenus dubita* (quiſquis ad veritatem adſpiras) *veram Fidem, ac Religionem eam tantum, cenſendam eſſe, quæ antiqua, quæ incorrupta, quę tandem vna, & eadem, per omnia orbis tempora ſemper eſt diffuſa.*

Adeſt tertia Fidei Regula, quam velut totius Chriſtianæ Religionis fundamentum tradunt Apoſtoli in ſymbolo, dum ita credendum præſcribunt: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, ideſt, vniuerſalem, quo nomine triplicē quodammodo nobis vniuerſalitatem commendant, qua veram tum Fides, tum Religio conſtare debet.

Prima eſt temporum. Secunda locorum. Tertia perſonarum. Ea enim verè, propriè q. vniuerſalis, & Catholica Fides eſt (quod ipſius Catholici nominis etymon, ratioq. declarat, quod omnia vniuerſaliter comprehendit) quæ vnam omnium ſæculorum, omnium gentium, omnium locorum in rebus fidei conſenſionem ſibi vendicat, vt præclarè monet Vincentius Lirinenſis, antiquiſſimus Pater,

Auguſtino contemporaneus, cùm docet, in Eccleſia Catholica id tantum eſſe tenendum, quod ſemper, quod vbique, quod ab omnibus creditum eſt. Vinc. Lirinen. de profan. hære. nou.

Porrò cũ de omnibus triplicis huius vniuerſalitatis generibus nobis diſſerendum ſit: hic primam tãtum temporum vniuerſalitatem in hac Fidei Regula perſtringimus, quam planè adeò veræ, & Catholicæ Fidei neceſſariam poſt Apoſtolicum ſymbolum docet Apoſtolus; vt omnem fidei doctrinam, quæ cum antiqua Eccleſiæ fide pugnat, velut profanam, & hæreticam exhorrendam, ac procul abijciendam iubeat, his verbis: *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* 1. ad Tim. 6.

Peto (Humaniſſime Lector) vt non me, ſed antiquiſſimum Patrem, nuper memoratum, Vincentium Lirinenſem, huius Apoſtolici teſtimonij expoſitorem audias: hiſque, quæ is in hunc locum ſcribit, ſeriò animum intendas; cuius idcircò verba hic refero; quod ea, & elegantiſſima ſint, & Pauli ſenſum, mentemque egregiè exponant.

O Timothee (inquit) *depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates.* (o) *exclamatio iſta, & præſcientiæ eſt pariter, & charitatis; præuidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. Quis eſt hodiè Timotheus, niſi vel vniuerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus Præpoſitorum, qui integram diuini cultus ſcientiã, vel habere ipſi debẽt, vel alijs infundere? Quid eſt, depoſitũ cuſtodi, cuſtodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminauerat filius hominis in agro ſuo. Depoſitum, inquit, cuſtodi. Quid eſt depoſitum? quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenij, ſed doctrinæ, non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos, non inſtitutor,*

tor, ſed ſectator, non ducens, ſed ſequens. Depoſitum, inquit, cuſtodi, Catholicæ Fidei talentum inuiolatum, illibatumq. conſerua, quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat; hoc à te tradatur: Aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi alia pro alijs ſubijcias: nolo pro auro, aut impudenter plumbum, ac fraudulenter æramenta ſupponas: nolo auri ſpeciem, ſed naturam &c. *Deuitans profanas vocum nouitates. Quid eſt profanas? Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi, ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitus extraneas. Profanas, ait, vocum nouitates: vocum ideſt, dogmatum, rerum, ſententiarum nouitates, quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati contrariæ.* Hactenus ille.

Quid elegantius, aut luculentius, tū ad mentem Apoſtoli in hoc teſtimonio explicandam, tum etiam ad neceſſariam veræ Fidei antiquitatem commendandam dici potuit? Vtinam (Lector) Proteſtantium Epiſcopi, ac Puritanorum, Lutheranorum, Caluiniſtarum, atque aliorum Religioniſtarum Prædicantes, hùc animum intendiſſent, cum primùm ab antiqua Eccleſiæ Fide diſsuti, profanas dogmatum nouitates, quas angue peius eos deuitare oportebat, in Germaniæ, Galliæ, Angliȩ, Poloniæ populos diſſeminarunt. Vtinam Catholicæ Fidei depoſitum, quod ab Eccleſia acceperant, illud tantùm inuiolatùm cuſtodiſſent, ac integrum populis reddidiſſent: non plumbum, nō æs, non ferrum pro auro ſuppoſuiſſent; non apparentia, non fraudulenta, non noua, non profana, non falſa, non hæretica pro vera fidei doctrina obtruſiſſent. Indè enim eorum in fide occaſus exordium ſumpſit. Indè in Anglia ac pleriſq. Germaniȩ partibus, vera Fides extincta, abolita Religio, veritas iugulata, & Chriſti Eccleſia nouis hiſce dogmatum nouitatibus lethaliter ſauciata, velut transfiſſo gutture, tandem interijt, vt Apoſtoli verba locum obtinerent, ita prȩmonentis: *Quam quidam promittentes à Fide exciderunt.*

Sed quoniam eò res perducta eſt, vt quàm minimum ab Angliȩ Epiſcopis, ac cȩterarum Regionum Miniſtris

ex-

Digitized by Google

expectandum ſit; vt ad antiquam fidem redeuntes à profanis hiſce dogmatum nouitatibus abſtineant. Tu ſaltem (Aequiſſime Lector) rem apud te maturè conſidera, ne eorum ſceleris particeps fias; & cum in antiqua Eccleſię fide perſtandum, nouaq. dogmata, velut profana, ac peſtifera ſummo ſtudio euitanda didiceris, diſce quoque vbi nàm vera Fides, ac Religio tibi quęrenda ſit.

Equidem ſi Hieremiam, quà tibi progrediendum, quàuè optima verę Religionis via inueſtiganda ſit, conſulueris: planè Apoſtolo conſentanea te ipſum docentem audies, his verbis: *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Hier. 6.

Cum enim ſint, qui noua quadam doctrinę ſpecie, tanquam è cœlo delapſa, ac ſibi diuinitus reuelata, rudes, ac imperitos captent, ac in ſui admirationem rapiant; dum per carnis delitias, ac nullum damnationis metum, facilem illis ad cœlum viam ſternunt: hos minimè audiendos eſſe pręmonet Vates, ſed *State* (inquit) ſicubi fortè eorum perſuaſione illecti, nouam Fidei doctrinam, nouamq. Religionem amplexati fuerint, & in ea aliquandiù progreſsi fuerint, in primis ſtare iubet, greſſum ſiſtere, pedem cohibere, nè vlterius pergant: profana ſiquidem illa vocũ nouitas eſt, quam vitandam mandat Apoſtolus. Deinde, videre mandat; rem ſcilicet apud ſe altiùs conſiderare, ſeriò in eam animum intendere; demum fixa cogitatione apud ſe reuoluere, quæ nam recta ad veram Fidem, ac Religionem via ſit. Denique interrogare, ac inueſtigare præcipit; quid nàm? Semitas antiquas: Apoſtolos, Scripturas ſacras, Eccleſiæ traditiones, Patres Orthodoxos, Concilia, perpetuum Eccleſiæ conſenſum, antiquam Fidem, antiquam Religionem, priſca Fidei dogmata per quæ olim inceſsit Eccleſia. In his viam bonam, veram ſcilicet Religionem, veram fidem, vera fidei dogmata, docet eſſe agnoſcenda. In his fixos, ac immobiles eos eſſe oportet, ne varijs, ac peregrinis fidei doctrinis abduci, & tanquam

par-

paruulos fluctuantes omni vento doctrinę eos circumferri contingat.

Quamobrem (Lector Prudentiſsime) ſi Fidei, ac Religionis veritatem ex animo quęris; maneat id tibi altè mente repoſtum, illam tantummodò ad veram Fidem, ac Religionem viam bonam eſſe, per quam tot ſeculis ſanctos illos Fidei Patres, ac ſatores ambulaſſe intueris: veramq; illam fidei doctrinam, ac Religionem eſſe, quam illi ſemper vnanimes docuerunt; quam mordicus defenderunt; quam ſollicitè, ac conſtanter nobis ſeruandam tradiderũt; quã tot Martyres nobis ſanguine obſignatam reliquerunt; quã tot Confeſſorum, ac Virginũ millia miraculis demonſtrarunt: Hac via, quę bona eſt, recta, ac nullius erroris obliquitati obnoxia, veram Religionem inquire, atque in ea tuto incede; Deo ipſo docente: *Hæc eſt via, ambulate in ea.*

Cęterum ne dubites, quin hoc antiquum fuerit Apoſtolorum dogma; vt nulla, pręterquàm antiqua Fidei doctrina, vera agnoſcatur. Teſtis eſt Ioannes ita ſcribẽs: *Hoc eſt enim mandatum, vt quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis, quoniam multi ſeductores exierunt in Mundum.* (2. Ioan. 1.) Vide (Lector) non noſtrum, ſed Apoſtolicum eſſe decretum; vt pręter antiquam Fidei doctrinam, nulla recipiatur. Vide, inde hęreſes incipere, cum antiqua fides cum noua commutatur. Nam vt Tertullianus ait: *Vnde extranei, & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam vnuſquiſque de ſuo arbitrio aduerſus Apoſtolos, aut protulit, aut recepit.* (Tertull. de præſc. aduer. Hęret. c. 37.)

Hinc grauiſsimè Iudas Apoſtolus non modo antiquam fidem commendat, ſed pro ea quoque pugnãdum, ac ſtrenuè decertandum hortatur, cum ait: *Deprecans* (inquit) *ſuper certari ſemel traditæ ſanctis fidei.* (Iud. Epiſt.) Semel tradita Fides (Lector) ſola vera eſt: non enim aliam, atque aliam fidem Deus hominibus reuelat; qui cum vnus ſit, vnius tantùm fidei Auctor eſſe poteſt. Quinàm igitùr ſunt, contra quos

pro

pro ſemel tradita fide decertandum monet Apoſtolus? Ij planè, qui antiqua Eccleſiæ fide reiecta, nouam fidem, ac doctrinam, quaſi cœleſtem, ac nuper ſibi reuelatam venditant.

Audi, quam pulchrè olim Lirinenſis noſtrę tempeſtatis ſectarios deſcripſerit: *Audias enim* (inquit) *quoſdam ipſorũ dicere: venite inſipientes, & miſeri, qui vulgò Catholici vocitamini, & diſcite Fidem rerum, quam præter nos nullus intelligit; quæ multis ante ſeculis latuit, nuper verò reuelata, & oſtẽſa eſt, ſed diſcite furtim, atque ſecretim: delectabit enim vos. Item, cùm didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Eccleſia ſciat: paucis namq. conceſſum eſt, tanti myſterij capere ſecretum.* Hęc ante mille, & ducentos annos vir antiquiſſimus de illius tempeſtatis hæreticis ſcripſit: quæ an Proteſtantibus, Puritanis, ac cæteris Religioniſtis quadrent, facilè tu ipſe iudicare poteris, cum primum illos antiquæ fidei Violatores, ac nouæ doctrinæ Satores, ex ſtatutis eorum dogmatibus, quæ mox proferemus, agnoueris. Vinc. Lirin aduer. pfa. hær. nou.

Poſtremò animaduerte, Apoſtolum in neminem magis excãdeſcere, neque vllos duriùs increpare, quàm eos, qui antiquam fidem deſerentes, in aliam fidei doctrinam ſe transferri ſinũt: *Miror* (inquit) *quòd ſic tam citò trãſferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangeliũ; quod non eſt aliud, niſi quòd ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizatum eſt, anathema ſit.* Planè, ſi hęc Pauli verba grauiter perpendas: perſpicies profectò neminem vnquam antiquam Fidei Regulam cum noua commutaſſe, quin ſtatim à Deo diuini anathematis fulmine ictus fuerit. Tanta enim antiquitati fides, ac veneratio debetur: vt ex ea Tertullianus efficaciſsimum argumentum duxerit, ad hæreſes ſui temporis profligandas: *Ego meum* (inquit) *Euangelium dico verum, Marcion ſuum; Ego Marcionis affirmo adulterum, ille meum. Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præ-* ad Galat. 1 Tertul. lib. 4. aduerſ. Marcion.

ſcribens auctoritatem, quod antiquius reperitur, & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius reuincitur? In quantum enim falſum corruptio eſt veri, in tantum neceſſe eſt, præcedat veritas falſum. Siſte obſecro (Lector) atque in hanc Tertulliani rationem fixum mentis oculum conuerte. Eadem enim, & in vera fide, ac Religione agnoſcenda, ac cęteris fidei controuerſijs dijudicandis, ratio tibi ineunda eſt.

Liceatq. mihi Proteſtantes, Puritanos, Caluiniſtas, Lutheriſtas, ac cęteros Religionis nomen vſurpantes hoc argumento prouocare. Ego Romanam Fidem, ac Religionem dico veram; Lutheriſtæ, Caluiniſtę, Proteſtantes, Puritani, ſuam: Ego Lutheriſtarum, Caluiniſtarum, Proteſtãtium, Puritanorum adulteram affirmo. Illi, Romanam. Quis inter nos iudex erit? Quis litem dirimet? An non antiquitas ipſa conſulenda erit, vt ei Fidei, ac Religioni veritas pręſcribatur, quę prior, quę antiquior, quę diuturnior, quę propiùs à Chriſto abfuerit? Hoc enim argumẽto ipſa quoque humanarũ legum cõſtitutio inter eos iudicat qui de alicuius rei poſſeſsione contendunt: quibus cùm nulla certa ratio ſuffragetur, qua quiſquam illam peculiari iure poſsideat; ad antiquitatis ius, ac vetuſtiſſimam temporum pręſcriptionem prouocatur; vt ei res adiudicetur, qui prior eam antiquitatis iure, velut iuſto titulo poſſederit: vt conſtat lib. 3. C. de ſeruit. & aqua, l. ſi quis diuturno vſu. ff. de acquirend. poſſeſsion. Quæ ſanè ratio eò magis in Fidei controuerſijs ineunda eſt, quò luculentiùs eſt, Apoſtolos, atq; antiquiſsimas Eccleſias, quę vel Apoſtolos, vel Apoſtolicos viros Doctores habuerunt, Fidem incolumem retinuiſſe: quò fit, vt cum vera fides in ea antiquitate pręluxerit, poſterioris veritas proculdubio ab ea petenda ſit; vt docet Irenęus, his verbis: *Quid enim, & ſi cui de aliqua modica quæſtione diſceptatiõ eſſet, nonne oporteret in antiquiſsimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum, & liq idũ eſt?* (Iren. lib. 3. cap. 4.)

Quæ cùm ita ſint, iam percontari lubet (Prudentiſsime

Lector)

Lector) quid de hac Tertulliani ratiocinatione ſentias. Planè, ſi eam, vt debes, adeò ſolidam, viuam, efficacemque eſſe iudicas, vt nulla ratione infringi queat: iam de Lutheriſtarum, ac aliorum Fide, ac Religione actum eſt; cùm eam omni antiquitatis iure, ac teſtimonio deſtitutam, poſt antiquam Eccleſiæ Catholicæ fidem, nuper in orbe genitam Germania, Gallia, Anglia exceperint. Sed magis adhuc argumẽtum augeo: neque enim ignorare debes, Dominicum agrum bono priùs ſemine refertum fuiſſe, quàm ab inimico homine zizania ſuperſeminata fuerint: ac proinde veram Fidem, ac Religionem priùs à Deo in orbe ſatam fuiſſe; tum dæmonum opera hęreſes ex ipſa ortas ſucceſsiſſe. Priùs ergo, quod in fide verum, ác legitimum eſt, pręceſsit; deinde, quod peruerſum, ac hęreticum intruſum fuit. Quod cum ita ſit, quomodo Caluinianorum, Lutheriſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, ac aliorum Religio vera eſſe poteſt, quę Catholicę Religioni, quę antea tot diuturnis temporibus in Germania, Anglia, ac cęteris Regnis floruerat, velut poſteriora zizania, ſucceſsit? Vides (Lector) ex ipſa Dei inſtitutione prodire, vt antiquitatis ratio verę Fidei, ac Religioni veritatem prę ſcribat. id Tertullianus fuſiùs his verbis proſequitur.

Sed ab exceſſu (inquit) *reuertar, ad principa itatem, veritati, ac poſterioritatem, mendacitati deputandam ex illius quoque parabolæ patrocinio, quę bonum ſemen frumenti à Domino ſeminatum primò conſtituit: Auenarum autem ſterilis fœni adulteriũ ab inimico diabolo poſtea ſuperinductum; propriè enim doctrinarum diſtinctionem figurat, quia, & alibi verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt. Ita ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum, & verum, quòd ſit priùs traditum; id autem extraneũ, & falſum, quòd ſit poſteriùs immiſſum. Ea ſententia manebit aduerſus poſteriores quoque hæreſes, quibus nulla Conſtantia de Conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem* Tertull. de pręſcri. a luer. Heret.

Cum Tertulliano in hac Fidei Regula tota vetus Eccleſia conſentit; quę antiquam Fidem, ac Religionem adeò

ſemper venerata eſt; vt eam ſolam Fidem, ac veram Religionem eſſe crediderit, tradiderit, prædicauerit; quæ fidele antiquitatis teſtimonium ſibi vendicaſſet. Ita poſt Tertullianum, & Irenæum teſtatur Baſilius tertij poſt Chriſtũ ſeculi Pater. *Fidem autem* (inquit) *neque recentiorem ab alijs conſcriptam acceptamus, neque ipſi noſtræ mentis fœtus alijs obtrudere audemus: ne humana putentur pietatis verba; ſed quæ à Sanctis Patribus edocti ſumus, ea rogantibus nos annunciamus.* En quanta fuerit Sanctorum Patrum erga Fidei antiquitatem Religio: vt nullam prorſus Fidem, ac doctrinam ſibi ſequendam proponerent; niſi quam ſacra Patrum antiquitas velut ſigillo conſignaſſet?

D. Baſil. epi ſt. 60.

Verum Hieronymum audi aduerſus nouorum dogmatum auctores clamantem: *Quiſquis* (inquit) *aſſertor nouorũ dogmatum; quæſo te, vt parcas Romanis auribus: parcas Fidei, quæ Apoſtolorum ore laudata eſt. Cur poſt quadrigentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? Cur profers in mediũ, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? vſque ad hanc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit.* Vides (Lector) quàm Fidei, & Doctrinæ nouitas exhorrenda ſit. Et ne te amplioribus Patrum teſtimonijs obruam; id velut certiſsimum tibi perſuaſum ſit, quod Lirinenſis ſcribit: nouitias nimirum doctrinas ſequi, nunquam Catholicorum, ſemper vero Hæreticorum fuiſſe: *Quis* (inquit) *vnquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe prius ab Eccleſiæ Catholicæ vniuerſitatis, & antiquitatis conſenſione diſcreuerit?*

Hieronym. epiſtol. ad Oceanum.

Vinc. Lirin. adue. prof. Hæreſ. nouit. cap. 34.

Ex his tandem id tibi exploratum eſse debet (Prudentiſsime Lector) antiquitatem, fidelem, ac tutam quandam veritatis depoſitariam eſse, penes quam vera Fides, ac Religio perpetuò cuſtodita, integra ad nos vſque peruenit. Nam, ſi de aliquo tranſumpto fortè dubitares, an id fideliter redditum ſit: nõne illud ad primum exemplar prouocares; vt ex mutua eorum collatione, num illud fidele, ac legitimum ſit, agnoſceres? Hoc planè modo Fidei, ac Religionis veritatem perpende.

Du-

Dubitas fortè, quænam aut Lutheriſtarum, Caluiniſtarum, Puritanorum, & Proteſtantium, aut Catholicorum Religio vera ſit, aut quæ cum ea vna, ac eadem ſit, quæ tũ ab Apoſtolis, tum ab Apoſtolicis viris tradita fuit; quæ nã tibi in hac re ratio ineunda erit? Num ſatis erit ad ſcripturas confugere, atque inde Apoſtolicam fidem explorare? Haud profectò: cum enim ſcripturæ paſsim pleriſque difficultatibus ſint reſperſæ, quæ dubia potius excitare, quàm expellere valeant: quo fit, vt ex ſcripturis malè intellectis, vt plurimum hæreſes naſcantur: plurima quoque de fide tenenda verbo tenus Apoſtoli tradiderint, quæ ſcriptis minimè conſignarunt: planè conſtat, ſcripturam perfectam veræ Fidei iudicem eſse non poſse. Optimum igitur erit, vt vtramque & Romanam, & Lutheranam, ſeu Caluinianam, vel aliorũ Fidem, cum antiqua, quæ integerrimum eſt veræ fidei exemplar, ſollicitè conferas. Vide, quid antiqua Fides tradiderit: inquire quid antiquiſsimæ Eccleſiæ ab Apoſtolis inſtitutæ de Fide ſenſerint: reuolue Sanctorum, atque antiquorum Patrum doctrinam, quam ſuis ſcriptis exararunt: recole, quid antiquiſsimi Patres Ignatius, Dionyſius Areopagita, Polycarpus, Irenæus, Iuſtinus, Cyprianus, Clemens, vterque Cyrillus, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, atque alij propè innumeri, qui prioribus Eccleſiæ ſeculis Catholicã Fidem ſcriptis illuſtrarũt, de fide ſcripſerint, ac docuerint: antiquas Conciliorum ſanctiones, Canones, Fidei Regulas accuratè perpende: Romanorum Pontificum antiquiſſimorum decreta omni ſtudio explora; denique, quod antiqua Fides amplexata fuerit, amplectere; quod reiecerit, reijce. Ita demum Catholicorum, & Lutheriſtarum, atque aliorum fidem intuere: & eam, quam cum antiqua Fide per omnia conſpirantem offenderis, veram agnoſce, & amplectere: quam vero ab ea diſcrepãtem repereris, velut adulteram repelle. Ea ſiquidem, vel eo titulo, quod cum anti-

quo,

quo, & legitimo exemplari non conuenit, falſa, ac ſpuria eſſe deprehenditur.

His igitur ita demonſtratis, quid Proteſtantes, Puritani, Lutheriſtæ &c. reſpondeant, non ignoro. Eos ſiquidem aſſerere non dubito, imò in id totis velis contendere audio, vt omnium temporum Fidem ſibi arripiant, cum antiquam Fidem diuturnis temporum ſpatijs corruptam ſe inſtauraſſe dicunt. At ego, inde primo illos argumento, antiquam omnium temporum Fidem non colere, euinco; quòd Fidem omnibus temporibus non tribuunt. Dixi nuper, Eccleſiam ita Catholicam credendam eſſe, vt nunquã Catholica eſſe deſierit. Catholica verò ſemper eſſe non potuit, niſi Catholica omnium temporum Fide ſemper imbuta fuerit. Ex quo ita illos vrgeo. Proteſtantes, Puritani, Lutheriſtæ, & alij Fidem omnium temporum non docẽt, cum eam aliquando extinctam fuiſse prędicant: Igitur, nec Catholicam Fidem colunt, quæ Fides vniuerſalis omnium temporum eſt; nec Catholicam Eccleſiam credunt, quæ omnium temporum Fidem nunquam interruptam complectitur. Quare ab antiqua Fide, quæ Catholica eſt, diſſentiunt.

Præterea Puritani, Proteſtantes, Lutheriſtæ illam Fidem prædicãt, quæ prius deformata, poſtea reformata fuit: ſed, qui Catholicam Eccleſiam credunt Fidem nũquam deformatam fuiſse, aut deformari potuiſse credunt; cum ſit omnium temporum Fides. Igitur Puritani, Proteſtantes, ac cæteri Fidem antiquam, & Catholicam nõ prædicant. Argumentum ſtabile eſt, maximo illi Fidei fundamento innixum, quod ſuperiùs ſtatuimus: nimirum veram Eccleſiam in Fide errare non poſse: nam quemadmodum nullo vnquã tempore vera hæc propoſitio fuit. Eccleſia Catholica non eſt; cum ea ſtabilem illum Fidei articulum euelleret: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Ita nec ea propoſitio vera eſse potuit; Fides Catholica non eſt, vel deformata eſt, vel in-

interijt: cum Eccleſia Catholica, non niſi Catholica Fide ſubſiſtat: quapropter, Puritani, Proteſtantes, Caluiniſtę, & Lutheriſtæ, ac cęteri, qui eam Fidem docent, quę aliquando deformata fuit, non Fidem Catholicam, aut antiquam, ſed nuperam, ac nouitiam obtrudunt; ac proinde Perfidiam pro Fide diſseminant.

Hic (Lector Prudentiſſime) hic iudicium tuum exquiro, amabò, quo pacto eam omnium temporum Fidem nuncupandam cenſes; quæ nec dum centũ, ac viginti annos nata, Catholicam Fidem, longè, lateq per tot annorum centurias apud Germanos, Gallos, Anglos regnantem expulit, ac ipſius ſedem occupauit? Quæro, vbi nam tũc Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum Fides, ac Religio latebat, quum Catholica, ac Romana Religio vbique apud Germanos, Gallos, Britannos, regnum obtineret? vbi Caluiniſtarum, Martinianorum, ac Proteſtantium nomen? vbi dogmata? vbi imperium? An non hæc omnia tam altis tenebris ſepulta erant: vt nõ modò ea cunctis retrò ſæculis inaudita fuerint: verùm, an aliquando Puritanorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, aut Lutheriſtarum Fides, ac Religio in orbe futura eſset, homines ignorarent? At, dices fortè, Proteſtantium, Puritanorum, Lutheranorum, ac Caluiniſtarum Fidem, ac doctrinã olim in Apoſtolis, ac priorum illorum temporum Eccleſia præceſſiſse; cum ſana Fidei doctrina in orbe vigeret. Hæc vetus Caluini, ac omnium ſectariorum Cantilena eſt, qui Eccleſiam diuturnis temporum ſpatijs corruptam, ac deformatam à ſeipſis tandem inſtauratam, ac reformatam tradunt. At, quàm id ab ipſa rei veritate alienum ſit, facilè perſpicies: ſi Lutheriſtarum, Caluinianorum, Proteſtantium, ac Puritanorum Fidem ad antiquam Fidei Regulam, & exemplar lubeat prouocare: vt inde. An Fides omnium temporum ſit, facilius iudicare valeas.

Dicant Lutheriſtæ, Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani, cæteriq. huius tempeſtatis Religioniſtæ, an Fides omniũ

tem-

temporum ſit, quod ipſi de Miſsæ ſacrificio credunt, ac docent; nimirum profanum, ac ſacrilegum eſse, atque à toto Chriſtiano orbe expellendum? Cum id nec ſcripturæ, neque Patres, neque Concilia, neque veteris Eccleſię Fides vnquam ſenſerit: quin potius è regione, ſacrum, dominicum, incruentum, illibatum, tremendum, venerandum, adorandum eſse, ipſa tum ſacrarum ſcripturarum, tum veterum Patrum, & Conciliorum, quæ quintum ab orbe redempto ſæculum anteceſserunt, Fides ſemper docuerit: quorum loca hic dumtaxat indicare, non exarare volui; cum ea fusè in ſecundo noſtrarum Demonſtrationum Tomo explicata ſint.

In Primis Melchiſedech, cum panem, & vinum Deo in ſacrificium obtulit, Miſsæ incruentum ſacrificium, quod ſub ſpeciebus panis, & vini offertur, figuraſse tradunt. Euſebius Cæſarienſis Dem. Euang. lib. 5. cap. 3. Cyprianus epiſt. 63. Ambroſius de Sacram. lib. 4. cap. 9. Hieronymus epiſt. 126. ad Euagr. Auguſtin. in Pſal. 33. con. 2. & cant. aduer. leg. lib. 1. cap. 20. & de Ciuitate Dei lib. 16. cap. 22. Iſidorus Peluſiota, lib. 1. epiſt. 431. Theodoretus quęſt. 63. in Geneſ. qui omnes ante quintum ſeculũ ſcripſerunt.

Præterea Malachiam de futuro Miſſæ ſacrificio Vaticinatum fuiſſe, cum dicit: *Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Docent Iuſtinus Martyr in Dial. cum Triphone, Irenæus lib. 4. cap 32. Cyprianus lib. 1. contr. Iud. cap. 16. Euſebius Cęſarien. in lib. 1. Demonſt. Euangel. cap. vlt. Chryſoſtomus in Comment. Pſal. 95. Auguſt. de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 35. Malach. cap. 1. c

Ad hæc Apoſtolum Miſsæ ſacrificium inſinuaſse, cum ad Hebræos ita ſcriberet: *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te; quemadmodum, & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Teſtantur Cyprian. lib. 2. epiſt. 3. ad Cecil. Euſebius ad Hebr. cap. 5.

ſebius Cæſar. lib. 5. demonſtrat. Euang. cap. 3. Clemens Alexandrinus lib. 4. ſtrom. Ambroſius lib. 5. de Sacram. cap. 1. Epiphanius hæreſ. 55. Hieronymus epiſtol. ad Mar. cell Chryſoſtomus hom. 35. in Geneſ. Auguſtinus epiſto. 95. ad Innocent.

Vlteriùs Chriſtum Miſsę ſacrificium illis verbis inſtituiſſe: *Hoc eſt corpus meum, quod* &c. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis*, &c. Probant Irenæus lib. 4. cap. 32. Cyprian. lib. 2. epiſt. 3. Ambroſ. in Pſal. 20. Gregorius Nyſsenus orat. 1. de Reſurr. Chryſoſtomus hom. 24. in priorem ad Cor. & homil. 2. in poſter. ad Timoth. Auguſtinus in Pſal. 33. conci. 2. Leo Magnus ſer. 7. de Paſſione Domini. 1. Cor. 11.

Poſtremò, Chriſtum ſacrificandi poteſtatem Apoſtolis primùm, tum Sacerdotibus contuliſſe, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, affirmãt Irenæus lib. 4. cap. 52. Iuſtin. in Dialog. cum Triphone. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. Ambroſ. in cap. 10. epiſt. ad Hebræos. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, ac pleriq. alij.

Antiquiſsimas liturgias ab Apoſtolis, ac Euangeliſtis conſcriptas, & vetuſta traditione Eccleſiæ conſignatas prætereo, quas Lutheriſtę, Caluiniſtę ac reliqui ſuſpectas habent.

Iam ex primo huius fidei dogmatis examine tibi perſpicuum eſſe poteſt (Candidiſſime Lector) quàm Lutheranorum, Caluinianorum, ac cæterorum, qui in eo dogmate oppugnando conſpirant, Fides longè ab antiqua, & Catholica omnium Fide diſtet. Cætera percurramus.

Pugnat cum Catholica omnium temporum fide, quod Lutheriſtæ, Puritani, Caluiniſtę, & Proteſtantes, ac cæteri docent: in Euchariſtia Corpus Chriſti, per veram panis tranſubſtãtiationem non contineri: cum antiqua tum ſcripturarum, tum veterum Patrum fides id reijciat; quæ panis, ac vini ſubſtantiam in Sacramento Euchariſtiæ in verum, ac reale Corpus, & ſanguinem Chriſti conuerſam, &

Digitized by Google

tranſubſtantiatam cunctis Eccleſiæ ſeculis conſtanter ſemper credidit, & docuit.

Nàm, vt interim ſcripturarum teſtimonia ommittam, ex quibus vniuerſi Patres hanc de vera Corporis, & Sanguinis Chriſti præſentia in Sacramento fidem colligunt, quæ leguntur apud Ioannem 6. cap. Matth. cap. 26. Marcum cap. 14. Lucam cap. 22. Apoſtolum 1. Cor. 11. ac vetuſtiſſimas liturgias, quæ varijs Eccleſijs ab Apoſtolis traditæ ſunt: qui inter Patres primo ſeculo hanc fidem pręclarè, tradiderunt, ſunt ex Gręcis, Ignatius Apoſtolorum diſcipulus in Epiſtola ad Romanos. Iuſtinus ad Antoninum Pium. Apol. 2. Iræneus lib. 4. cap. 34. Ex Latinis. Clemens Roman. Epiſt. 2. ad Iacobum, Pius I. apud Burchardum lib. 5. cap. 27. Alexand. I. Epiſt. 1. cap. 4.

In ſecundo ſeculo, inter pręclaros huius fidei aſſertores fuerunt ex Græcis, Origenes in Numeros hom. 7. hom. 13. in Exod. hom. 5. in diuerſos, & lib. 8. contra Celſum. Ammonius Alex. in Harm. 4. Euang. cap. 15. Dionyſius Alex. ad Sixtum. Petrus Alex. ſerm. de pœnit. can. 8. Ex Latinis, Tertullianus de Reſurrectione carnis, cap. 8. lib. de orat. cap. 6. & lib. 1. contr. Marcion. cap. 14. Pontianus Papa epiſt. 1. Cyprianus luculenter, & copioſè lib. de Cœna Domini.

In tertio ſeculo, qui de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia egregiè ſcripſerunt, ſunt Baſilius ſerm. 2. de Baptiſmo cap. 3. Cyrillus Hieroſolymit. cathech. 3. Miſtag. Nazianzenus Gregorius orat. 2. in ſanctum Paſcha, & alter Nyſſenus orat. Cath. cap. 37. Ephrem de natura Dei non ſcrutanda cap. 5. Theophilus Alex. epiſt. 1. Paſcali; Hilarius lib. 8. de Trinitate.

In quarto ſeculo huius fidei præclari teſtes fuerũt, Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4. & 5. Hieronymus epiſt. 85. ad Euagrium, & epiſt. 150. ad Hedibiam. Optatus lib. 6. cõtra Donatiſtas. Damaſus epiſt. 4. ad Proſperum. Rufinus in

Pſal.

Digitized by Google

Pſal. 22. copioſiſſimè in Pſal. 33. & 39. aduerſus leg. & Prophet. lib. 2. cap. 9. in ſerm. ad Neophitos. Chryſoſt. hom. 83. & cap 26. Matth. hom. 60. ad Pop. Antioch. Maximus Taurin. Dom. in Ramis Palmarum; Petrus Chryſologus ſerm. 65. Eucherius Lugdun hom. 5. de Paſcha.

In quinto ſeculo ſunt Cyrillus Alex. epiſt. ad Caloſyrium; Theodoretus Dial. 2. Iſidorus Peluſiota epiſto. 109. Philo Carpathius in Cant. cap. 7. Proclus Conſtantinop. de traditione diuinæ liturgiæ; Titus Boſtrenſis ad cap. 15. Lucæ; Anaſtaſius Antioch. aduerſ. Gainitas; Leo Magnus ſerm. 6. cap. 2. Hilarius Papa apud Gratian de conſecr. diſt. 2. Gregorius Magnus lib. 4. Dial. cap. 58. Vigilius Trid. lib. 3. contra Eutychem, & pleriq. alij. His accedant Concil. Nicæn. lib. 3. cap. de diuina Menſa, & can. 18. Concil. Arelatenſe 2. can. 15.

Pugnat cum antiqua, & Catholica omnium temporum fide, quòd pœnitentiam nouæ legis ſacramentũ lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium eſſe negant; cum id vetus omniũ ſeculorum Eccleſia tum à ſcripturis, tum ab Apoſtolis edocta, ſemper affirmauerit.

Pro primo ſeculo huius fidei aſſertores ſunt, Clemens Roman. Conſt. Apoſt. lib. 2. cap. 13. & 14. Ignat. ep. ad Philadelphios; Dionyſius Areopagita epiſt. 8. ad Demophilũ; Hermas ſimil. 8. Iuſtinus Dial. cum Triphone; Theoph. Antioch. lib. 3. ad Autolicum.

Pro ſecũdo ſeculo Irenæus lib. 3. cap. 37. Clemens Alexan. lib. 1. Pędagog. cap. 9. Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 2. 4. & 6. Calixtus epiſt. 2. Cyprianus epiſt. 52 ad Antonianum, & epiſt. 54. Origenes homil 8 in Num. & hom. 1. in Hierem. Dionyſius Alex. epiſt. ad Fabium Antioch.

Pro tertio ſeculo; Euſebius Cæſarien. Eccleſiaſt. hiſtoria. lib. 6. cap. 35. Athanaſ. ſerm. contr. hæreſes, Auctor quæſt. 163. Didimus Alex. apud Damaſcenum lib. 2. Paral. cap. 86. Baſilius ſerm. de pœnit. Cyrill. Hieroſolymit. cathech. 2. Gregorius Naziãzenus orat. 39. Ephrem. de pœ-

nit. & conuerſ. Epiphanius hæreſ *69*. Gregorius Nyſſenus de vita Moyſi, ſeu de vita perfecta; Lactantius lib. *6*. inſt. cap. 13. & 24. & in epit. diu. inſtit. cap. *6*. Iulius Firmicus de erroribus profan. Religion. cap. 4. Hilarius can. 2. & 18. in Matt. & ad Pſalm. 137. Pacianus epiſt. 1. ad Sympronian. Nouatianum.

Pro quarto ſeculo, Chryſoſtomus ſerm. de pœnit. hom. 80. ad popul. Antioch. & hom. 20. in cap. *6*. Matthæi. Ioannes Caſſianus de Incarnatione Domini lib. *6*. cap. 18. Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 7. & 8. lib. 2. cap. 7. lib. *6*. epiſt. *76*. Hieron. epiſt. 8. ad Demetriad. cap. *6*. & epiſt. *65*. ad Pammach. & Occan. cap. 2. Ad cap. 3. & 4. Iſaiæ: Auguſtinus de verbis Domini ſer. 8. cap. 1. & 2. & epiſt. 108. Cæleſtinus epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ. Petrus Chryſologus ſerm. 84. Quorum remiſeritis &c.

Pro quinto ſeculo, Leo Magnus ſerm. 11. de Quadrageſima cap. 4. & epiſt. 91. cap 2. Proſper de vita cõtemplatiua lib. 2. cap. 2. Victor Vricenſis de perſequutione Vuandalica lib. 2. Gennadius de Eccleſ. dogmat. cap. 78. Fulgentius epiſt. 7. cap. 4. Gregorius Magnus lib. 13. moral. cap. *6*. Cyrillus Alex. in Ioannem lib. 12. cap. *56*. Iſidorus Peluſ. lib. 1. epiſt. 408. Theodoretus in Epitome diu. decret. cap. de pœnit. Victor Antioch ad cap. 14. Marc. quibus adnectuntur Concilium Neocæſaren. canon. 1. & Concilium Nicænum 1. can 18. Arabic, & can. 19.

Pugnat cum antiqua, & Catholica omnium temporum Fide, quod docent, legis obſeruantiam, ac opera bona ad ſalutem minimè neceſſaria, ac meritoria eſſe: quod, Velut hæreticum dogma, ab initio antiqua anathematizauit Eccleſia; quæ fide ſemel iuſtificatis ad vitam æternam comparandam, ſolam deinceps fidem non ſufficere, ſed etiam legis obſeruantiam, ac bona opera neceſſaria, ac meritoria eſſe ſemper docuit: cuius rei pręter ſcripturas, teſtes ſunt.

Primo ſeculo, Clemens Romanus lib. 3. Apoſt. conſtit. cap.

Digitized by Google

cap.12. & epiſt.4. Ignatius ad Mariam Caſſobolitem, & in epiſt.ad Epheſios; Dionyſ. Areopag. Eccleſ. hierar. cap.7. par.3. Hermas lib. 3. ſimil. 5. Polycarpus epiſt. ad Philippenſes; Iuſtinus orat.ad Antonin.Pium.Mart.epiſt.ad Tholoſanos cap.17.

Secundo ſeculo Tertullianus de Reſurrectione carnis, cap.48. lib.2. cõtr.Marcio.cap.6. Irenæus lib.1.c.1.Theophi.Antiochen.lib.3. ad Autolicum; Clemens Alex.lib.2. 3.4.5.6.7. ſtrom. Cyprianus de vnitat. Eccleſ., & de opere, & eleemoſynis; Origenes hom.7. in Ezech. hom.3. in Cant.tract.32.in Matth. & ad cap.2. ad Romanos.

Tertio ſeculo, Euſebius Cæſarienſis Eccleſ.hiſtor.lib.1. cap.4. Hippolitus Martyr orat.de conſummat.Mundi. Dydimus Alex.ad cap.2.epiſt. Iacobi. Baſilius ſermone de Aſcenſion.& hom. 12.in principium Prouerbiorum. Cyrillus Hieroſol. catech.1. & 15. Macharius hom. 27. Ephrem de vita ſpirituali, cap.91. & de Virginitate; Gregorius Naziãzenus orat.28. alter Nyſſenus hom.8.in Eccleſiaſt.& orat. 1.& 2. de pauperibus amandis; Lactantius lib.3.inſtit.cap. 9.& in Epitome diu.Inſtit.cap.12.Hilarius in Matth.can.5.

Quarto ſeculo, Ambroſius lib.1.de officijs c.15. & lib. 2.cap.2. Chryſoſtomus hom.42. in Geneſ.hom.9. & 30.in Ioannem, & ſerm. admonitiuo de Euchariſtia in Encęnijs; Marcus Eremit.reſponſ. ad eos, qui de diuino baptiſmate dubitant; Hieronym. lib.1. contr. Iouin.cap. 6. & l. 2. 5. & 15. ad cap.5. ad Galatas. Gaudent. in præfat. ad Beneuolum, & tract.4. Auguſtinus copioſiſſimè de fide, & operibus cap.14. & paſſim,& ſerm.39.deVerbis Domini; Paulinus epiſt.26. ad Victricium; Cæleſtinus epiſt. ad Gallos cap.12. Ambroſ.ad Pſalm.106. Petrus Chryſologus ſerm. 13. Philo Carpathius in Cant. Nilus Abbas Inſtitut. ad Monachos.

Quinto ſeculo, Cyrillus Alexand. lib.10. in Ioannem cap. 14. & 18. Iſidorus Peluſ. lib.3. epiſt.73. Theodoretus quæſt. 63. in Exod. & ad Pſal. 96. Titus Boſtrenſis ad cap.

11. Lucæ. Proſper. in pſalm 111. & 125. Leo Magnus de Epiphania ſer. 2. Sedulius ad cap. 3. ad Romanos. Saluianus de prouidentia lib. 4. Salonius de Parab. Salom. Cæſarius Arelat. hom. 11. & 25. Fulgentius de remiſſione peccatorum lib. 2. cap. 1. Primaſius ad cap. 3. epiſt. ad Galat. & ad cap. 4. ad Hebræos. Gregorius Magnus lib. 4. moral. cap. 31. & lib. 7. cap. 13.

Pugnat cum antiqua, & Catholica omnium temporum fide, quod nullam hominibus ex hac luce in charitate decedentibus ad reliquias peccatorum purgandas locum relictum eſſe docent; quod omnium temporum, ac ſeculorum fides damnauit, quę Catholicum dogma, de loco, & pœnis Purgatorij, ſemper venerandum habuit, ac conſtanter docuit, vt ipſa temporum ſeries demonſtrabit.

Nam inter primi ſeculi Patres huius fidei propugnatores annumerantur, Clemens Romanus epiſtol. 1. & lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 41. & 42. Dionyſ. Areopag. Eccleſiaſ. hierarch. cap. 7. par. 2. & 3. Hermas viſione 3. Et liturgiæ antiquiſsimæ Eccleſiarum, nimirum Hieroſolymitanæ, à Iacobo; Romanæ, à Petro; Alexandrinę, à Marco; Aethiopicæ, à Matthæo; Mediolanen̄, à Barnaba conſcriptæ.

Inter ſecundi ſeculi Patres ſunt, Tertullianus de teſtimonio animæ adu. gentes, cap. 4. de Corona militis cap. 3. de anima cap. 35. & de monogamia cap. 10. Cyprianus epiſto. 52. & 66. Zeno Veron. ſerm. de Reſurrect. Origenes homil. 14. in Leuit. hom 25. in Num. & hom. 12. in Hierem. Euſebius Alex. hom de Dominica.

Inter tertij ſeculi Patres ſunt, Euſebius Cæſar. vitæ Cōſtan. lib 4. cap. 60. & 77. Athanaſius quæſt. 34. & orat. de his, qui dormierunt; Baſilius ad cap. 4. 6. & 9. Iſaiæ; Cyrill. Hieroſol. catecheſ. 5. miſtag. Gregorius Nazianzenus orat. 10. Nyſſenus oratione, quod non ſit dolendum ob eorum obitum, qui in fide deceſſerunt, & l. de anima, & reſurrect. Epiphan. hæreſi 75. Arnobius lib. 4. cont. Gentil Lactantius lib. 7. Inſtit. cap. 21. Hilarius ad pſal. 59.

Inter

Inter quarti ſeculi Patres ſunt, Ambroſius orat. de exitu, vita, & virtutibus Theodoſij Imperat. & epiſt. 8. ad Fauſtin. Hieronym. ad cap. 66. Iſaiæ, & ad cap. 1. Nahum. Rufinus ad Pſalm. 37. Auguſtinus vberrimè lib. 2. de gent. cont. Manich. cap. 20. ad Pſalm. 37. de Ciuit. Dei, lib. 21. c. 13. & 16. & de cura pro mortuis agenda. Baccharius de recip. lapſis. Chryſoſtomus hom. 32. in Matth. hom. 61. in Ioan. hom. 21. in Act. Apoſt. orat. 41. in 1. ad Corint. & in epiſt. ad Philippenſes ſerm. 3. Palladius ſacræ hiſtor. cap. 40.

Inter quinti ſeculi Patres tandem ſunt Paulinus epiſto. 18. Sixtus III. de malis doctoribus, & operibus fidei. Philippus Presbyter in cap. 12. Iob. Eucherius hom. 3. de Epiphania. Cæſarius Arel. homil. in verba Ap. ſi cuius opus, &c. Theodoretus Eccleſ. hiſtor. lib. 5. cap. 36. Baſilius Seleucius conc. de exſuſcitatione Lazari. Procopius ad cap. 6. Iſaiæ. Sedulius ad cap. 3. Prior. ad Cor. Boetius de conſolat. Philoſophica, lib. 4. proſa 4. Gregorius Magn. ad Pſalm. 3. pœnit. & lib. 4. Dialog. cap. 39. & 55. Quibus etiam Cōciliorum, quæ his ſeculis celebrata ſunt, auctoritas accedat: in his ſunt Conciliū Nicænum 1. can. 65. Arab. Concilium Carthaginenſe 3. c. 29. Carthaginenſe 4. c. 79. Conc. Vaſenſe 1. c. 2. Concilium Valentin. Hiſpaniæ c. 4. Aurelian. 2. c. 15.

Pugnat cum antiqua, & Catholica omnium temporum fide, quòd à Chriſti, & Sanctorum Imaginum cultu abhorrent, ac illarum vſum profanum eſſe docent; cum perpetua Eccleſiæ fides, illas religioſè colendas eſſe prædicauerit: quod priorum illorum ſeculorum Patres non obſcurè teſtantur, ex quibus paucos tantùm referre lubet, ne magna teſtimoniorum ſtrue paginas implere videamur. Auctor epiſt. ad Burdegalenſes, cap. 8. Method. orat. 2. de Reſurrectione. Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionem cap. 22. & de Pudicitia cap. 7. Euſeb. Cæſar. Eccleſ. hiſtor. lib. 7. cap. 14. & dem. Euang. lib. 5. cap. 9. Athanaſius Interrog. & reſponſ. ad Antiochum Princip. cap. 38. Baſilius ad Amphi-

loch.

Ioch. de Spiritu Sancto cap. 18. de Barlaam Martyre, & contra Iulianum Imperat. Gregorius Nazianzenus orat. 19. & 23. Nyſſenus orat. de laudibus S. Theodori. Helladius in vita S. Baſilij, Chryſoſtomus in liturg. quæ extat in tom. 5. operum eius, & in encomio S. Meletij. Nilus epiſt. ad Olimpiod. Proconſ. Damaſus in Pontificali de S. Silueſtro. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtochium cap. 3. Sozomenus lib. 5. cap 20. Theodoretus in hiſtor. de Simeone Stylita. Procopius ad cap. 20. Exodi. Euodius lib 2. de miraculis B. Stephani cap. 4. Gregorius Turonenſis de gloria Martyrum lib. 1. cap. 22. Gregorius Magnus lib. 9. epiſt. 9. & 111. ad Serenum, & lib. 7. epiſt. 54. ad Secundinum.

Pugnat cum antiqua, & Catholica omnium temporum fide, quod certa fide diſſeminant, Sanctos pro nobis Deũ non rogare, nec vllo modo à nobis inuocandos eſſe: quod velut ſacrilegum errorem improbat Catholica, & vniuerſalis omnium temporum Eccleſia: quæ Sanctos in Cælo cũ Chriſto regnantes, & Deum pro nobis rogare, & religiosè à nobis implorandos eſſe, inuiolabili fidei dogmate ſemper credidit: cuius rei teſtes ex priorum ſeculorum Patribus copioſiſſimi proferri poſſent; ſed pauci ac inſigniores ſufficiant.

In his ſunt, præter antiquiſsimas Liturgias, Origenes in Lament. & lib 2 in Iob. Baſilius in hom 20. in XL. Martyres, & hom. 26. de Martyre Mamonte. Ephrem ſerm. de Sanctis Martyr. Gregorius Nazianzenus orat. 18. 20. & 21. Gregorius Nyſſenus orat. in S. Theodorum Mart. Chryſoſtom. hom 26 in 2. ad Cor. homil. in Natali Apoſtol. Petri, & Pauli. Cyprian. de Stella, & Mag. Ambroſius ſerm. 93. in Natali Mart. Nazarij, & Celſi, & lib. de Viduis. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtoch. cap. 14. & adu. Vigilant. cap. 3. Rufinus Eccleſ hiſtor lib. 2. cap. 33. Auguſtin. ſer. 1. de S. Stephano, Annot. in Iob cap. 14. & de Ciuitate Dei lib 21. cap. 27. Damaſus de S. Agatha. Theodor. Græcar. affection. lib. 8. & in hiſtor. Sanctorum Patrum, vita 1. Philo

Digitized by Google

Io Carpathius in Cantica. Prudentius hymn. de SS. Laurentio, & Vincentio. Gaudentius tractat. in dedicat. Baſilij. Hilarius Arelat. in vita S. Honorati. Leo Magnus ſer. 5. de Epiphania Domini, cap. 4. Gregorius Magnus lib. 3. Dial. cap. 25. In Antiphonario, & in agenda mortuorum, & demum Patres Chalcedonenſis Concilij Act. 11.

Plura hùc Caluiniſtarum, Lutheranorum, Proteſtantiũ, atque aliorum dogmata, quibus ab antiqua Eccleſiæ fide diſſentiunt, ad examen cogenda eſſent, niſi ab his inſtituta huius libelli breuitas me deterreret. Quare vt his tandem finem imponam: Pugnat poſtremò cum antiqua, & Catholica fide omnium temporũ; quod nec Petrum Apoſtolum Eccleſiæ Caput à Chriſto inſtitutum; nec vllũ poſt Chriſtum viſibile in Eccleſia Caput agnoſcẽdum eſſe, vno conſenſu affirmant: quæ vetus omnium tempeſtatum ab initio ſemper docuit Eccleſia diuinis litteris inſtructa, atque Apoſtolicis traditionibus imbuta.

Præclarum huius rei teſtimonium ferũt ex Græcis, Ignatius in Inſcript. epiſt. ad Romanos. Clemens Roman. epiſt. 1. ad Iacobum. Irenęus lib. 3. cap. 3. Hyppol. orat. de conſummat. Mundi. Origenes hom. 5. in Exod. ad cap. 6. ad Romanos, & hom. 17. in Lucam. Euſebius Cęſar. Eccleſ. hiſtor. ad Marcum Papam. Baſilius ad cap. 2. Iſaiæ lib. 2. contra Eunom. & epiſt. 52. ad Athanaſium. Gregorius Nazianzenus orat. 26 & 52. quæ eſt epiſt. 2. ad Cledonium. Chryſoſtomus hom. in Petrum Apoſtol. & Heliam Prophetam, & epiſt. ad Innoc. Cyrillus Alex. lib. 2. in Ioannem cap. 12. & epiſt. ad Cœleſtinum Papam. Maximus Conſtantinopol. epiſt. ad Orientales. Theodoretus ad cap. 1. ad Galatas, & epiſt. ad Leonem Papam.

Ex Latinis, Tertullianus de pudicitia cap. 21. & de præſcrip. aduerſ. heret. cap. 36. Cyprianus epiſt. 40. 52. 55. 67. 69. & 71. Ambroſius ſerm. 11 de mirabilibus ad cap. 14. Lucæ, ad cap. 3. prioris ad Cor. & epiſt. 78. & 81. Optatus contra Donatiſtas lib. 2. & 7. & lib. 2. aduer. Parmenianũ,

eam offendentes, à fide cogunt excedere.

Quod ſi Apoſtolus tanti fidei antiquitatem æſtimat, vt non tam hominibus, quam Angelis anathema dicat, qui præter id, quod acceperunt, & quod antiqua fide euangelizatum eſt, cæteris annunciant: quid de ijs tibi ſentiendũ eſt, qui nouam fidem, nouamq. Euangelij doctrinam ab antiqua, quam ab Apoſtolis acceperunt, prorſus diſſentaneam docent? Quo anathemate illos percuſſos exiſtimare debes? Certè illos nec audire, nec vllam cum ijs amicitiæ fœdus inire, aut hoſpitalitatis iura impendere, quinetiam cauere monet Ioannes: *Si quis* (inquit) *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis.* Io. 2. ep. 2

Quapropter ſi illos in hoc hominum genere verſari deprehenderis: optimum conſilium eſt, vt ab eorum doctrina abſtinens, antiquam tantummodò fidem, quæ ſola Catholica, ſolaq. tuta eſt, amplectaris; atque Hilario antiquiſſimo Patri ita ſcribenti credas: *Tutiſſimum nobis eſt, primã, & ſolam Euangelicam fidem, confeſſam in Baptiſmate, intellectamq. retinere, nec demutare: quod ſolum acceptum, atque auditum habeo, bene credere.* Hilar. ad Conſtatin. lib. 2.

REGVLA QVARTA.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenus dubita* (quicumque veram Religionem optas addiſcere) *veram Fidem, ac Religionem, ita omnium locorum, ac perſonarum eſſe debere: vt vbicumque Eccleſia diffuſa eſt, vna, eademq. ab omnibus, & vbique teneatur.*

Nihil hac Fidei Regula certius in ſcripturis, quam Apoſtolus commendat, ita ad Corinthios ſcribens: *Sicut enim Corpus vnũ eſt, & mẽbra habet multa, omnia autẽ membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus sũt; ita, & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in* 1. ad Cor. 12.

Digitized by Google

vno ſpiritu potati ſumus. Ex naturali primùm humani corporis harmonia Apoſtolus ſpirituale Eccleſiæ in vna Fide, & Religione concordiam venatur. Nam, qui humanum corpus oculis ſubiectum ſpectant, in eo plura membra loco, ac poſitione diſtincta intuentur, quæ tametſi inter ſe diſiuncta ſint, vno tamen illis ſpiritu præſidente, cuius imperio omnia reguntur, in vnum corpus coaleſcunt. Id quoque de vera Religione ſentiendum eſt. Cùm enim Eccleſia vaſtum quoddam corpus ſit, vt aliàs diximus, in quo multa fidelium membra longè, latèq. per orbem diffuſa cernuntur: ea ſanè, non alia ratione, in vnum veræ Religionis corpus coagmentari, & coaleſcere videmus; quàm quòd vnus illis Fidei ſpiritus præeſt, à quo vniuerſa gubernantur, atque inuicem colliguntur. Quo fit, vt idem Apoſtolus rurſus ad Corinthios ſcribens, hunc fidei ſpiritum, ſine quo Eccleſiæ corpus ſtare, atque in vnitate contineri non poteſt, ab omnibus neceſſariò tenendum eſſe doceat, 2. Cor. 4. cum ait: *Habentes eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi propter quod loquutus ſū, & nos credimus, propter quod, & loquimur.* At quid eſt habere eundem ſpiritum fidei, prætcrquam eandem vbique fidem colere: idem cum omnibus ſentire: Fidem non recentem, non priuatam, non à priore diſcrepantem, non menſtruam, nō annuam ſibi fingere: ſed antiquam, Apoſtolicam, vniuerſalem, integram, ſibi per omnia conſentientem, perpetuam, & tandem ab Eccleſia traditam tenere? Demum, quod ſemper, quod ab omnibus, quod vbique creditum eſt, nunquam mutare. Hic fidei ſpiritus eſt, qui veræ Eccleſiæ vitam, ac ſubſiſtētiam impertitur; qui fideles in vnum Eccleſiæ corpus coagmentat; qui nos diuini ſpiritus participes reddit; qui denique veram Fidem, ac Religionem in orbe ſtatuit.

Altero quoque argumēto, ex Baptiſmi vnitate ducto, hanc in vna fide conſenſionem Apoſtolus proſequitur, cū ait: *Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus.*

Ba-

Baptiſmum (Lector) ſicut reliquorum Sacramentorum, ita veræ in Chriſtum Fidei ianuam eſſe non ignoras. At verò cum Baptiſmus non multiplex, ſed vnus omnium ſit, id ſanè perſpicuum eſt, quod in cuius nomine omnes baptizamur, eius quoque fidem vniuerſi amplectimur: Quo fit, vt cum fides, quam omnes in Baptiſmo profitemur, vna prorſus, ac indiuiſa ſit; ea quoque vnum, ac indiuiſum veræ Religionis corpus conſtituatur. At qua ratione illud animari, ac viuere exiſtimas? Non alia planè, quàm vno fidei ſpiritu, quo inhabitãte, vna omnibus fides inſpiratur; vna vbique creditur; vna ab omnibus docetur; atque adeò omnia Eccleſiæ membra in vnum corpus hac fidei conſanguinitate connectuntur; vt vna in omnium fidelium animis elucens, quaſi cor vnum, & animam vnam conſtituere videatur: ita vt ſi eam verbis declarare opus ſit, ita omniũ conſentanea ſit vox, & prædicatio, vt eandem prorſus diſtãtiſſimæ regiones, ac remotiſſimi orbis populi, velut vno ore, proloquantur: vt præclarè tradit Irenæus his verbis: *Hanc prædicationem cum acceperit, & hãc fidem, quemadmodum prædiximus, Eccleſia, & quidem in vniuerſum Mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, & credit, ijs videlicet, quaſi vnam habens animam, & vnum cor, ei conſonanter hoc prædicat, & docet, & tradit, quaſi vnum poſſidens os.* Neque alia ratione Apoſtolus hanc omnium in vna fide concordiam commendat, cum ait: *Deus autem patientiæ, & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum, ſecundũ IESVM Chriſtum, vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri IESV Chriſti.* Quæ enim, aut perfectior, aut Deo gratior laus eſſe poteſt, quàm quæ ex vno omnium Fidelium ore, atque animo proficiſcitur?

Iren. lib. 1. cap. 3.

Rom. 15.

Multitudinis credentium (inquit Lucas) *erat cor vnum & anima vna.* At vnde cor vnum, & anima vna credentibus oritur? An non inde, quòd vnum in fide ſapiunt, vnum ſentiunt, vnum credunt, vnum docent, vnum prædicant?

Act. 4.

Audi (Lector) obſecrantem Paulum, ne quis ab hac fidei,

dei, ac cõſenſionis vnitate ſe ipſum per ſchiſmata diuellat: 1.Cor.1. *Obſecro* (inquit) *vos, fratres, per nomen Domini noſtri IESV Chriſti, vt ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia.* Quid eſt, quod Apoſtolus communem hanc in vna Fide, ac Religione conſenſum tantoperè à Fidelibus efflagitat; vt vnum ſemper ab omnibus dici, vnum doceri, vnum prædicari, vnum ſentiri, vnum credi; & quæcumque hunc fidei conſenſum abrumpunt, ſummo ſtudio deuitari velit? Ea planè cauſa eſt, quòd vniuerſas hæreſes inde potiſſimum in Eccleſia prognẽdas eſſe cognoſceret; quòd vniuerſalis Eccleſię conſenſu poſthabito: quiſque priuatis ſenſibus inhęrere: proprium ingenij fœtum pro fidei dogmate obtrudere: Scripturas, non ex Sãctorum Patrum traditione, ſed ex proprij capitis ſomnijs interpretari: Fidem non ex Eccleſię doctrina, ſed ex propria ſententia venari: Scita ſua omnium ſcitis anteponere: res fidei priuato ſenſu intelligere, intellectisq. blandiri, ac tanquam è cęlo ſibi delapſas admirari inciperet. Ex quo tandem in maximę illud peruerſitatis genus incideret: vt ſolus Eccleſiam collapſam erigere; ſolus obſcuram ad lucem reuocare; ſolus tandem instaurare, ac reformare poſſe arbitretur.

Hinc non fruſtrà Apoſtolus vnanimem hanc in eadem fide conſenſum, non ſemel, ſed iterum, atque iterum Fidelibus ſequendum inculcat; atque adeò in id vrget: vt totam ſui gaudij ſummam in eo repoſitam declaret, vt omnes idem ſapiant, idem ſentiant, idem doceant, nulloq. vnquã doctrinarum ſchiſmate à communi aliorum ſenſu rapi ſeipſos ſinant, cum ad Philippenſes ſcribens, ait: Philipp.2. *Implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandẽ charitatem habentes, vnanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem & inanem gloriam.* Philipp.4. Atque eadem, vt ea altius Fidelium mentibus inſculpat, paulo poſt refricat, dicens: *Itaque, fratres mei cariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino cariſſimi, Euodium rogo, & Syntichem deprecor id ipſum*

ipſum ſapere in Domino. Hæc enim in vna fide concordia, adeò veræ Eccleſiæ neceſſaria eſt, vt ea extincta, veram Fidem, ac Religionem protinus interire neceſſe ſit.

Id luculentius hoc argumento intuere (Lector) Quid tu Catholicam Eccleſiam eſſe exiſtimas? An non hominũ cœtum, ac multitudinem, vbicumq. terrarum ea diffuſa ſit, ſub vna fide collectam eſſe concipis? Id planè, quod ad præſentem rem attinet, Eccleſia eſt. Duo igitur in Eccleſia tibi perpendenda ſe offerunt: vnitas nimirum, & multitudo: Multitudo, vel ad Eccleſiæ membra, vel ad loca, quibus Eccleſia diffuſa eſt, ſpectat; vnitas verò fidem reſpicit. Membrorum namq. multitudine Eccleſia longè, lateque diffuſa eſt; fide autem vnita; vtrumque verò luculentius explicatur, cum Eccleſiam Catholicam, vniuerſalem nuncupamus: quandoquidem ea appellatione Eccleſiæ tum vnitas, tum multitudo ex ipſo nominis etymo commendatur; vniuerſale namque illud dicitur, quod cum vnũ ſit, vbique verſatur. Cum itaque ad Eccleſiam Catholicam conſtituendam, non tam hominum multitudo, quam fidei vnitas neceſſaria ſit: quo pacto Catholica Eccleſia dici poteſt, quæ hominum tantum multitudine, non fidei vnitate conſtat? Cum enim fidei vnitas ſola ſit, quæ Eccleſiæ vnitatem, ac vniuerſalitatem parit, & Fidelium multitudinem locorum, & gentium diuerſitate diſtinctam in vnum Eccleſiæ corpus compingit; planè ea ſublata, Eccleſiam Catholicam, velut membrorum compage diſſoluta, aut reſectis neruis, ruere, ac interire neceſſe eſt.

Quamobrem antiqui Patres hanc populorum, & gentiũ in vna fide conſenſionem tanti ſemper exiſtimarunt, vt in ea fideliſſimum veræ Fidei, ac Religionis ſymbolum collocauerint.

Huc (Lector) huc animum confer. Quid Auguſtinum aliquando ſectarium ad Catholicę Eccleſiæ amplexum compulit? Quid in ea firmum, ac immobilem defixit; præterquam hęc vna omnium in fide concordia? En ipſum loquentem:

Auguſt. ep. contr. Fũd. Manich.

quentem: *Multa ſunt* (inquit) *quæ me in gremio Catholicæ Eccleſiæ iuſtiſsimè tenent. Tenet conſenſio populorum, atque gentium.*

Plura vincula recenſet Auguſtinus, quæ tametſi illum Catholicę Eccleſię arctiſſimè coniungerent: primũ tamen, ac velut cęterorum ducem, populorum, ac gentium in eadem fidei doctrina conſenſum, primo loco collocat. Quòd ſi Auguſtinus vir æquè ſanctiſſimus, ac eruditiſſimus, in ea tantũmodo Eccleſia, velut fortiſsimo vinculo, ſe ligari paſſus eſt, quę communi hoc fidei conſortio frueretur: quid dubitas eam quoque Eccleſiam, velut certo veritatis ſymbolo ſignatam, tibi tutò amplectendam fore, in qua vniuerſalem hunc in vna fidei doctrina conſenſum vigere perſpexeris? Verùm, vt rationibus non nihil agamus.

Perpende (Lector) nihil eſſe tam humano generi neceſſarium, quàm vt illud certa quadam Fide, ac Religione ducatur; qua in Dei cultum excitetur: neque enim alia de cauſa hęreticos cęcos eſſe exiſtimamus, quàm quòd incerta, ac fallaci quadam Religionis ſpecie ducti, veram Religionem, & cum ea verum Deum ignorant. Etenim quibus Religio eſt incerta, Deus quoque incertus ſit, neceſſe eſt; cum non prius veram Religionem, quàm Deum ipſum Religionis auctorem ignorari contingat. At ſi variæ, ac propemodum diuerſę fidei doctrinæ coluntur; cui nam certa Fides, aut Religio eſſe poterit? Siquidem perſpicuum eſt ex doctrinarum diſcordia fidei incertitudinem oriri; neque inter pugnantia dogmata certam fidem haberi poſſe: ſed cui certa fides non eſt, quomodo certa Eccleſia, ac Religio eſſe poteſt, quæ fide gignitur, Fide alitur, Fide augetur? Reſtat igitur, vt quicunque doctrinarum varietatem ſequuntur, eò tendant; vt nullam Fidem, nullam Religionem, nullam Eccleſiam, nullum denique Deum colāt: quo fit, vt parum ab Idololatris, ac Infidelibus diſtent. Age (Lector) ſi fidei perſecutio ingruit; ſi bellum Fidelibus indicitur, in quo, aut deteſtanda fides, aut vita martyrio ob-

trun-

truncanda ſit; qua, quæſo, animi conſtantia pro eâ fide, quę tanta inconſtantia laborat, quæ inter inſtabiles doctrinarũ procellas fluctuat, quæq. vel hoc ſolo titulo, quòd nec cum alijs, nec cum ſeipſa conſentit, incertiſsima, ac leuiſsima deprehenditur, martyrium ſubire quis audeat? Pro Fide (inquit ille) ſanguinem fundo. At ego: pro qua fide ſanguinem fundis? Multiplex enim tibi fides obijcitur? Fides enim, quæ doctrinarum diſcordia diuiſa eſt, non vna eſt, ſed duplex. vnam ſiquidem efficit amicum dogma, quod tu ipſe conflas; alterã Patrum conſenſus, quem reſpuis. Si pro altera pugnas, aliam reprobas, & pro ea fortè fide pugnas, quę non fides, ſed error, ac hæreſis cenſenda erit; & eam reprobas, quę vera fides habenda eſt. quomodo igitur pro incerta fide vitam profundis? Cum nec vllius te fidei prę̨mium expectet?

At non ſatis eſt; hæc enim in fidei doctrina diſſenſio, non tàm incertam Fidem, ac Religionem præſtat, quàm etiàm diſſectam, ac multiplicem reddit: Cùm enim varia, & alijs repugnantia doceat, profectò Fidem, ac Religionẽ in tot fruſta diſſecat, quot ſunt pugnantes inter ſe fidei ſententiæ, ac diſsidentes cathedræ. At verò quid magis Chriſtianæ Religioni perniciosum eſſe poteſt, quàm plures Fides, & Eccleſias in Mundo ſtatuere, quæ ſuapte natura Deorum pluralitatem in orbem inuehunt? Cùm enim Fidei, ac Religionis vnitati ita diuina ipſa vnitas reſpõdeat, vt vnus Deus vna tantùm Fide, ac Religione cõtentus ſit: plane diſſecta fide, ac in plures diſpertita, ipſum quoque Deum diſſecari, ac in plures diuidi neceſſe eſt; quo tandem efficitur, vt non tàm omnis vèra Fides, ac Religio, quàm Deus ipſe è mundo tollatur.

Quæſo te (Lector) An non veram Fidem, ac Religionem inquiris? Id profectò. At ij, qui ſeriò veritatem quærunt, apud illos dumtaxat, eam ſibi aſſequendam proponunt, quos certam ſibi tradituros non ignorant. Ea enim veritatis natura eſt, vt non niſi certa, ac perfecta haberi

queat. Quæ cùm ita ſint, qua ratione certam, ac perſpicuam fidei veritatem ibi inuenire te poſſe putas, vbi perpetuę in fide diſſenſiones, ac doctrinarum bella graſſantur; vbi fidei Magiſtri pugnantibus ſententijs inter ſe digladiātur, & diuerſa docent; vbi alij ab alijs diſſentiunt, & quæ aliquando placuerunt, mox diſplicere incipiunt; vix probata improbant, ædificata diruunt: neque vt Apoſtolus monet, idem ſapiunt, idem ſentiunt, idem docent: ſed fides menſtruas, & annuas per loca, ac perſonas diſtributas, atque ab antiqua fide diſsitas, ſibi confingentes, fidem inteſtinis prælijs exagitant; quemadmodum ſuæ tempeſtatis hæreticis accidiſſe, Hilarius deplorabat, cùm diceret: *Periculoſum nobis admodum, atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates, & nobis tot doctrinas eſſe, quot mores; & tot cauſas blaſphemiæ pullulare, quot vitia ſunt: dum, aut ita fides ſcribuntur, vt volumus, aut intelliguntur: & cum ſecundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum Baptiſma, etiam fides vna ſit, excidimus ab ea fide, quæ vna eſt; & dum plures fiunt, ad id cœperunt eſſe, vt nulla ſit.* Quis vnquam inter tam diſſidentes ſententias, & tot doctrinarum prælia certam fidei veritatem agnouit, quæ non in fidei ſchiſmatibus, ſed in doctrinæ pace, & conſenſu reperitur?

Hilar. ad Conſt. ut.

Vnde enim tot errorum nebulæ, totq. hæreſum turbines tranquilliſſimum veræ Religionis æquor Gallis, Germanis, Anglis, Scotis, Polonis perturbarũt? Niſi quòd fidei pax, ac ſerenus ille omnium fidelium ad inuicem, & cum antiqua fide conſenſus diſcrepantium dogmatum, ceu ventorum, pugna, penè fugatus cernitur; & veræ Fidei, ac Religionis vnitas tot doctrinarum turmis impetita, velut oppreſſa, & proſtrata iacet?

Denique (Lector) ſi veram, ac Catholicam Chriſti Eccleſiam, quæ nam ſit, optas agnoſcere; id velut certiſſimũ ſtatue; eam tibi non in fidei diſsidijs, aut doctrinarum diſcordia: ſed in mutua, ac perpetua gentium, ac populorum in eadem antiqua fide conſenſione eſſe quærendam: Ec-

cleſia

cleſia enim cum vna ſit, non tam populorum, ac gentium vocatione, quam vnius fidei ſpiritu, atque vnitate collecta, ſimul atque fidei vnitas doctrinarum contentione, ac diſſenſione diſſoluitur, cum ea ſimul ad interitum rapitur.

Quapropter (Lector) Nicęnæ Synodi apud Athanaſium conſilium tibi amplectendum propono: vt qua via, quanè ratione ad veræ Fidei, ac Religionis diſciplinam pertingere valeas, agnoſcas. *Eſt enim ibi* (inquit) *vt Patres tradiderunt, vera diſciplina, ac Magiſterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à ſe inuicem, nec à maioribus diſſentiunt. Qui igitur hoc animo non ſunt, mali potius, quàm veri Præceptores appellari debent.* Nicen. Synod. apud Athanaſ. in decretis

Hac igitur certiſsima Catholicæ Fidei Regula tot teſtimonijs, ac rationibus illuſtrata, quidnam reliquum eſt (Lector) niſi vt ſapientiſsimè explores; An Lutheriſtarum, Caluinianorũ, Proteſtantium, Puritanorum, ac cæterorum Religioniſtarum Fides, ac Religio hanc omnium locorum, ac perſonarum in vna fidei doctrina cõſenſionem retineat, vt ea vera Fides, ac Religio dici poſſit? Da veniam (Lector) certè cùm res adeo manifeſta eſt, vt neminem, qui vel Germaniæ, vel Angliæ incola ſit, vel res Germanicas, aut Anglicanas prorſus non ignorat, inteſtina fidei bella, quæ in Germania Lutheranos, & Caluiniſtas, in Anglia Proteſtantes, & Puritanos exagitant, latere queant; quibus, Regno in partes, ac factiones diſſecto, pars Lutheriſtarum, pars Caluinianorum, pars Proteſtantium, pars Puritanorum fidei, ac dogmatibus paret: Quid alia huius rei probatione, quàm te ipſo teſte, opus eſt?

Noſti enim, quam immanibus odijs ex doctrinarum diſſenſione potiſsimum exortis, mutuò in ſeipſos exardeſcãt. Lutheriſtæ, Caluiniani, Puritani pluſquam centum capitibus, Proteſtantes impietatis, ac ſuperſtitionis, accuſant. Scribunt Proteſtantium ſectam errores in fide pęnitus intolerabiles continere; manifeſtam à Chriſto defectionem moliri; Sacramenta corrumpere, ac profanare; Verbum

Dei circumcidere, & alligare; eorum precandi formulas fœdos abuſus, vanas, & impias battologias, mendacia aperta, ſtoliditates vel manu tractabiles, plurimaq. cum ſcripturis diuinis pugnãtia continere, atque alia huiuſmodi aduerſus Proteſtantes libellis accumulant. At neque Proteſtantes honeſtioribus titulis Puritanos, Caluiniſtas, & Lutheranos excipiunt, quos Arrianorum, ac Anabaptiſtarum fautores, Apoſtolici ſymboli mutilatores, Hęreticos, atque alijs nominibus appellant: quo fit, vt inter eos pluſquam Vatiniana odia, contentiones, conuicia, ſarcaſmi, blaterationes graſſentur, quæ, non tàm vllum inter eos in eadem fide conſenſum, quàm irreconciliabile bellum vigere, apertiſsimè clamant.

Quid vniuerſalem locorum fidem commemorem? An ignoras, ingraueſcentibus vtrinque odijs, ac factionibus, plerumque eandem Vrbem, prę ſertim in Germania, cum ſimul Lutheranos, & Caluiniſtas capere non poſſet, totam vel Lutheranis, vel Caluiniſtis potentioribus ceſsiſſę: atque eò rem tandem perueniſſe, vt cùm fides factionum potentię, ac negotio tota committeretur, eadem nunc Lutheranorum, nunc Caluiniſtarum fidem exceperit? Quò ſanè factum eſt, vt eadem vrbs frequenter fidem mutaret; ac priori nec dum perfectè concepta, ad nouam mox fidem raperetur.

Videas Lutheriſtas, Caluinianos, Puritanos, & Proteſtantes, cum inter ſe de fide dimicent, nulla communia loca habere, non templa, non domos, non menſas, quoſlibet ſuum ſibi frutulum arripere ab alijs in fidei dogmatibus diſſentaneum; quotque ſuam ſibi ſynagogam erigere, in qua ſuos fidiculas inſtruant, cathechizent, & alios anathematizare doceant. Iam quis non apertè videat, Lutheriſtarum, Caluinianorum, Proteſtantium, ac Puritanorum fidem tam ab vniuerſali omnium locorum, ac perſonarum fide diſtare, quàm à propria fidei vnitate abeſt? Hæc quidem, quę de mutuis Lutheriſtarum, Caluinianorum, Prote-

te-

Digitized by Google

teſtantium,ac Puritanorum in fide diſsidijs hactenus diſſeruimus, eò ſpectant, vt eò minus Proteſtantium, aut Lutheriſtarum fidei locorum, ac perſonarum conſenſum relictum agnoſcas, quò maiorem in Anglia, aut Germania Vrbium, ac Populorum partem Puritani, & Caluiniſtę ſuis factionibus occuparunt.

Verum vt ad Anglicanos Proteſtantes orationem parumper deflectam; ſi ipſorum in vna fide conſenſum exquiras (Lector) eum planè tàm ab omnium perſonarum, ac locorum fide longè abeſſe perſpicies; vt quod ad perſonarum conſenſionem ſpectat, nihil luculentius ſit, quàm fidē apud ipſos cum primis tam priuatam, ac ſingularem exiſtere, vt eadem non vniuerſalis, ſed ſingularis, ac perſonalis apud eos euaſiſſe videatur; adeò, vt vnicuique, quid de Baptiſmo, quid de Euchariſtia, quid de inuocatione Sanctorum, quid de cultu Imaginum, quid de Iuſtificatione, quid de Fide, & operibus, quid de Purgatorio, atque alijs fidei dogmatibus ſentiēdum ſit, ſibi ipſi prǽſcribere liceat, tametſi à reliquis diſſentiat: atque inde potiſsimùm factum eſt, vt eorum plerique in illud Caluini dogma cōceſſerint; vt veram Eccleſiam vllis in fide diſſidijs, ac doctrinarum nęuis minimè labefactari, aut deperire ſentiant.

At quàm vana, atque incerta eorum fides ſit (Lector) tu ipſe iudica (neque enim, aut ignaro, aut ignorata loquor) qui toties ab ijs immutatam dogmatum fidem eſſe non ignoras, vt iuxta Hilarium fides menſtruas, & annuas ſibi configere videantur. Georgium quondam Saxoniæ Ducem de Lutheranis id dixiſſe ferunt: ſcire ſe quidem, quid Vicini ſui Vvittembergenſes hoc anno crederent, quid verò ſequenti anno credituri eſſent, ignorare. Id de Proteſtantibus, ac Lutheriſtis abſque vlla falſi ſuſpicione dici poſſe, haud leuiter exiſtimo. Cùm enim ab his, qui aliàs in Lutheranorum, Puritanorum, Caluinianorum, ac Proteſtantium dogmata iurarunt, ſemel percunctatus fuiſſem; quænā certa apud Lutheriſtas, Puritanos, Caluinianos, ac Proteſtantes

ſtantes dogmata circumferrentur, quibus vniuerſi ſubſcriberent, atque aſſenſum præberent? mihi illud reſponſum fuit; id, præterquam de generalibus quibuſdam fidei articulis, qui typis excuſi habentur, certò ſciri non poſſe: cùm de alijs alij alia ſentiant, atque eorum fides vix ad vigeſimum annum pertingat.

Hanc ne igitur (Lector) tu Catholicam omnium perſonarum, ac locorum fidem eſſe ſenties? quæ tanta temporum, & locorum anguſtia conſtricta eſt; vt cum per vnicum Regnum integrè diffundi non potuerit, ampliorem æmulæ ſectæ partem cedere cogatur, atque ita paulatim defluere videatur: vt Puritanis in Anglia, Caluiniſtis in Germania, ferè vbique ſuccedentibus, Lutheranorum, ac Proteſtantium fides extremum ſibi à Regno, atque à toto orbe exilium haud fruſtra pertimeſcere debeat.

Iam (obſecro) quònam illa Eccleſiæ Catholicæ amplitudo toto Orbe diffundenda euaſit? Hæccinè illa eſt veræ Religionis maieſtas, per vaſtiſsimas quaſq. Orbis plagas dilatanda? Hic ne copioſiſsimus ille populorum omnium concurſus, & conſenſus, ex omnibus terrarum angulis ad vnam Chriſti fidem, & Eccleſiam vocandus? Cum Puritanorum, ac Proteſtantium Religio vix intra vnius Inſulæ anguſtias, ac maris ſinum concluſa: atque adeò ijs terminis relegata, vt neque ad exteros diffundi, neque tota Inſula potiri illi vnquam permiſſum fuerit; obſcura, ignobilis, cunctis ignota, vix orta, ac in Anglia diſseminata, iam inuita ad ſuprema funera rapiatur. Lutherani verò & Caluiniſtæ, flante Dei ſpiritu, paulatim diffluere, & in graciles ſpumas iam abire conſpiciantur. Hæc tecum (Lector) prudenti animo reuolue, vt prudentiſsimum inde conſilium inire valeas.

Cęterum, vt hæc tibi luculentiora fiant, quidq. de Lutheriſtarum, Caluinianorum, Proteſtantium, Puritanorum, atque aliorum Religioniſtarum fide, ac Religione ſentiendum ſit, certius agnoſcas: lubeat primùm horum omnium

fidem

fidem, diligentius explorare: & An in vnã omnes coeant, ſapienter perpendere: ſubinde ſingulorum fidem interroga, vt num in ea conſtantes ſint, addiſcere queas.

Principio, quod ad Lutheranorum, & Caluiniſtarum fidem ſpectat, nihil ſanè magis perſpicuum eſt, quàm illam inter vtriuſque factionis ſectarios ita ſectam, ac diſpertitã eſse: vt alij aliorum fidem damnent; alij alios Hæreticos prædicent. Tam ſæua profectò ab ipſo ortu inter Lutheranos, & Caluiniſtas in grauiſſima fidei doctrina bella excitata ſunt: vt nulla vnquam Principum potentia, nulla Magiſtratus auctoritas, nullæ Epiſtolæ hinc, & inde exaratæ, nulla colloquia, quibus ad concilianda fidei dogmata ſæpè vſi ſunt, vllam non dicam pacem, ſed nec belli inducias obtinere potuerint.

Lutherus hanc in Caluinum, ac cæteros Sacramẽtarios ſententiam fulminat. *Hæreticos seriò cenſemus, & alienos ab Eccleſia Dei Zuinglianos, & Sacramentarios omnes, qui negant Chriſti corpus, & ſanguinem ore carnali ſumi in venerabili Euchariſtia.* Tum Epiſtola ad Iacobum Presbyterum, Eccleſiæ Bremenſis Doctorem. *Mihi* (inquit) *ſatis eſt omnium infelicisſimo vna iſta beatitudo. Beatus vir, qui non abijt in conſilio Sacramentariorum, nec ſtetit in via Zuinglianorum, nec ſedit in cathedra Tigurinorum. Habes quid ſentiã.* Lutherus cont. Art. Louan. theſ. 2.

Illyricus in defenſione confeſsionis Martiniſtarum, Caluinianam fidem de Euchariſtia reprobat, velut ſacrilegam. *Caluiniſtarum* (ait) *liturgia non vno ſacrilegio vitiata eſt, contaminataque, eaque (proh dolor) innumeras animas æterno exitio inuoluit.* Illyricus.

Franciſcus StanKarus epiſt. ad Regem Poloniæ in Tigurinos, ac Geneuenſes, tanquam in publicos Hæreticos inuehitur. *Verùm* (inquit) *quoniam Tigurini, & Geneuenſes, cùm ſint publici, & manifeſti Hæretici, & non ſemel ſcriptis, & Epiſtolis ſuis ſeduxerint Polonos tuos,* &c. Et libro de Trinitate aduerſus Henricum Bullingerum, Petrum Martyrem, Ioan. Caluinum, & reliquos Tigurinæ, & Geneuenſis Frānc. Stã karus.

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ perturbatores, cum Arrianis, & Eutychianis illos comparat; tum libro contra Caluinum numer. 4. in Caluinum, velut nouum Arrium, inuehitur his verbis. *Quis diabolus* (inquit) *ò Caluine, te ſeduxit, contra Filium Dei, cum Arrio obloqui, vt oſtenderes eum priuatum fuiſſe gloria ſua, nunc autem petere eam ſibi dari, quaſi non ſemper eam habuerit?* & poſt pauca. *Caue, Chriſtiane Lector, & maximè vos, Miniſtri omnes, à libris Caluini cauete; & præſertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de Sacramento Baptiſmatis, & prædeſtinatione: continent enim doctrinam impiam, & Blaſphemias Arrianas, vt in Caluinum ſpiritus Serueti combuſti ſecundum Platonicos remigraſſe videatur.*

Io. Schutz Ioannes Schutz in quinquaginta cauſis in præfatione liter. A. pleno ore in Sacramentarios debacchatur, velut in multarum Hæreſum propugnatores. *Sacramentariorum* (inquit) *doctrina ſentina quædam eſt, in quam multæ hæreſes confluunt: vltima ſathanæ ira, quam is furijs exagitatus, contra Chriſtum, eiuſq. Eccleſiam exercet.* Tum litera Q. 3. ita de Sacramentarijs decernit. *Qui Sacramentariorum partes ſequitur, is manifeſtus, & iuratus eſt Dei aduerſarius; & fidei, quam Chriſto in Baptiſmo promiſit, nuntium miſit.*

Heshuſius Heshuſius in defenſione contra Caluinum, id pro magna ſuæ fidei laude ducit, quod contra Caluinianam ſectã dimicauerit. *Deo* (inquit) *& Eccleſiæ teſtatum facio; me non colluſiſſe cum blaſphema, & ſacrilega Caluiniſtarum ſecta: ſed in acie ſtetiſſe contra eam.*

Sed quid his teſtimonijs immoror? ſanè tot Lutheranorum libelli, qui aduerſus Sacramentarios publicè per Germaniam, ac Poloniam curſitant, quibus illorũ fidem ſuggillant, damnant, anathematizant, nihil luculentiùs oſtendunt, quàm illos auerſum à Sacramentarijs, & animum & fidem gerere, quos breuitatis ſtudio prætereo.

Verùm nec ſuauius Caluiniſtæ, ac Sacramentarij, Lutheriſtas excipiunt. Caluinus enim in admonitione 3. ad Ioachim Vveſtphal. hęc Lutheriſtis encomia texit. *Lutherani*

Digitized by Google

rani homines (ait) *ſunt vertiginoſi, Cyclopes, ſuperba factio Gigantum, phrenetici, beſtiæ, prodigioſè cæci, deſperatè impudentes; nihil aliud, quàm falſarij, ac improbi calumniatores, proterui, plus ſatis bardi, faſtuoſi, & ſimul ita ignari, vt quod pueris in Cathechiſmo traditur, id eorum Veterani Theologi ignorent.* Atque alia multa his addit, quibus apertè declarat, quàm longè à Lutheri ſecta ipſe Caluiniſtarum dux diſiunctus fuerit: vnde nec mirum videri debet, has ſectarum diſſenſiones, quæ ſanè non aliunde, quàm ex fidei diſſidio ortæ ſunt, cum ab ipſis ſectarum auctoribus exorſæ fuerint, ad poſteros ſectarios tranſiſſe. Caluinus.

Cęterum fidei confeſſiones, Catechiſmos, qui à Lutheranis circumferuntur, Caluiniani, ac Sacramentarij ita exhorrent; vt illos Anathemate damnent, atque à ſuis cœtibus penitus reijciant: vt ſatis conſtat ex Decreto Heildebergenſium Theologorum in ordinatione Eccleſiaſtica, his verbis expreſſo. *Lutheri, & Brentij Catechiſmi extra Eccleſiam eijciantur, vt eorum ſcripta nullam habeant auctoritatem.* Theologi Heldeberg

Id verò adhuc manifeſtiùs erit, ſi præcipua Chriſtianæ doctrinæ capita euoluantur, in quibus apertè inter ſe dimicant, ac præliantur.

Caluinus Deum abſoluta potentia minimè præditum eſſe docet lib. 2. Inſtitut. cap. 7. §. 5. & lib. 3. cap. 23. §. 2. in cap. 11. Iob. conc. 43. eidem ſubſcribit Beza in Creophagia, & defenſione ad Schnuceri Reſponſionem.

Contra docent Lutherani in Confeſſ. VVittemberg. fol. 144. Conradus Schluſſelburg. Theolog. Caluiniſtæ lib. 1. c. de omnipotentia Dei.

Deum eſſe mali auctorem, cauſam efficientem peccati, ac ſcelerum omnium perpetratorem aſſeruit Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 4. 7. 8. Deum reprobos quoſque ad æternum interitum prædeſtinaſſe, ordinaſſe, creaſſe, atque ita neceſſariò ex immutabili Decreto Dei reprobos peccare, vt non niſi Deo ordinante, ac efficaciter volente,

Digitized by Google

peccent, ſuſtinet Beza in Colloquio Montiſpelgartenſi, & in ſumma Chriſtianiſmi pag. 121. & 177. & 286.

Contra aſſerunt Lutherani. Iacobus Andreas, ac cęteri Lutherani Miniſtri in dicto Colloquio Montiſpelgartenſi; vbi hanc doctrinam velut in Chriſtum, & verbum Dei blaſphemam execrantur. Conradus Schluſſelburgius Theol. Caluin. lib. 1. cap. de prædeſtinatione. Lutherus in cap. 16. Ioan.

Duas in Chriſto perſonas Caluiniſtæ profitentur. Caluinus lib. 1. Inſtit. cap. 13. §. 9. 23. & 24. Beza aduerſus Brentium, vt aliàs viſum fuit.

Lutherani contra apertè negant: vt patet in Colloquio Montiſpelgartenſi, in quo ij vnicam tantùm in Chriſto perſonam agnoſcunt, ac propterea Bezam Neſtorianum appellant.

Chriſti corpus ante Mariam extitiſſe, Caluiniſtæ docēt, Beza in Colloquio Mõtiſpelgartenſi, fol. 77. vbi ait. Corpus Chriſti etiam tempore Abrahæ extitit, & contra Heshuſium pag. 284. defendit, Chriſtum in veteri Teſtamento, non tantum virtute & efficacia tenus, ſed etiam eſſentia ſeipſum iuſtis communicaſſe.

Contra Lutherani negant. Schluſſelburgius Theol. Caluiniſt. lib. 1. cap. 17. & lib. 2. cap. 7. vbi his verbis hunc Caluiniſtarum errorem carpit. *Ergo falsò dixit Angelus. Natus eſt vobis hodie Saluator; cum iuxta doctrinam Bezæ, & Geneuenſium natus fuerit tempore Abrahæ, & multò antea.*

Chriſtum pro electis dumtaxat paſſum, ac mortuum fuiſſe, docent Caluiniſtæ, Beza in Colloq. Montiſpelg. pag. 546. vbi ait. *Non pro impijs, & damnatis effudit ſanguinem in remiſſionem peccatorum.*

Contra Lutherani hanc doctrinam damnant. Iacobus Andreas & Tubingenſes in eodem Colloquio. Schluſſelburg. Theol. Cal. lib. 1. c. 6. de Redemptione Chriſti.

Diuinam Chriſti naturam paſſam, & mortuam eſſe affirmant

Digitized by Google

firmant Lutherani. Lutherus lib. de Concilijs par.2. Muſculus libro Germaniæ impreſſo, de concordia diſcipulorum Lutheri.

Negant Caluiniſtæ, Beza epiſt.61. vbi de Chriſti Deitate ita contra Lutheranos ſcribit. *Negamus omnino in Deitatem cadere poſſe mutationem vllam: affirmamus vnigenitum Filium Dei IESVM Chriſtum ſecundùm Deitatem eſſe immutabilem, & nulli perpeſsioni obnoxium eſſe poſſe.*

Chriſtũ ad inferos deſcendiſſe, negant Caluiniſtæ. Caluinus lib.2. Inſtit.c. 16. §.9. & in cap.30. in Iob, & Catechiſmus editus 1562. & 1567. Auguſtinus Marloratus ad c.2. Act. Apoſt. Beza ibidem.

Lutherani aſſerunt. Lutherus par. 2. Iſlibienſi ad Pſal. 16. Schluſſelburgius Theol. Calu.lib.1. c. 27.

Chriſtum ſecundùm aſſumptam humanitatem vbique eſſe, Lutherani defendunt. Lutherus in confeſsione maiori, & ſerm. de Sacramento Corporis, & ſanguinis Chriſti. Brentius in lib. de duabus naturis, & Aſcenſione Chriſti. Illyricus in lib. de Aſcenſione Chriſti. Kemnitius in lib. de duabus naturis. Michael Neander in Chriſtiana Theologia c. de Cœna Domini.

Caluiniſtæ negant. Caluinus lib.4. Inſtit. c.17. §. 30. ad c.4. ad Epheſ. Beza ad Brentij argumenta.

Chriſtum obſignato ſepulchro ſurrexiſſe, & ianuis clauſis ad Apoſtolos ingreſſum fuiſſe, improbant Caluiniſtæ. Caluinus lib.4. Inſtit. c.17. §.29. Beza in Creophagia, & contra Vueſtphalum, & hom.2. de Cœna Domini.

Lutherani contra id aſſerunt teſte Conrado Schluſſelburgio Theol. Caluin. lib. 1. c.3. *Sanè* (inquit) *veteris Eccleſiæ de penetratione Chriſti per ianuas clauſas manifeſtus, & perſpicuus eſt conſenſus?*

Sanctos pro viuis orare, & intercedere, Caluiniſtæ vbique impugnant. Caluin. Inſtit. lib.3. cap.20. §.21. Beza ad Nicolai Schnuceri calumnias.

Contra Lutherani defendunt, Lutherus in reſponſione

L 2 ad

ad Louanienſes, & in Poſtilla maiori in die Natiuitatis Mariæ: vbi ait. *Interceſſionem Mariæ amplectimur, vt reliquorum Sanctorum.*

Chriſti, & Sanctorum Imagines delendas eſse Caluiniſtæ obſtinatè docent. Calu. lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 3. Beza in colloquio Montiſpelgart. fol. 418. vbi in hac nefaria verba erumpit. *Fateor me ex animo Chriſti imaginem deteſtari.*

Lutherani contra imagines defendunt, præſertim Lutherus contra cęleſtes Prophetas. & de communione ſub vtraque ſpecie: & Neander in Theologia Chriſtiana cap. de inuocatione.

Caluiniſtę fidelium Infantes ſine Baptiſmo in vtero ſanctificatos eſse volunt: Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 16. §. 26. Beza in abſterſione Calumniarum Heshuſij, & in Creophagia.

Lutherani diſsentiunt. Lutherus in confutatione rationis Latomianę Schluſselbergius Theolog. Caluin. lib. 1. c. de Baptiſmo.

Baptiſmum à Mulieribus adminiſtratum non valere, imò nec abſolutè neceſsarium eſse, docent Caluiniſtæ. Caluinus epiſt. 51. & defenſione contra Vveſtphalum. Beza in abſterſione calumniarum Heshuſij, & de Cœna contra Vveſtphalum.

Ex aduerſo Lutherani pugnant. Lutherus tom. 4. in Gen. fol. 243. Conradus Schluſselburgius Theolog. Calu. lib. 1. cap. 18. Neander in Theologia Chriſtiana cap. de Baptiſmo.

Caluiniſtæ corpus Chriſti in Euchariſtia figuratiuè, ac tropicè tantum contineri affirmant. Caluinus in defenſione ſecunda contra Vueſtphalum, & lib. 4. Inſtit cap. 17. §. 12. 18. & 20. Beza contra Brentium de carnis Chriſti omni præſentia. Petrus Viretus, & alij omnes Caluiniſtæ.

Contra inſurgunt Lutherani, Corporis, & ſanguinis Chriſti veritatem in Euchariſtia agnoſcentes. Lutherus

Google

rus epiſt. ad Argentinenſes, & contra Caroiſtadium. Et cum Luthero vniuerſi tam Molles, quàm Rigidi Lutherani conſentiunt, Illyricus, Melanchton, Kemnitius, Vigandus, Heshuſius, ac cęteri.

Lutherani Chriſtum in Euchariſtia adorandum eſse affirmant. Lutherus ad cap. 47. Geneſ. & contra articulos Louanienſium,& ad Vvaldenſes. Brentius in Apolog. confeſs. Vuittemberg.

Caluiniſtæ contra negant. Ioannes Caluinus de Vitandis ſuperſtitionibus. Beza de Cœna Domini contra Vueſtphalum.

Plura huius Lutheriſtici, & Caluinianiſtici belli teſtimonia afferri poſsent, quæ conſultò prætereo: ne tędium auribus inferam. Illos potiùs in hac cauſa Iudices audiamus. In primis Tigurini Theologi in præfatione Apologetica ad reformatas Eccleſias præfixa Orthodoxo conſenſui, anno 1578. impreſsa, Ciuile hoc Religionis, ac doctrinæ prælium vehementer deplorant, his verbis. *Quàm graue, ac diuturnum ſit de ſacra Domini Cœna inter Eccleſias, quæ relictis ſuperſtitionibus Papiſticis, puram Euangelij doctrinam profitentur, diſsidium, nemo eſt, qui ignoret; nemo, qui non deploret, propter ſcandala, quæ inde grauia, ac multa exorta ſunt.* Et poſt pauca. *Nec de ſola Cœna Domini, ſed etiam de Chriſti perſona; de diuinæ, & humanæ naturæ vnione, & diſtinctione; de corporis eius omni præſentia; de corporali, quæ ore fit, & dentibus, & tam pijs, quam impijs communis ſit manducatione; de Aſcenſione eius in Cælos, & ſeſsione ad dexteram Patris, tanto diſputationis feruore contenditur; vt non paucæ veterum hæreſes, quæ olim damnatæ & extinctæ fuerant quaſi ex inferis reuocatæ caput rurſus attollant.* En aduerſarios ipſos noſtræ veritatis teſtes, ac ſuę ipſorum non tam cauſæ, quam fidei, ac doctrinæ condemnatores: vbi enim in tanto doctrinarum bello, quod inter eos initur, qui ſe Fidei, ac Religionis Reformatores venditāt, vera Fides, aut Religio eſſe poteſt? Theol. Tigu.

Supereſt iam (humaniſſime Lector) vt tum de Lutheranorum,

norum, tum de Caluinistarum bello, quo vtriuſque partis Aſſeclæ ſingillatim inter ſe pugnant, pauca accipias: Hic illud planè à Deo miraculum accidiſſe credas, de quo prim.
1.Reg.14. Reg. 14. ita ſcribitur. *Et accidit quaſi miraculum à Deo: & ecce verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis.* Ita enim Lutherani in Lutheranos, Caluiniſtæ in Caluiniſtas acerbè inuehuntur, ac linguarũ, quibus pro gladio vtuntur, iuxta Regij Vatis ſententiam dicentis, *Lingua eorum gladius acutus*; ſe mutuis vulneribus concidunt, vt vix illis in Catholicam Eccleſiam debacchandi locus, aut tempus relictum ſit.

Lutherani (de horum enim bello prius agendum eſt) in pleriſq. grauiſſimis fidei dogmatibus inter ſe diſſident: neque eos tantùm Lutheranorum nomine dignos intelligo, qui Rigidi appellantur, ac puram (vt aiunt) Lutheri doctrinam mordicùs defendunt: ſed Molles quoque, quotquot à Luthero progeniti, illius doctrinam aliquando aſſequuti ſunt: qui cum in centum, & amplius ſectas ſint diſſecti (vt alibi diximus) ſanè haud dubium eſt, quamque ſectam ſibi propriam doctrinam ab aliarum doctrina diſcrepantem conciliare.

Porrò ijs Lutheranorum ſectis ſilentio prætcritis, quæ licet à Luthero ortæ ſint, ab eius ſe tamen doctrina penitùs diſſuerunt; vt Carolſtadianorum, Zuuinglianorum, Anabaptiſtarum, quæ à Lutheranis damnantur: præcipua duntaxat potiſſimarum ſectarum, quę inter Lutheranos verſantur, doctrinarum placita hic commemorare lubet; de quibus inter ſe pertinaciter dimicant.

Flacciani, ſeu Illyricani, qui ad Luteranos Rigidos pertinent, duce Matthia Flacco, natione Illyrico; bona opera ad ſalutem minimè neceſſaria eſſe pro Luthero pugnant: ac propterea Vuittembergenſes, ac Molles Lutheranos, qui Luthero mortuo hunc ipſum articulum inter Adiaphora, ac indifferentia dogmata, quæ affirmari, & negari poſſent, retulerunt; anathemate percutiunt, diris deuouent,

Et-

Ethnicos, & Publicanos pronunciant, diabolo tradunt: at viciſſim non minori odio, ac execratione illos accipiunt Vuittembergēſes, cum Melanchtone, ac Lutheranis Mollibus, qui illorum ſententiam, velut hæreticam, damnant.

Subſtantiarij peccatum originis, ipſam eſſentiam, naturam, atque ſubſtantiam hominis eſſe docent. Contra Accidentarij peccatum originis accidens eſſe tradunt: hinc illi Subſtantiarij, hi Accidentarij nuncupati ſunt.

Stembergenſes, à Luca Stembergio Lutheri, & Melanchtonis diſcipulo, in Trinitatē impiè debachātur: & eos, qui Sanctiſs. Trinitatis nomen confitentur, velut Trideiſtas irrident. Demum Trinitatem negant. Ab his Lutherani, tam Rigidi, quam Molles abhorrent, qui Trinitatis nomen accipiunt.

Suenchfeldiani, auctore Gaſparo Suenchfeldio, docent humanam Chriſti naturam, poſt eius in Cęlum Aſcenſionem, omnino in diuinam naturam tranſmigraſſe. Contra hos pugnat Philippus Melanchton, eoſq. paſsim ſcriptis confutat. Porrò hi, teſte Staphilo, in diuerſas partes ſcindi cęperunt. Aliud enim ſentiunt Vratiſlaunienſes, aliud Suidnicenſes, aliud Glogouienſes.

Oſiandrini, ab Andrea Oſiandro Lutheromanita exorti, docent hominem iuſtificari non fide, ſed eſsentiali iuſtitia Dei; eaque in nobis habitante: adeo vt nihil hominem iuſtificet præter ſolam Diuinæ naturæ iuſtitiam. Hos Muſculani, ac StanKariani, ac præſertim Lutherani Rigidi, inter hos Illyricus, ſcriptis exagitant, eorumq. doctrinam damnant.

StāKariani, à Franciſco StanKaro cognominati, Neſtorianorum more, duas in Chriſto perſonas diuidunt, in quos cæteri ferè omnes Lutherani inuehuntur, eoſq. pro hæreticis habent.

Vbiquetarij humanam in Chriſto naturam ita confundunt, vt ad diuinam euehant: docent namque humanam naturam in Chriſto ita vbique eſse, ſicut Diuinam: hos durè

rè accipit Sturmius Lutheranus, Rector Academiæ Argentoratenſis in Ambroſia ad Ioannẽ Papum, & in Antipapo.

Maioriſtæ, à Georgio Maiore geniti, bona opera ad ſalutem neceſſaria eſſe, docent: contra pugnant Amſdorfiani aſſerentes, bona opera eſſe ad ſalutem pernicioſa.

Synergiſtæ, à Philippo Melanchtone orti, docent, hominis voluntatem liberè cum Dei gratia operari. Oppugnãt Flacciani ſeruum prorſus liberum arbitrium efficientes.

Antinomi, è lumbis Lutheri Vuittembergæ nati, Moſaicæ legis ſe hoſtes tetertimos declarant: decem præcepta ferre non poſſunt. Denique Antinomici dogmatis ſumma eſt. Quicquid libet, licet: modo in Chriſtum credas; quã doctrinam ſe à Luthero didiciſſe gloriantur. Horum dogma Lutherani præſertim Rigidi damnant.

Adiaphoriſtæ, ex Molliorum Lutheranorum genere, docent, legitimas Eccleſiæ conſtitutiones res eſſe indifferẽtes, ac neminem ad obſeruantiam aſtringere; iuramentum, cęremonias, ieiunia, orationes, & reliqua ſacra, eius generis eſſe volũt, vt nihil interſit, vtrum illis aliquis vtatur, vel non vtatur. Aduerſus iſtos vſque ad ſitim vociferantur Flacciani, Smidelliani, Amſdorfiani, eoſque maledictis, & conuicijs opprimunt.

Hi verò adeo in fidei doctrina inter ſe pugnant, vt mutuis, ac quotidianis libellis ſeſe excipiant, exagitent, proſcindant, nec vllum excommunicandi, damnandi, anathematizandi, diris deuouendi modum ſtatuant; quod declarant ſcripta vtrinque edita, quibus ſeipſos mutuò dilacerãt.

Theologi Tigu. Quid plura de hac Lutheromachia ita ſcribunt Tigurini Theologi in præfatione Apologetica ad orthodoxum conſenſum. *Cùm Auguſtanæ confeſsionis Theologi hactenus in multis liberè, & apertè à Luthero diſſiderent (id quod acerrimè ipſorum de præcipuis fidei dogmatibus concertationes teſtantur) nos ſoli inexpiabile ſcelus committere videmur, quòd in vno tantùm capite à Lutheri auctoritate, qua ſola illi nos opprimere volunt, recedimus. Tulerunt huc vſque inter ſe diſcrepantes de* iu-

iuſtificatione, de libero arbitrio, de Euangelio, de lege, & eius vſu, de Chriſti ad inferos deſcenſu, de ipſius perſona, de cæremonijs, de filiorum Dei electione ad vitam æternam, & multis alijs non leuis momenti articulis, de quibus facile tranſigunt, eò quòd iſti ſeſe Lutheri nomine tuentur. Plura de hoc Lutherano doctrinarum ſchiſmate, teſtimonia habentur apud Cyriacum Spandebergium, libro, quem inſcribit, Verax Narratio; Ioannem Mencellium Lypſienſem libro de Paſtoribus, Islebij impreſſo. Vuigandum libro de Erroribus Georgij Maioris. Nicolaum Gallum in Theſibus, & Hypotheſibus fol. vltimo. Dauidem Chytræum Thema. deprauat. Auguſt. confeſſ. Illyricum in declaratione quorundam articulorũ Chriſtianę doctrinæ. Caſtallionem in præfatione Bibliorũ. Nicolaum Selneccerum ad Pſalm. 131. Andreãm Poachiũ in defenſione pro impoſſibilitate bonorum operum.

Ad Caluiniſtas venio, qui cum in multiplices ſectas excreuerint, ac diſſecti ſint; nimirum in Caluiniſtas pacificos, Canſarios, Conciſtoriales, Apologeticos, Bozanos, Hugoniſtas, Richerianos; & in Anglia præſertim, in Puritanos, & Proteſtantes, ſeu Caluinopapiſtas: quid tot ſectas, præterquam mutua doctrinarum diſcordia, peperit?

Verùmtamen alijs ſilentio præteritis, quàm acerbè in Anglia Puritanorum, ac Anglocaluiniſtarum ſectæ inter ſe de grauiſsimis fidei dogmatibus digladientur, non nihil ſuperiùs attigimus: nam Puritani, quos Rigidos Caluiniſtas appellare lubet, Anglocaluiniſtas, ac Proteſtantes vulgares pluſquàm centum Capitibus (vt teſtis eſt Sanderus in lib. de Schiſmate Anglicano) impietatis, ac ſuperſtitionis accuſant. Hi poteſtatem nullam in Clero agnoſcere volunt: Patrum omnium antiquorum teſtimonia reijciunt: nullam Principibus ſęcularibus poteſtatem tribuunt condendi leges circa Eccleſiaſticas cæremonias: Modum Paſchatis ſemel in anno celebrandi damnant, cum in memorijs hominum ſemper verſari debere Reſurrectionem Do-

mini doceant. Non tam in vino, quam in ceruiſia cœnam celebrant.

Contra Anglocaluiniſtæ ſentiunt; Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum poteſtatem agnoſcunt; antiquos Patres ad fidei dogmata confirmanda ſępè allegant. Secularibus Principibus ius leges condendi ad ſacras cęremonias ſpectantes tribuunt; Paſcha ſemel in anno celebrant, ac pręterea, Peruigilia in feſtis Apoſtolorum ſeruant; Feſta B. Virginis ac Apoſtolorum communi Religione colunt, ac plurima alia iuxta Eccleſiæ Catholicę ritum obſeruāt; vnde ab ijs Caluinopapiſtæ nuncupantur. Atque inde inter eos immania odia, conuitia, ſarcaſmi, contentiones oriūtur. De publico hoc ſchiſmate ſcribit Andreas Philopater in reſponſione ad Edictum Reginæ contra Catholicos: vbi inter cętera hæc habet. *Scribunt enim ſectam hanc* (Anglocaluiniſtarum) *errores continere penitus intollerabiles, & manifeſtam à Chriſto defectionem: verbum Dei circumciſum eſſe in Anglia, & alligatum: Sacramenta corrupta, & profanata: ſtatas in Eccleſia Anglicana precandi formulas fœdos cōtinere abuſus, varias, & impias battologias, mendacia aperta, ſtoliditates, vel manu tractabiles, multaq. cum ſcripturis Diuinis pugnantia: Pſeudoepiſcopos Anglicanos meras eſſe reliquias ſeminis Antichriſtiani: bellum Chriſto indicere; ideoſic de illis ſentiendum eſſe omni verè Chriſtiano, vt de iuratis planè Chriſti, Eccleſiæq. ſuæ hoſtibus.* Hæc Puritani de Anglocaluiniſtis. Atque hi viciſſim in Puritanos inſurgunt, ac Arrianorum, & Anabaptiſtarum fautores, ac alijs nominibus appellant, quæ publicam harum ſectarum ſeditionem declarant.

Neque inter Caluinum, Bezam, & alios Caluiniſtas doctrinarum iurgia deſunt, quæ nos in ſecundo Demonſtrationum noſtrarum tomo fuſius proſequimur. His quoque bella, quæ tum Lutherus, tum Caluinus ſibi ipſis inferunt, dum idem de eadem fidei doctrina aiunt, & negant, adnectenda

Digitized by Google

ctenda eſſent: de quibus copioſè ſcribunt Ioannes Fabri, & poſt eum Iodocus Coccius in Theſauro Catholico: ſed hęc tibi (Lector) fideliter exaraſſe, ſufficiat; vt hinc tibi facilè perſpectum eſſe poſsit, qualis apud Lutheriſtas, Caluiniſtas, Proteſtantes, Puritanos, ac cęteros Religioniſtas Fides, ac Religio ſit; in qua nihil Catholicum, & vniuerſale, nihil firmum, conſtans nihil eſſe conſpicitur.

REGVLA QVINTA.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenus dubita,* (qui veram Religionem æmularis,) *veram fidem, quæ veram Religionem præſtat, non mutilam, non truncam, non in partes diſſectam; ſed integram, & incorruptam ab omnibus coli debere.*

Præclaram hanc Fidei Regulam ex ſacrarum ſcripturarum fontibus hauſtam, ipſa fidei natura, ac innata ratio nō obſcurè confirmat. Vera etenim fides, in qua perfecta vnitas elucere debet, cunctis ſuis partibus conſtet, neceſſe eſt; ne quid ad ipſius ſubſtantiam, ac perfectionem deſit, quo clauda efficiatur. Clauda autem efficitur, cum aliqua fidei veritas, quæ illius membrum eſt, ab ea mutilatur: atque ita fidei dogmata amplectimur, vt aliquid ab ea reijciamus. Hoc planè eſt fidem obtruncare, ac illius vnitatem proſcindere. Ijs, quibus talis fides eſt, nec integra, nec vera, nec vna, imò nec fides eſſe poteſt; cum ea ſua vnitate, ac integritate careat.

Certum itaque, ac firmum ſit (Lector) veram fidem ita integram eſſe debere: vt non in aliquo conueniat, in altero diſſideat: nā quæ varijs opinionibus, ac ſtudijs diſcinditur, aut in aliquo dogmate à communi fide diſſentit, non vna fides, nec integra cenſenda eſt; tametſi in cęteris non diſsentiat: nec ex ea vera Religio à falſa dignoſci poteſt: quin etiam verę Religioni, quæ vnica tantum, eaque integra fide conſtare debet, fidei diſſenſiones, atque errorum næui ita obſunt: vt ab ijs non ſolum labefactari, ſed etiam

M 2 ſun-

funditus euerti illam contingat.

Quod ex Iacobo Apoſtolo tibi primùm demonſtrari poteſt, ita ſcribente. *Quicumque autem legē ſeruauerit: offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* En hominem ex Apoſtolo vniuerſis legis mandatis incumbentem, qui, ſi cęteris ſeruatis, vnicum tantùm mandatum ſoluat, protinus totius legis tranſgreſſor conſtituitur, ac vniuerſę legis pręuaricationis debitor eſt: Huius rei ſi cauſam expetas, ea eſt, quòd ad perfectam iuſtitiam conſequendam integra legis obſeruatio neceſſaria ſit. Bonum enim conſtat ex integra cauſa; quòd ſi in aliquod vitium offendimus, iam bonum illud eſſe non poteſt, cum aliqua cauſa deficiat. Malum verò cum ex vna tantum cauſa deficiente oriatur, hinc tota Iuſtitia labefactatur, ac iuſtitia eſse deſinit, cum boni integritatem amittit.

Exemplo id magis manifeſtum fiet. Sanitas plurimis concurrẽtibus cauſis efficitur: ſiquidem opus eſt ab ęgroto, vel bilim, vel pituitam, vel cęterorum humorum exorbitãtiam purgari, ac morbi cauſam remoueri; deinde prædominantes humores ad iuſtitiæ pondus temperari; huic ſuccedere debet naturæ corroboratio; huic virium reſtauratio: ex his ſi vna tantummodò deſit, ſanitas haberi non poteſt. Eodem planè modo de animæ valetudine ſentiendum, quam Deus in perfecta legis obſeruatione repoſitam eſſe voluit. Omnium quippe mandatorum obſeruantia integra cauſa eſt, quæ in nobis animi valetudinem tuetur: vt ſi ab eorum, vel vno tantũm nos recedere cõtingat, ſtatim in culpæ morbum prolabimur, qua animæ valetudo deperditur.

Ita nos quoque de fide ratiocinari, æquum eſt; quam ſi integram, ac perfectam eſſe volumus, perfecto omnium credendorum dogmatum numero, velut membris, eam cõſtare neceſſe eſt; quòd ſi ab ijs vnum duntaxat auellas, protinus totius fidei morbus, ac iactura ſequitur.

Quamobrem D. Paulus eos ſummoperè euitari iubet, qui

qui diſſenſiones, ac offendicula in fide excitant; quibus fidei integritas dilaceratur, dum ita ait ad Romanos 16. *Rogo autem vos, fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis.* Nec fruſtra Paulus, duabus hiſce vijs, fidei integritatem corrumpi admonet, primum diſſenſionibus, deinde offendiculis. Qui enim præter fidei doctrinam, quam acceperunt, in ea diſſenſiones, ac bella cient: ij proculdubio fidem perturbant, ac in dubium reuocant: dubia autem, ac perturbata fides quomodo integra eſſe poteſt, cum conſtanti illa veritate careat, quæ fidem non tàm integram, quàm certam in animo efficit? Ij verò offendicula in fide ponũt, qui aliquod fidei dogma præter communem Eccleſiæ doctrinam, vel addunt, vel minuunt, vel corrumpunt, vel in aliud mutant: in quod imprudentiores homines impingentes, protinus à tota fide excidunt; de quibus prius Iacobus dixerat. *Qui autem offenderit in vno, factus eſt omnium reus.* Atque hi cum in illo vno fidei dogmate offendiculum ſtatuant, haud dubium eſt, quin fidei integritatem corrumpant, ac veram Religionem ſimul cum fide interimant. Rom. 16. Iacob. 2.

Id enim exploratiſſimum eſt, veram Religionem in integra, ac perfecta duntaxat fide fundari: quod hac ratione potiſſimum declaratur. Nam fides lumen quoddam eſt nobis à Deo immiſſum, ac inſpiratum; quo illuſtrante ad veri Dei cognitionem pertingimus; Deus namque cum ſupernaturale quoddam ens ſit, quod omnẽ ingenij noſtri aciẽ, ac vniuerſam hominis ſcientiam ſuperat; adeòq. inacceſſibile, vt eò mens humana naturali tantum lumine illuſtrata pertingere non valeat. Eo fit, vt quiſque Deo indigeat, quo Magiſtro, ac Doctore veram, ac perfectam ipſius cognitionem addiſcat. Huc enim ſpectat, quod Chriſtus apud Ioannem 6. ait. *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me:* Et illud. *Et erunt omnes docibiles Dei.* Hæc porrò diſciplina, cum nulli ſenſui ſubiaceat, à quo illius Io. n. 6.

cui-

euidentia nobis aperiri queat: fide magis, quàm demonſtratione aliqua ad eam adipiſcendam opus eſt: vt ſcilicet Deo docenti perfectè credamus. Addiſcentem namque (teſte Philoſopho) oportet credere. Paulus etiam hoc ipſum confirmat ad Hebræos cap. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere*. Atque inde integra, ac perfecta fides oritur, cum vniuerſa, quæ Deus vel per ſcripturas, vel per Eccleſiam docet, integra amplectimur. Nam, qui nonnullis reiectis, cętera amplectuntur; ij quidem apertè profitentur ſe Deo perfectè non credere; cum vero Deo omnino non credant, profectò nec Deum perfectè agnoſcũt: (cum Dei cognitio potiſſimum à fide ſit) & fidei integritatem dilacerant: Dilacerata autem, ac diſſecata fide, quómodo integra Religio poteſt conſiſtere, quæ fidei fundamento innititur?

Heb. 11.

Cum enim vera Religio ea ſit, qua verum Deum, tanquam rerum omnium auctorem, ac finem, ſummo, ac debito cultu proſequimur: quo pacto nos id præſtare poſſe credimus, niſi perfecta, ac integrá illius cognitio, quam integra fides adminiſtrat, óbuia nobis illuxerit? Hinc enim tot falſæ Religiones ortæ ſunt, dum non verum, ſed quem ſibi ipſis animo fingunt, Deum venerantur: quo fit, vt vera Religio integra fide conſtare debeat. Ea propter Paulus ab ijs ſummo ſtudio cauendum imperat, qui diſſenſiones, ac offendicula in fidei doctrina ſtatuunt, cum ijs propoſitum ſit, cum fidei vnitate veram, quoque Religionem ſubuertere.

Augustin. Hinc D. Auguſtinus lib. 1. de vera Relig. cap. 5. veram Religionem apud eos tantùm quærendam eſſe docet, qui fidei integritatis cuſtodes ſunt. *Vera Religio* (inquit) *neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Iudęorum quærenda eſt, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, & orthodoxi nominantur, id eſt integritatis cuſtodes*. Vbi ex Auguſtino conſtat, nõ omnes, qui Chriſtiani nominis ſibi gloriam

riam vſurpant, integritatis cuſtodes eſse: ſed eos tantùm, qui vnam, ac Catholicam fidem, integram, nulla diſsenſione, aut mutatione cuſtodiunt. Quod etiam confirmat de ſymbolo lib. 1. cap. 5. *Non inſultent* (inquit) *Hæretici per partes conciſi, non ſe extollant, qui dicunt, ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic. Qui dicit, ecce hic, ecce illic, ad partes inducit. Vnitatem promiſit Deus, Reges in vnum collecti ſunt, non per ſchiſmata diſsipati ſunt.*

Munitiſſima ſanè eſt hęc D. Auguſt. ratio: nam ſi, aut hic, aut illic eſt Chriſtus: ſi partitæ ſunt in fide opiniones: ſi hic negatur Chriſtus, illic aſseritur; quomodo vna fides eſse poteſt, quæ in tot partes diſsecatur?

Id quoque facilè euincit D. Thom: 2.2. q. 5. art. 3. hac ratione: ſpecies cuiuslibet habitus depēdet ex formali ratione obiecti, qua ſublata ſpecies habitus remanere non poteſt. Conſtat autem formale obiectum fidei eſſe primam veritatem, quatenus per ſcripturas ſacras, ac doctrinam Eccleſiæ, quæ à prima veritate manat, declaratur. Quò fit, vt qui ab aliquo fidei dogmate, quod in ſcripturis continetur, vel ab Eccleſiæ doctrina recedit, quæ infallibilis eſt, ac Diuina Fidei Regula, tam in proponendo, quàm explicando, quæ ad veram fidem ſpectant; is ſtatim fidei habitu ſpolietur: non ea ratione duntaxat, quòd à formali fidei obiecto, quod eſt ipſa prima veritas, diſsentit: ſed etiā, quia modum ab Eccleſia præſcriptum, quo fidei dogmata amplecti debet, contemnit: inde fit, vt cum primæ veritati, quoad aliquem fidei articulum, non credat: ſed alium amplectatur, alium reijciat: neque Eccleſiæ canonem infallibilem Fidei Regulam agnoſcat: ſed proprium duntaxat ſpiritum ſequatur, ab eo tandem manifeſto fidei naufragio in infidelitatem, ac hæreſim ducatur. S. Thom. 2.2. qu. 5. ar. 3.

Nam ſi mortale peccatum, quod charitati opponitur, ipſam charitatem in homine perimit: ſanè haud ſecus de incredulitate, quæ fidei contraria eſt, ſentiendum erit: quæ tametſi vnum duntaxat fidei dogma excludat, totam tamen.

Digitized by Google

men fidem corrumpit, quæ poſt vnius dogmatis incredulitatem,in animo integra remanere non poteſt.

Altera quoque fidei integritas, quæ illius vnitatē ſummoperè auget, ea eſt; quæ fidem quibuſcumque hominum ętatibus, ac temporibus incolumem, vnam, integram, ac perpetuam ſeruat. Ea enim eſt, quam Deus Opt.Max.Eccleſiæ ſuę in verę fidei ſymbolum, ac perpetui patrocinij teſtimonium, fędere ſempiterno ſe collaturum promiſit; cum per os Iſaiæ 59. ait. *Cum venerit Sion redemptor, & eis*
Iſai. 59. *qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus, hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus à modo, & vſque in ſempiternum.* Manifeſtè hęc Dei Patris ad Filium verba ſunt, vt
Procopius exponit Procopius, qui ex Sion vēturus erat Redemptor, cui velut iuramento pollicetur, ſe inuiolabile fœdus cum ſuo ſemine, Eccleſia videlicet ab eo fide regenerãda, feriturum. Hæc autem eſt fœderis promiſſio: quod Spiritus Domini perpetuus Eccleſiæ Comes, ac Doctor eſse debeat; eamq; perpetuò ſua pręſentia illuſtrare; atque ipſi, quemadmodum ſpiritus corpori, ſemper pręſidere; ne aliqua vnquam fidei macula labefactetur, aut errore decipiatur; inſuper eadem Dei verba, eandem fidem, eandem doctrinam, eadem dogmata, quæ à Chriſti ore prolata ſũt, in Eccleſia perpetua, atque incorrupta ſeruaturus ſit: ita vt ipſa fidei doctrina, quam Eccleſia à Chriſto ſemel accepit, nunquam ab ea auferenda ſit; ſed integram, ac nullo vnquam tempore incorruptam cuſtodire debeat.

Hęc Dei promiſſa ſunt, quę Lutherani, ac Caluiniſtę nulla vi infringere valent. Peculiare hoc quippe vera, ac Catholica Fides ex Dei benignitate ſibi vendicat, vt nullo vnquam tempore tota poſſit corruere; ſed integra atque incorrupta in Eccleſia permaneat, quod teſtatur ipſemet
Luc. 22. Chriſtus Luc. 22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua.* Neque enim exiſtimandum eſt, Dominum Petri perſonam

ſonam

ſonam duntaxat alloqui, vt D.Bernardo placet ſerm. 190. ad Innocent. ſed in Petro Eccleſię fidem, quę in eo velut in capite aſſeruanda erat, intuebatur; quam nunquã prorſus aut euertendam, aut interrumpendam fore pollicetur. Quod etiam confirmat apud Matth. cap. 16. cum ait. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* S.Bern. Matth. 16.

Cęterum hanc fidei integritatem, & incorruptionem ad ipſius tam vnitatem, quàm veritatem pertinere docet Paulus ad Galat. ſcribẽs cap. 1. *Miror* (inquit) *quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. ſed licet nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Planè ſi hęc Pauli verba grauiter perpendimus, ijs ita ſeriò vnius traditę fidei perpetuitas, ac integritas credenda imperatur: vt nulli vnquam, ſub anathematis, ac ifindelitatis pęna, illam, aut infringere, aut immutare licuerit: quo fit; vt ea ſola fides Pauli teſtimonio vera ſit, quę nũquam immutata, aut corrupta; ſed integra, perpetua, atque incorrupta hucuſque perducta eſt. ad Gala. 1.

Quod grauiſſimis verbis confirmat D. Ambroſ. ad cap. 11. Lucę. *Fides* (inquit) *Iudaicæ plebis ſe impugnat, & impugnando diuiditur, diuidendo diſſoluitur; & ideo regnum Eccleſiæ manebit in æternum, quia indiuidua fides corpus eſt vnum.* S. Ambroſ.

His verbis Ambroſius validiſsimo ſanè argumento perpetuam Eccleſię durationem ex fidei perpetuitate, atque incorruptione demonſtrat. Nam cum exploratum ſit, Eccleſiam, ex quo fundata eſt, perpetuò vſque ad orbis interitum duraturam fore: ita atteſtante Domino, Matth. cap. vltim. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Quæ verba non niſi veræ Eccleſiæ dicta eſſe poſſunt: cum in ea tantum Chriſtus reperiatur; ſi percontetur quiſpiam, quid perennem Eccleſiam; ac perpetuò ſtabilem efficiat? Matth. vlt.

eam vim Ambroſius fidei tum integritati, tum perpetuitati tribuit. Nam quemadmodum fides, quæ integra, ac ſibi conſtans non eſt, ſeipſam impugnat; dum illius vnitas diſcrepantibus ſententijs diſcinditur; quæ autem ſeipſam impugnat, etiam ſeipſam diuidit: neque enim fides inter pugnantia dogmata, vnica, ac indiuiſa poteſt conſiſtere: quæ verò diuiſa eſt, ſeipſa ad occaſum ruit. Hinc neceſſariò fidei corruptioni Eccleſiæ diſſolutio ſuccedit, quæ per ſe ſine fide ſtare non poteſt. Ita è regione fides, quæ integra, eſt, & incorrupta, Eccleſiam perpetuò incolumem, ac ſuperſtitem declarat.

An verò Caluiniana, ac Lutherana Religio hac fidei integritate cõtineatur, facilè eſt ex earum examine addiſcere: cui profectò vehementer deplorandum eſt, hãc fidei integritatem à Lutheriſtis, & Caluiniſtis ita miſerè dilacerari, vt nullum omnino fidei vnitati locum relinquant. Ex his enim nonnulli ſunt, qui totum fidei articulum obtruncant, alij partem mutilant, alij verba callidè immutant, alij ſenſum inuertunt. itaut ſacra hæc fidei integritas ab eis prorſus miſerè diſcerpatur, ac dilapidetur.

Scripturis ſacris ſe credere profitentur: At animaduerte (Lector) quot è ſacrorũ Voluminum numero, iam olim Eccleſiæ, ac tot Patrum, ac Conciliorum auctoritate definito, libros, capitula, particulas, verba obtruncauerint, à quibus cum certam, ac neceſſariam fidem auellant; nec integram, nec veram ſe fidem colere teſtantur:

Lutherus cũ primis in Conuiuial. tit. de Patr., & Proph. librum Iob. ita in ſacrorum Voluminum ordine recipit: vt potius fabulæ argumentum ad proponendum patientiæ exemplum exiſtimet; quem ſequuti Anabaptiſtæ illum Hebræorum Tragicomediam deriſoriè appellant.

Caluinus lib. 1. Inſtit. cap. 11. & cum eo Caluiniani omnes, teſte VVitaKero, diſput. de ſac. ſcript. Sapientiam Salomonis inter Apocryphas ſcripturas reijciunt: à quo nec ipſe Lutherus diſſentit in German. Bibliorum verſione.

Li-

Librum Iudith, Lutherus in colloq. German.cap.de lib. vit.teſt. Brentius in Apolog.conf. Vuittemb cap.de ſacra ſcript. à Canonicis libris expungunt: quibus adſtipulantur VVittaKerus diſput. de ſac. ſcript. Magdeburgenſes lib.2. cent.1.c.4 Faius in Enchirid. diſp.21.22. & 23. ac reliqui Caluiniſtæ in confeſſ. fid.

Librum Baruch. VVittaKerus diſput.de ſac.ſcript.Faius in Enchirid. diſput. 21. & 22. ac cæteri Caluiniſtæ inter Apochryphos relegant: confirmant Lutherus in Præfat. Germ. in Baruch., & Zuuinglius in explicat. art. 20.

Eccleſiaſticum Lutherani, & Caluiniſtæ vno conſenſu è ſacrorum librorum numero eradunt. Lutherus in Germ. Bibliorum verſione. Confeſſ.Vuittemberg. c.de ſcriptura. VVittaKerus diſput.de ſcript. c.de lib Eccleſiaſtici. Antonius Faius in Enchirid.diſput.23.conc.12. Caluiniſtę denique omnes in confeſſ. fidei.

Tobias quoque, ac duo priores Machabæorum libri ab ijſdem, velut Apochryphi, habentur. Ita Lutherus in ſua Bibl. verſione. VVittaKerus de ſacra ſcript. c.de libro Tobiæ, & libris Machab. Faius in Enchirid. diſput. 22. & 23. Caluiniſtæ in confeſſ. fidei, & Lutherani in confeſſ. Vuittembergenſi.

Præter hos integros libros. Lutherani, & Caluiniſtæ vno conſilio in ſuis Biblijs Hymnum trium puerorum, Hiſtoriam Suſannæ, Belis, & Draconis, denique Abacuch hiſtoriam, quæ tertio, tertiodecimo, & quartodecimo capite Danielis deſcribuntur, obtruncant, atque inter Apocryphas ſcripturas collocant.

Ijdem ſeptem poſtrema capita ex libro Eſter abſcindunt, neque in Canonica ſcriptura connumeranda volunt; vt conſtat ex Brentio in Apol. confeſſ.Vuittemberg.VVittaKero diſput.de ſacr.ſcript. Faio in Enchirid. diſp.23. Atque hæc quidem, quod ad veteris Teſtamenti libros attinet, indicaſſe ſufficiat: ex quibus id iure aduerſus eos concludi poſset, vera illos prorſus Fide, ac Religione carere

N 2 cum

cum tot fidei particulas ab illius vnitate, atque integritate præſcindunt, quæ illorum fidem mutilam, ac diminutam præſtant.

Atqui haud ſatis illis viſum fuit, ſacra Hebræorum volumina, quæ ipſa canitie veneranda erant, detruncare, corrodere, atque è Canonicorũ numero nulla auctoritate expellere: niſi in ipſa quoque Euangelica, & Apoſtolica volumina deſæuirent.

Liceat mihi (Humaniſſime Lector) quid in hac ſcripturarum euerſione Caluiniſtis, & Lutheriſtis acciderit, referre: Id ipſum planè, quod vineæ cultoribus S. Matthęus ac-
Matth. 2. cidiſſe narrat: quibus Deus ad exigendos vineæ fructus priores ſeruos mittit; at hi alium cęciderũt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. His denique proprium filium deſtinat, dicens. *Verebuntur filium meum:* illi vero in filium crudeliores, ipſum extra vineam eiectum interfecerunt. Ita Deus Opt. Maximus, cum ſacræ ſcripturę, tanquam pinguiſsimæ, ac fertiliſsimæ vineæ, ab aduerſarijs fructum expeteret: plurimos ſacræ ſcripturæ libros, tanquam ſeruos, ac diuinæ voluntatis miniſtros, ad illorum vtilitatem deſtinauit, Danielem, Baruch, Iudith, Eſther, Tobiam, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Machabæos. At quid ipſi? Danielem cęciderunt, dum graui vulnere ab eo tria capita abſcindunt; Baruch, Iudith, Tobiam, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Machabæos occiderunt, quos omnino à ſacrorum librorum Canone expulerunt. Eſther lapidauerũt, dum ſeptem illius libri capita inter Apocrypha reiecerunt. His tandem Deus Euangelium, ac nouum Teſtamentum, velut proprium filium, confert: plurimos ibi libros ad illorum ſalutem deſtinat. *Fortè* (inquit) *verebuntur filium meum:* fortè parcent ſcriptis Apoſtolorum, fortè nefas eſſe putabunt ab Euangelijs aliquid detrahere, mutilare, corrumpere: fortè ſi non Hebraicæ, Chriſtianæ ſaltem fidei ſacris voluminibus ignoſcent. At illi (quod maximè lugendum eſt) peſſimè cum Euangelio egerunt; non-

nullos

nullos enim, ex Apoſtolicis libris extra ſcripturarum vineã eiecerunt, quædam Euangeliorum capita trucidauerunt, alia crebris adiectionum, ac detractionum vulneribus confoderunt. Denique multo Euangelicarum, ac Apoſtolicarum ſcripturarum ſeipſos ſanguine fędauerunt: dum nouas, ac corruptiſſimas interpretationes ijs affixerunt, vt paſſim, obiter tamen, explicabimus.

Lutherus, vt ab eo exordiar, in Præfat. in Apocal. Ioannis, Apocalypſim primum iugulat, deinde extra ſacrorum librorum Canonem reijcit. Idem quoque Epiſtolam ad Hebręos, neque à Paulo, neque ab alio Apoſtolorum ſcriptam eſſe ſentit, ac tandem à Canonicis ſcripturis ſeparat in poſteriori noui Teſtamenti Editione: quem ſequuntur Magdeburgenſes Cent. 1. lib. 2. c. 4. Brentius, Chemnitius, & alij Lutheriſtæ. Eadem itidem cenſura proſequitur Epiſtolam Catholicam Iacobi Apoſtoli, quam ad cap. 2. Geneſ., velut ſpuriam, conuicijs inſectatur: cum quo conſenſentiunt Brentius in Apol. confeſſ. Vuittemb. Vitus Theodorus in Summar. Bibliorum, ac Lutherani ferè omnes. Secundam Petri Apoſtoli Epiſtolam, eodem atro carbone, Lutherus, Brentius, ac Lutherani notant: locis ſuperius indicatis. De Iudæ Apoſtoli Epiſtola, Lutherus, Magdeburgenſes, ac cęteri ipſius ſectarij, nihil diuinũ, aut Apoſtolicum ſentiunt: indeq. è ſacrorum voluminum Canone expungunt.

Nec minori crimine Caluinus, & Caluiniſtæ in diuinos noui Teſtamenti libros inſurgunt, quos in partes diſſecãt, detruncant, ac varijs modis corrumpunt: Theodorus Beza ad cap. 8. Ioan. Hiſtoriam mulieris Adulteræ, totam ab eo capite præſcindit: ex tertio cap. Ioannis locum illum, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, Caluiniſtæ ita corrodunt, vt pro, *Renatus*, legãt, *natus*; & pro, *Spiritu Sãcto*, legant, *Spiritu*; id verò haud alia ratione præſtant, quã vt errorem ſuum ſtatuant, quo docent hominem per Baptiſmum non renaſci, ſed filios fidelium in vtero matrum

ante

ante Baptiſmum ſanctificari: Ita legitur in Biblijs Gallicæ verſionis.

Ex Lucæ cap. 22. duo loca trucidāt. Primus eſt, vbi legitur. *Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos: dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis: donec Regnum Dei veniat.* Alter eſt, qui paulò poſt habetur. *Quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & Calicem, poſtquam cœnauit. Hic eſt Calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Sic Beza in hoc cap Lucæ: Tot denique ſcripturarum loca adiectionibus, ac detractionibus verborū corrumpunt: vt vix in noui, ac veteris Teſtamenti libris caput reperias, quod ab ijs hoc modo corruptum non fuerit: vt ex ſecundo Demonſtrationum noſtrarum Volumine, in examine 5. Luth. & Caluini Relig. pluribus Cenſuris perſpicuè colligere poteris: vbi fusè has ſacrorum librorum, ac particularum obtruncationes, & corruptiones proſequuti ſumus: ac totum ſacræ ſcripturæ corpus ab eorum calumnijs vindicamus.

Tot porrò ſacræ ſcripturæ libris capitibus, & capitum particulis exciſis, quæ ad neceſſariam fidei integritatem ſpectant, tot verborum adiectionibus, & detractionibus, vero ſcripturarum ſenſu immutato, corrupto, obruto, quibus ipſa fides immutata, & corrupta fuit: quænam fidei integritas apud illos reliqua eſſe poſſit, tu ipſe (Lector) prudenter apud te ipſum iudica.

At verò neque hoc vno tantum modo, ſed altero quoque veram fidem proſcindunt, dum vnam tātum fidei partem amplectentes, alteram reſpuunt, atque errori tribuūt.

Deum, Caluiniſtæ, & Lutherani in Symbolo Apoſtolorum, quod ab ijs velut Apoſtolicum recipitur, vnum eſſe credunt: ſed Trinitatem Lutherus humanum dumtaxat inuentum appellat, ac frigidè ſonare affirmat in Enarrat. Euāgel. de S. Trinitate. Denique vnam tantum Patris perſonam eſſe ſentit: Filium enim inſtrumentum tantum Patris

eſse

eſſe docet, in illa verba Gen 1. *Dixitq. Deus fiat lux.* Idem cum Luthero ſentiũt Iacobus SchegKius Lutheri diſcipulus. Philippus Melanchton, ac Lutherani omnes teſte Zuuinglio in reſponſ. ad Luther. lib. de Sacram.

Caluinus vocem Trinitatis ſepultam eſſe cupit: Inſt.lib. 1. cap. 13. qui etiam diuinas perſonas, proprietates tãtum quaſdam in Eſſentia reſidentes eſſe docet: vt in ſaccaro candor, & ſapor, cont. Valent. Gent, & in Io. cap. 1. Idem cum Caluino ſentiunt Beza lib. de vnit. Eſſentiæ. Danæus in reſponſ. ad Gent. & alij Caluiniſtę.

Diuinam Eſſentiam Caluiniſtæ fatẽtur in confeſſ. fid. at eam non vnicam, ſed in tres perſonas diſſectam prædicãt. Ita Beza in magna confeſſ. fid. princ. 1. art. 2. & Gulielm. Saluſt. in Poem. & alij.

Filium ſecundam in Trinitate perſonam, Caluiniſtę profitentur: At eſſe Deum à ſe, nullo modo à Patre, certum eſt apud Caluinum lib. 1. Inſtit. cap. 13. Porrò Caluinus, & Beza eundem eſſe minorem Patre altero errore affirmant. Calu. in ep. ad Polonos. Beza in confeſſ. Geneu. cap. 2. S. 4.

Diuinitatem Caluiniſtæ Patri tribuunt, ſed omnipotentiam, ſeu abſolutam potentiam negant. Caluinus Inſt. lib. 3. c. 23. Beza l 2. cont. Tilman. Heshuſiũ, qui nec credendum, nec vniuerſaliter recipiendum eſſe illud Gabrielis Archãgeli dictum, *Non eſt impoſsibile apud Deum omne Verbum*, eſſe autumat.

Deum ęternum, increatum, & immortalem credunt Lutherani, & Caluiniſtę: at fidem diſſecant, Lutherus de ſeruo arbitrio. & in Aſſert. Vuittẽbergę impreſſis anno 1570. art. 36. Malanchton in c. 8. ep. ad Rom. dum in Cruce Diuinitatem paſſam affirmant: Caluiniſtæ, dum illum omniũ ſcelerum auctorem conſtituunt, maloſq homines ad peccata à Deo prędeſtinari contendunt. Caluin. Inſtit. lib. 3. cap. 23. Beza cont. Caſtallionem.

Chriſtum eſse Dei, & hominum mediatorem, Caluiniſtę nobiſcum, & cum Catholica Eccleſia ſentiũt: at fidem

pro-

proſcindunt ; Caluin. duabus epiſt. ad Polon. & Inſtit. lib. 2. cap. 14. Ballingerus, Petrus Martyr, Ioſias Semlerus, & alij: quum illi ſecundum diuinam naturam, mediatoris officium tribuunt: quod Catholica fides exhorret.

Chriſtum Deum, & hominem Caluiniſtę Humani Generis Redemptorem fuiſse Catholica fide accipiunt: at dum in eo duas perſonas conſtituunt: multaq. illum ignoraſse: ac præterea cęterorum hominum inſtar fidem, ac ſpem habuiſse: denique de propria ſalute aliquando dubitaſse, ac verba deſperationis in cruce protuliſse affirmāt: vt Caluinus lib. 1. Inſt. c. 13. in c. 4. & 21. Matt. & Inſt. lib. 2. cap. 16. & in c. 27. Matt. Beza opuſc. ad Brentium Carolus Molin. Miniſtri Geneu. in annot. Biblicis, & alij: cum alteram fidei partem proſternant, id planè efficiunt: vt vera ſe fide exutos oſtendant.

Lutheraniſmus æquè etiam, ac Caluiniſmus integram de Deo immortali fidem dilacerat: quando, & Chriſtum ſecundum diuinam naturam in Cruce paſsum, & mortuū; & Chriſti carnem ab ęterno, non in tempore ex MARIA Virgine genitam fuiſse, cum Eutychianis prędicant: Ita Lutherus lib. de conſilijs. & in confeſs. mai. de Cœna Domini; Cui etiam Beza in colloq. Montiſpelgard. ſubſcribit, & alij pleriq. ex Lutheriſtis, & Caluiniſtis.

Chriſti deſcēſum ad Inferos expreſsè in Symbolo Apoſtolorum exaratum, Caluiniſtę vno ore negant: auctore Caluino Inſt. lib. 2. c. 16. à quibus nec Lutheri diſcipuli diſsentiunt, qui in eo nihil pręter Tautologiam agnoſcūt, qua tantum ſepultum eſse Chriſtum indicatur.

At quandoquidem vniuerſa fidei dogmata percurrere, quę huius tempeſtatis Religioniſtę ab antiqua, & Apoſtolica Eccleſię fide abſcindunt, mutilant, detruncant, ac varijs modis corrumpunt, huius libelli breuitas non fert. Hęc tibi (prudentiſſime Lector) indicaſse, ſat ſit: vt apud eos iampridem fidei integritatem, quæ veram fidem pręſtat, euerſam eſse non dubites: cumq. hos qui ſe fidei Refor-

matores

mătores nuncupant; vel fidei reformătionem imperitis venditant; fidem non niſi breuem, mutilam, dimidiatam: in qua nihil integrum, nihil antiquum, nihil denique ab ab omnibus creditum, ac receptum conſpicitur, prędicantes audieris: eos ſummo iure tibi ſuſpectos habere liceat. Qui enim fidei integritatem diſſuunt; cum non vnam, ſed multiplicem, ac diſsectam fidem aſtruant; profectò neque veram fidem, aut Religionem hominibus ſuadent; quod olim Hilarius verbis hiſce noſtris temporibus accommodatiſsimis deplorauit, ita ad Conſtantium ſcribens. *Miſebile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores; & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia; dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus: aut ita vt volumus, intelliguntur. Et cum ſecundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum Baptiſma, etiam fides vna ſit: excidimus ab ea fide, quæ ſola eſt; & dum plures ſunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit.* Hilarius.

REGVLA SEXTA.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenus dubita* (veræ Fidei, ac Religionis amator) *veram Eccleſiam, quæ Chriſti corpus eſt; extra quam nemo, aut inter Chriſti membra annumerari, aut ſalutem æternam conſequi valet: totam viſibilem eſſe: adeo vt nulla eius pars ſit latens, aut inuiſibilis: in eaq. malos, bonis admixtos contineri.*

En ſextam Catholicæ Fidei Regulam, quæ tam præclara ſacrarum ſcripturarum oracula, Patrumq. Orthodoxorum teſtimonia, præter communem ipſam omnium ſeculorum fidem de Eccleſia conceptam, ſibi vendicat: vt planè mirandum ſit, quo pacto eam nonnulli noſtræ tempeſtatis Religioniſtæ in dubium reuocare audeant: qui, cum Eccleſiã in viſibilem, & in inuiſibilem diſpertiantur; viſibili ad ſolam Eccleſiæ larüam, & ſpeciem relegata: inuiſibilem

proſcindunt? Caluin. duabus epiſt. ad Polon. & Inſtit. lib. 2. cap. 14. Ballingerus, Petrus Martyr, Ioſias Semlerus, & alij: quum illi ſecundum diuinam naturam, mediatoris officium tribuunt: quod Catholica fides exhorret.

Chriſtum Deum, & hominem Caluiniſtę Humani Generis Redemptorem fuiſse Catholica fide accipiunt: at dum in eo duas perſonas conſtituunt; multaq. illum ignoraſse: ac præterea cęterorum hominum inſtar fidem, ac ſpem habuiſse: denique de propria ſalute aliquando dubitaſse, ac verba deſperationis in cruce protuliſse affirmāt: vt Caluinus lib. 1. Inſt. c. 13. in c. 4. & 21. Matt. & Inſt. lib. 2. cap. 16. & in c. 27. Matt. Beza opuſc. ad Brentium Carolus Molin. Miniſtri Geneu. in annot. Biblicis, & alij: cum alteram fidei partem proſternant, id planè efficiunt: vt vera ſe fide exutos oſtendant.

Lutheraniſmus æquè etiam, ac Caluiniſmus integram de Deo immortali fidem dilacerat: quando, & Chriſtum ſecundum diuinam naturam in Cruce paſsum, & mortuū; & Chriſti carnem ab ęterno, non in tempore ex MARIA Virgine genitam fuiſse, cum Eutychianis prędicant: Ita Lutherus lib. de conſilijs. & in confeſs. mai. de Cœna Domini; Cui etiam Beza in colloq. Montiſpelgard. ſubſcribit, & alij pleriq. ex Lutheriſtis, & Caluiniſtis.

Chriſti deſcēſum ad Inferos expreſsè in Symbolo Apoſtolorum exaratum, Caluiniſtę vno ore negant: auctore Caluino Inſt. lib. 2. c. 16. à quibus nec Lutheri diſcipuli diſsentiunt, qui in eo nihil pręter Tautologiam agnoſcūt, qua tantum ſepultum eſse Chriſtum indicatur.

At quandoquidem vniuerſa fidei dogmata percurrere, quę huius tempeſtatis Religioniſtę ab antiqua, & Apoſtolica Eccleſię fide abſcindunt, mutilant, detruncant, ac varijs modis corrumpunt, huius libelli breuitas non fert. Hęc tibi (prudentiſſime Lector) indicaſse ſat ſit: vt apud eos iampridem fidei integritatem, quæ veram fidem pręſtat, euerſam eſse non dubites: cumq. hos qui ſe fidei Reformatores

matores nuncupant; vel fidei reformationem imperitis venditant; fidem non niſi breuem, mutilam, dimidiatam: in qua nihil integrum, nihil antiquum, nihil denique ab ab omnibus creditum, ac receptum conſpicitur, prędicantes audieris: eos ſummo iure tibi ſuſpectos habere licet. Qui enim fidei integritatem diſsuunt; cum non vnam, ſed multiplicem, ac diſsectam fidem aſtruant; profectò neque veram fidem, aut Religionem hominibus ſuadent; quod olim Hilarius verbis hiſce noſtris temporibus accommodatiſsimis deplorauit, ita ad Conſtantium ſcribens. *Miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores; & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia; dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus: aut ita vt volumus, intelliguntur. Et cum ſecundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum Baptiſma, etiam fides vna ſit: excidimus ab ea fide, quæ ſola eſt; & dum plures ſunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit.* Hilarius.

REGVLA SEXTA.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenus dubita* (veræ Fidei, ac Religionis amator) *veram Eccleſiam, quæ Chriſti corpus eſt; extra quam nemo, aut inter Chriſti membra annumerari, aut ſalutem æternam conſequi valet: totam viſibilem eſſe: adeo vt nulla eius pars ſit latens, aut inuiſibilis: in eaq. malos, bonis admixtos contineri.*

En ſextam Catholicæ Fidei Regulam, quæ tam præclara ſacrarum ſcripturarum oracula, Patrumq. Orthodoxorum teſtimonia, præter communem ipſam omnium ſeculorum fidem de Eccleſia conceptam, ſibi vendicat: vt planè mirandum ſit, quo pacto eam nonnulli noſtræ tempeſtatis Religioniſtæ in dubium reuocare audeant: qui, cum Eccleſiã in viſibilem, & in inuiſibilem diſpertiantur; viſibili ad ſolam Eccleſiæ larũam, & ſpeciem relegata: inuiſibilem

Digitized by Google

tantum, quam ex electis conſtant, veram Eccleſiam eſſe docent.

At verò, hi quã malè de Eccleſia ſentiant (Lector) quęſo animaduerte. Eccleſia in primis multorum congregationem, ſeu vocationem inſinuat, ab ἐκαλέω quod eſt voco, congrego, dicta. Ex quo Eccleſia, congregatio, ſiue plurimorum ad vnum cœtum vocatio appellatur; quæ, ſi hominum fuerit, hominum Eccleſia dicitur: ſin Angelorum, Eccleſia Angelorum nuncupatur. At quis hominum Eccleſiam, ſeu Congregationem inuiſibilem eſſe vnquam ſenſit? aut hominum vocatorum cœtum in viſibilem, ac inuiſibilem diſtinxit? Cum talem Eccleſiam eſſe opus ſit, quales eius partes, quibus conſtat, eſſe dignoſcuntur. Cum verò huius Eccleſię partes, homines ſint, omnes viſibili natura præditi; qua ratione Eccleſiam in viſibilem, & inuiſibilem diſtinguunt?

Dicant licèt, ſiue cum Auguſtana confeſsione, Eccleſiam eſſe Congregationem membrorum Chriſti, hoc eſt Sanctorum, qui verè credunt, & obediunt Chriſto: ſiue cum Luthero, Eccleſiam eſſe populum ſanctum Chriſtianum: ſiue cum Caluino Eccleſiam eſſe Electorum Congregationem: planè nihil obtinent: ſed potius in peius ruunt, ac ſe ipſos oppugnant; nam cum nulla hominum, ſiue Sãctorum, ſiue Electorũ Congregatio reperiri queat, quæ viſibilis non ſit: an non riſum mouent, quum nobis perſuadere quærunt, hominum Eccleſiam, inuiſibilem eſſe; vel Eccleſiam in viſibilem, & inuiſibilem diſtinguunt? perinde, ac ſi aliqua hominum Congregatio, inuiſibilis eſſe poſſet.

Cõfeſſ. Auguſt. art. 7. Luth. de Conc. & Eccl. pag. 3. Caluin. Inſtit. lib. 4. cap. 1.

Hæc quidem obiter ex ipſo Eccleſiæ nomine, ac natura indicare volui; vt inde, quàm longè à rei veritate aberrent, tu (Lector Prudentiſſime) ex primo ipſius aſpectu facilè agnoſcas.

Sed rem ſeriùs perſtringamus: veram Eccleſiam abſque vlla

vlla dubitatione ibi eſſe, vbi verbum Dei ſyncerè prædicatur, & vbi Sacramenta ex Chriſti inſtituto adminiſtrantur, non modo Catholicorum, ſed etiam Caluini ſententia eſt, iiſdem apud eum verbis expreſſa: cui ipſa quoque ratio ſuffragatur. Eccleſia enim hominum quædam ſocietas eſt in vera Fide, ac Religione inſtituta; quæ, cum viſibilis ſit, quibuſdam viſibilibus, ac externis ſymbolis indiget, quibus in eam homines vniri, ac colligari queant. Id pręclarè docet Auguſtinus cõtra Fauſtũ his verbis. *In nullum autem nomen Religionis, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt; niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Hinc perſpectum eſt, Eccleſiam non niſi viſibilibus Sacramentis, viſibili miniſterio, ac viſibili diuini Verbi prædicatione congregari potuiſſe; vt fides ex auditu conciperetur: concepta vero Sacramentorum participatione aleretur: quę viſibilia ſi tollas, protinus omnem Eccleſiam, ac Religionem, velut ſoluta compage, diſſolui, ac dilabi opus eſt: neque vltra quicquam reliquum eſse poteſt, quo ipſa quoque Eccleſia Electorum, quam ſibi fingunt, ſeipſam incolumem tueri poſſit. Quod cum ita ſit, quo pacto veram Eccleſiam inuiſibilem ſibi poſsunt effingere? Cum enim ſola viſibilis Eccleſia ſit, quæ viſibili Sacramentorũ vinculo, viſibili Paſtorũ adminiſtratione, viſibili verbi prædicatione, viſibilibus tandem miniſterijs, quibus fideles in vnitate contineantur, neceſſariò ad ſui præſidium indiget: in eaq. tantummodò externa hæc veræ Eccleſiæ ſymbola reperiantur: planè ipſa ratione conuincuntur, veram Eccleſiam viſibilem eſse. Tolle (Lector) ab Eccleſia, quæ viſibilia ſunt, membra, partes, Paſtores, plebem, Sacramenta; quid in Eccleſia reliquum erit? An non ſimul omnem, tum viſibilem, tum inuiſibilem Eccleſiam ad ſepulchrum rapies? Quid igitur Eccleſiam inuiſibilem docent?

Calu. Inſt. lib. 4. c. 1. § 9.

Aug. cont. Fauſt. lib. 19. c. 11.

Equidem, cum Paulus doceat in Eccleſia, alios quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Doctores,

Eph. 4.

Digitized by Google

ctores, & Paſtores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti datos eſſe; donec omnes occurramus in vnitatem fidei: Num hæc miniſteria inuiſibilia ſunt, vt inuiſibili Eccleſię corpori reſpondere queant? Num inuiſibiles Apoſtoli? Num inuiſibiles Euangeliſtæ? Num inuiſibiles Prophetæ? Num inuiſibiles Paſtores? Num inuiſibiles Doctores? Num inuiſibilia Sacramenta? Num inuiſibilis Plebs, cui hæc munera hactenus adminiſtrata fuerunt? Quòd ſi hæc viſibilia ſunt; Eccleſia vero, præter hæc, nihil continet: quis Eccleſiam, quæ his conſtat, inuiſibilem eſſe dixerit? Vnde igitur illis inuiſibilis Eccleſia, quę niſi viſibilis ſit, Eccleſia omnino eſſe non poteſt?

Vniuerſa (Lector) ſcripturarum teſtimonia, in quibus de Eccleſia agitur, tum apud Prophetas, tum apud Euangeliſtas, tum etiam apud Apoſtolos perquire: ſi quidem cuncta viſibilem, cuncta illuſtrem, ac conſpicuam Eccleſiam docent. De inuiſibili, ne verbum quidem proferunt.

Dan. 2. Habes Eccleſiam apud Danielem maximè cuiuſdam Monarchiæ titulo cohoneſtatam; apud Micheam, altiſſimi cu-

Mich. 4. iuſdam montis in montium vertice collocati ſymbolo de-

Iſa. 60. lineatam; apud Iſaiam cum Ciuitate Hieruſalem vndique lucis radios afflante comparatam. Quid hęc? An non Eccleſiam viſibilem inſinuant? Quis inuiſibilem in orbe Monarchiam ſomniet? Quis montē domus Domini, ad quem omnium populorum turmę confluere deberēt; quis Hieruſalem nouo lumine circumfuſam, & præ habitantium multitudine tumultuantem, omnino latentem, ac inuiſibilem ſibi fingat?

Habes eandem apud Mattheū, cum lucerna ſuper modiū collocata; necnon cum Ciuitate ſuper montē ædificata

Matth. 5. collatam: Num hæ ſimilitudines Eccleſiam inuiſibilem indicant; quæ omnibus conſpicuā eſſe declarant? Cur enim lucerna ſuper candelabro ſtatuitur, niſi vt iuxta Euangeliſtam, qui ingrediuntur, lumen videant? Aut qua ratio-

ne

ne ciuitas in monte ędificatur, quàm vt ea abſcondi non poſsit: nec vllius conſpectum effugiat?

Audi (Lector) de hac re diſſerentem Auguſtinum: *Non eſt Eccleſia operta* (inquit) *quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Et de illa dictum eſt: Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta.* Auguſ. lib. de vnit Eccl. cap. 16. Atque vtinam, quemadmodum Auguſtini tempore, Donatiſtæ, ita nunc quoque ſectarij Eccleſiam ſub modio opertam non collocarent, cum eam inuiſibilem aſtruunt: ne poſteriora verba, quibus Auguſtinus Donatiſtas redarguit, ipſos quoque perſtringerent, cum ſubdit: *Sed Donatiſtis velut operta eſt, qui audiunt tam lucida, ac tam manifeſta teſtimonia, quæ illam toto orbe demonſtrant, & malunt clauſis oculis offendere in montem, quàm in eum aſcendere.*

Verùm, vt diuinam hanc Eccleſiæ lucem, qua ſeipſam omnibus ſpectabilem præbet, faciliùs ex ſcripturis haurias. Duo (Optime Lector) tibi prorſus certa, ac indubitata eſſe debent. Primum, ſcripturas quoties, vel per Metaphoras, ac parabolas, vel expreſsè de Dei Eccleſia loquuntur, ſemper de vera Eccleſia, quæ Dei ſponſa eſt, agere: quod ſanè ita certum eſt, vt ſacræ literæ nullam prorſus, pręterquàm veram Eccleſiam, aut doceant, aut agnoſcant. Alterum eſt: Scripturas ſacras nullam aliam veram Eccleſiã inter homines à Chriſto inſtitutam agnoſcere, aut docere, pręter eam, quæ bonos malis permixtos complectitur. Quo fit, vt qui Eccleſiam in veram, & apparentem diuidunt; vel nullos in vera Eccleſia malos cum bonis admixtos tradunt; hæc abſque ſcripturis; imò aduerſus ſcripturas doceant; vbi enim ſcripturę Eccleſiam bonorum, ac malorum, non veram, ſed apparentem tantum Eccleſię ſpeciem vnquam eſſe docuerunt? Proferant, ſi quod habent, vel ſcripturæ fruſtulum (quod tamen hactenus, licet diligentiſsimè conquiſitum, reperire minimè potuerunt) quo id nobis probent; quę enim olim inſipidè Caluinus obiecit, nimirum ex Ioanne. 13: *Ego ſcio quos elegerim, &c.* 10.

Oues

Oues meæ vocem meam audiunt: & ſi quæ alia eiuſmodi ſunt, nihil prorſus ad rem faciunt; cum ijs teſtimonijs tãtum declaretur, in Eccleſia eſse reprobos, & electos, quos Deus nouit, eſse oues, & hœdos, qui ad viſibilem Eccleſiã pertinent. Certè cũ diuina ſcripturarum veritas vna ſemper, atque eadem ſit; quandoquidem ea, vbique Eccleſiam bonis, & malis permixtam, veram eſse docuit; præter quam nulla alia apud homines quærenda ſit: quo pacto ijs fauere poteſt, qui eam apparentem duntaxat eſse autumant?

Math. 3. 13. 15. 22. 23. Huius rei, ſi ſcripturarum à nobis teſtimonia poſtulas, luculentiſsima proferimus: neque enim ignoras (Lector) apud Mattheum veram Eccleſiam Areæ comparari; in qua palea, & triticum congregantur; Agro, vbi ſimul bonum ſemen, & zizania vſque ad meſsem aſseruantur; Conuiuio, in quo ſunt boni, & mali; Ouili, cui agni, & hędi interſunt; Sagenæ, quæ bonos, & malos piſces complectitur; demum Virginibus prudentibus, & fatuis; ex quibus aliæ

2. Thim. 2. ad nuptias admittuntur, aliæ à nuptijs excludũtur. Paulus Eccleſiam cum magna domo confert, in qua vaſa diuerſi generis reperiuntur; aurea, argentea, fictilia; quædam in honore, quædam in contumeliam. Plura huc teſtimonia, ſi opus eſſet, congeri poſſent; quibus apertiſſimè conſtat, nullam aliam in ſcripturis Eccleſiam prædicari, quàm quæ bonos & malos permixtos habet.

Verùm id quoque ratio ipſa, ex Eccleſiæ natura deprõpta, non obſcurè perſuadet. Neque enim alia huius temporis Eccleſia, quæ adhuc mortalis in orbe verſatur, conditio eſse poteſt; quam vt malos bonis permixtos habeat. Cum enim ex ijs hominum membris conſtet, quæ ſuopte arbitrio, vel ad bonum, vel ad malum feruntur: quibus, quandiu cum Tartareo hoſte pugnãt, nec indubitatas virtutum coronas, nec certos victoriæ triumphos polliceri valet; eo fit, vt quiſque ſua libertate fretus, vel ad virtutes propendat, vel ad vitia prolabatur: ex quo tandem, aut boni, aut mali fiunt. At nec ipſa Electorum Eccleſia, quam illi

illi animo ſibi fingunt, bonis ſimul, ac malis carere poteſt. Quis enim aſſerere audeat electos ad tempus peccatis obnoxios non eſſe; cum Dauid, Petrus, & alij in peccatum lapſi fuerint? Neque id ipſi negare poſſunt, cum homines per fidem à peccatis iuſtificari tradunt. Nam ſi peccare nõ poſſent, fruſtra illa eorum fides eſſet, quæ neminem iuſtificaret. Quod ſi ipſi quoque electi in peccatum labi poſſunt; ex quo legis diuinæ tranſgreſſores, & mali conſtituuntur: Quis Electorum Eccleſiam bonis, & malis carere ſentiat?

Quamobrem hoc primùm argumento (Lector) agnoſce, Eccleſiam, quæ bonos malis permixtos habet, non Eccleſiæ laruam, aut ſpeciem, ſed veram eſſe Eccleſiam à Chriſto fundatam, ac inſtitutam. Quod vt tutiùs, & abſque vlla mentis dubitatione aſſerere audeas. En Fulgentium te ipſum docentem, his verbis: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, Aream Dei eſſe Eccleſiam Catholicam, & intra eã vſque ad finem ſeculi frumento mixtas paleas continere: hoc eſt, bonis malos Sacramentorum communione miſceri; & in omni profeſſione, ſiue Clericorum, ſiue Monachorum, ſiue Laicorum bonos eſſe ſimul, & malos.* His itaque ita conſtitutis: an non toties (optime Lector) ſcripturæ Eccleſiam viſibilem prædicant, quoties eam bonis, & malis permixtam docent? Eccleſia enim, quæ bonos, & malos complectitur, proculdubio etiam ex Caluini ſententia viſibilis aſſeritur; neque vllus aduerſariorum eſt, qui hanc aſſertionem conuellat. Iam vero quis negare audeat, in primæua illa Chriſti Eccleſia, ex Apoſtolis, Diſcipulis, atque alijs congregata, ſimul bonos, & malos fuiſse? Cum inter Apoſtolos Iudas eſset proditor, eſſet quoque Petrus, qui, cum Chriſtum negauit, bonus eſſe non potuit; ipſi quoque Apoſtoli eſſet, qui Crucis ſcandalum paſſi, Chriſto relicto, fugerunt. Porrò ſi ea vera Chriſti Eccleſia fuit, quam Chriſtus ipſe collegit, & baptiſmo ſanctificauit: eaq. per omnia orbis tempora eandem naturam, ac conditionem, quam ſemel ſortita

Fulg. de fid. ad Pet. Diac. cap. 43.

ta eſt, ſibi vendicare debet; profectò, de Eccleſia non bene ſentiunt, qui, quam Chriſtus viſibilem inſtituit, inuiſibilem autumant.

Dicant obſecro, qui veram Eccleſiam tantum inuiſibilem ſibi fingunt, an vera illa Eccleſia cenſenda ſit, in qua fratres contumaciter peccantes Dominus Eccleſiæ denunciandos mandat, cum ait: *Si vos non audierit, dic Eccleſiæ*:
Matth. 18.
an non vera Eccleſia ſit, ad quam ſcribit Apoſtolus his
1. Cor. 1.
verbis: *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto IESV, vocatis ſanctis*. De qua tamen in eadem Epiſtola
1. Cor. 5.
affirmat: *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes?* Denique Paulo reſpondeant, ita
Act. 20.
Aſiæ Epiſcopos admonenti; *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Quid: num Apoſtolum calumniabuntur, cum non de vera, ſed de apparenti tantum Eccleſia hoc loco cum illis Epiſcopis agere? Cum ad omnem calumniam extergendam diſertè Eccleſiam Dei nominet, atque inſuper addat, *Quam acquiſiuit ſanguine ſuo*: vt non de apparenti, quæ ſcripturis omninò ignota eſt, ſed de vera, ac Catholica Eccleſia à Chriſto fundata, ac proprio ſanguine mundata, ſe loquutum indicaret.

Cùm igitur vera hæc Dei Eccleſia eſset, præterquam nulla prorſos agnoſcenda eſt, quid eam Apoſtolus Gregem appellat, qui viſibilis eſt? Quorſum viſibilium Epiſcoporum adminiſtrationi à Spiritu Sancto traditam teſtatur, niſi quòd eam viſibilem, à Chriſto inſtitutam, ac perpetua viſibilium Paſtorum ſucceſſione gubernādam affirmat? Denique inficiari nemo poteſt (Lector prudentiſſime) Eccleſiam, quam Chriſtus ipſe verbo ſuo in Petro fundaturum promiſit, cum diceret: (*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &*
Matth. 16
ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.) Non tantum Eccleſiæ laruam, aut ſpeciem, ſed veram, ac Catholicam Eccleſiam fuiſse. Iam perquire, qualis ea Eccleſia fuerit,

viſibiliſne, an inuiſibilis? vt ex ipſius ortu, & inſtitutione, addiſcere queas, qualis ea futuris quibuſque temporibus eſse debeat. Si caput inſpicias; Chriſtus ipſe caput erat, tunc ſanè temporis, cum Eccleſiam inſtitueret, cunctis viſibile: ſi membra perpēdas, Beatiſsimam Deiparam, Apoſtolos, atque alios complures Diſcipulos obuios habes, qui viſibile Eccleſiæ corpus efficiebant; Baptiſmus viſibilis erat, Prædicatio viſibilis, Euangelium viſibile. Porro cum eadem hodie Eccleſia ſit, quæ Chriſti tempeſtate fuit, cum primùm ab eo fuit inſtituta; & eādem prorſus naturam, ac conditionem retinere debeat: ſi illa tunc viſibilis fuit, ſuumq. caput, ac membra viſibilia corporeis oculis aſpexit; cur ea hodie poſt mille ſexingentos, & amplius annos omnibus viſibilis, & conſpicua eſse nō debet? Hoc planè argumento Auguſtinus olim aduerſus ſuę tempeſtatis hæreticos Eccleſiam viſibilem euicit, ita ſcribēs. *Quomodo* (ait) *confidimus ex diuinis litteris accipere nos Chriſtum manifeſtum, ſi non inde accipimus Eccleſiam manifeſtam.* Auguſt. ep. 48.

At quid pluribus opus eſt? Si Eccleſia viſibilis, vera Eccleſia non eſt; vbinam tandem veram, ac inuiſibilem Eccleſiam collocant? Cùm enim inter homines, qui mortales ſunt, nulla præterquàm viſibilis Eccleſia eſse poſsit, ea planè inter homines locum habere non poteſt. Num igitur eam in Cęlo inter Angelos, ac Beatos reponent? At ea non Certantium, ſed Coronatorum Eccleſia eſt; ad quam nondum mortalium Eccleſia peruenit. Porrò quis nam erit Electorum locus? Hi enim cum ad inuiſibilē Eccleſiam pertineant, ibi profectò eos eſse æquum eſt, vbi inuiſibilis Eccleſia propriam ſedem ſibi vendicat. Cum verò inuiſibilis Electorum Eccleſia, neque apud Beatos in Cęlo, neque apud mortales in terris locum reperiat: id ſanè credendum eſt, inuiſibilem Eccleſiam nullibi exiſtere.

En Prudentiſſime (Lector) in quales ſe anguſtias concludunt, qui ſemel à diuina veritate aberrant. Etenim cum diuinam ſcripturarum veritatē huiuſmodi diſtinctionibus

cuadere ſe poſse exiſtimant, incauti ſeipſos iugulant: neque enim negare valent, quin ex ipſorum ſententia, vbicumque Electi, & Sancti reperiuntur, ibi non tantùm ſpecies Eccleſiæ, ſed vera Eccleſia coram Deo agnoſcenda ſit: cum verò Sancti, & Electi præterquàm in Eccleſia viſibili reperiri non poſsint, vana profectò, ac ſibimet repugnans eorum diſtinctio euincitur; cum Eccleſiam in veram Eccleſiam, & Eccleſiæ ſpeciem; vel in Eccleſiam coram Deo, & Eccleſiam coram hominibus diuidunt.

Verùm (mi Lector) haud ignoro; quònam eorum conſilium ſpectet, quum veram Eccleſiam inuiſibilem ſtatuunt. Eò nimirum, vt veram Eccleſiam tantum Prædeſtinatorū eſſe perſuadeant; qui cum ſoli duntaxat Deo cogniti ſint, ex his veram tantum Eccleſiam inuiſibilem conſtare autumant. Cum verò ij, quotquot fide Chriſti iuſtitiam apprehendunt, inter prædeſtinatos collocent; fidemq. huiuſmodi ſuis perennem, atque indelebilem affigunt: hinc Lutherani, Caluiniſtæ, alijq. huius tempeſtatis Religioniſtæ, qui ſectarios ſuos, ſolos Prædeſtinatos eſſe docent: eos duntaxat ad veram Eccleſiam, quæ ſoli Deo cognita eſt, & proinde ab ijs inuiſibilis aſſeritur, pertinere affirmant.

Verùm quam hi longè à veritate aberrent, facilè perſpicies; ſi hæc ipſa fundamenta, quibus ſuā inuiſibilē Eccleſiā ſuperædificant, tecū prudenter diſcutias. Primùm quidē ea ratione veram Eccleſiā inuiſibilem adſtruūt, quòd ea ſolos Prædeſtinatos comprehendat. Id verò quàm à Dei verbo, atque ab antiqua Eccleſię fide alienum ſit: hactenus plurimis ſcripturarum, ac Patrum teſtimonijs non obſcurè tibi demonſtratum fuit; quod planè ſufficere debet, vt omnis inuiſibilis Eccleſia de medio tollatur. Cum verò idcircò inuiſibilem Eccleſiam conſtituunt, quòd ea Pręd eſtinatos duntaxat, qui hominibus ignoti ſunt, contineat. Primò quidem hallucinantur, quòd ignotum cum inuiſibili confundant: Eſto nanque, quòd Prædeſtinati à ſolo Deo cogniti, cæteris omnibus ignoti ſint; haud tamen inuiſibiles

les dici poſſunt, cum ij ſub hominum aſpectum cadant: Quis enim MARIAM Deiparam, Apoſtolos, Martyres, qui inter Prædeſtinatos olim cenſebantur, inuiſibiles fuiſſe credat? Equidem non abnuo, quin Prædeſtinationis donum inuiſibile ſit, & cuinam hominum collatum ſit, ignoretur: At verò, an non eodem modo, & gratia Dei, & Iuſtificatio, & virtutes, quæ hominis ſanctificationem perficiunt, inuiſibiles ſunt? Quis tamen, his Dei donis exornatum, inuiſibilem exiſtimet? Dona quidem Dei inuiſibilia ſunt; at viſibilis homo, cui hæc eadem conferuntur. Cum itaque Prædeſtinati homines viſibiles ſint, quo pacto Eccleſia, quam ex his compactam ſibi fingunt, inuiſibilis eſſe poteſt? Totum quippe, partium naturam ſequitur. Quòd ſi totum ex partibus viſibilibus conſtat, planè, totum viſibile ſit, oportet. Qui igitur Eccleſiam, ob ignotum Prædeſtinationis donum electis collatũ, inuiſibilem adſtruunt; non tam ratione, quàm ſenſu ipſo ſe indigere oſtendunt.

At neque id illis ſat eſt: quandoquidem proprio præterea ſe pugione iugulant. Etenim cum hi ſuam ipſorum Eccleſiam ex Prædeſtinatis tantummodò conflatam eſſe ſibi perſuadeant: quæſo, an non hi ſuos Eccleſię alumnos, ac Cultores norunt? Caluiniſtæ, Caluiniſtas? Lutherani, Lutheranos? Puritani, Puritanos? Anabaptiſtæ, Anabaptiſtas? Quum verò illos Prędeſtinatos prędicant; atque in ijs donum Prędeſtinationis agnoſcant: quomodo inuiſibilem Eccleſiam ex his compactam autumant? Nam ſi ea Prædeſtinatos tantum continet, ſanè neque ignota, neque inuiſibilis cuiquam eſſe poteſt; quod ſi inuiſibilis, ac ignota eſt: ea profectò Prædeſtinatorum eſſe deſinit. Iam tecum perpende (Lector) quid de eorum Eccleſia tibi ſentiendũ ſit, quæ, quod negat, aſſerit; quod aſſerit; improbat: ac in ſeipſam pugnans, proprijs ſe ipſam iaculis transfodit.

Verùm, quod pro fidei dogmate obtrudunt, veram Eccleſiam idcircò tantum Prędeſtinatorum eſſe, quòd Fidelium quiſque ſe ex fide iuſtificatum, & in numero Prędeſti-

Digitized by Google

natorum adſcitum credere debeat: quod tàm Lutherus de Captiũ. Babil.cap. de Baptiſmo,& paſſim: quàm Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 16. ac cęteri Lutheriſtæ, & Caluiniſtæ ſuis venditant: tam apertè cum Dei verbo, & Apoſtolica Fide pugnat: vt mirum ſit, quomodò locum, nedum fidem ſibi apud homines rerum diuinarũ non ignaros conciliet: Hæc enim Prædeſtinationis certitudo tot craſſos errores continet, quot ſibi fundamenta vendicat. Nam primo fundamento priuatas, ac ſingulares Dei reuelationes præter Dei verbum; imò contra ipſum Dei verbum ſibi arrogat. Secundo Fidem ſpecialem, tanquam formalem Iuſtificationis cauſam, quæ gratiæ adſcribendenda eſt, in homine collocat. Tertio Iuſtificationem extra Sacramenta conſtituit, quaſi ea minus neceſſaria ſint; ac fides ſola abſque Sacramentis ad iuſtificandũ ſufficiat, quod non tàm communem Patrum, ac Conciliorum conſenſum, quàm ipſum Dei verbum oppugnat. Denique cum vniuerſos fideles de ſua iuſtitia certos ex fide eſſe volunt, nihil ſalubri Dei timori, quem tantopere ſcripturæ commendant, prorſus relinquunt.

Sed quoniam ſingula perſequi inſtituta breuitas non fert, præſertim cum nos hæc ipſa in noſtris Demonſtrationibus tom. 2. Exam. 1. Atheis: 21. & 22. fusè confutauerimus. nonnulla tantum ſcripturarum loca indicare lubet, quæ huiuſmodi Prędeſtinationis certitudinem longè à fidelium animis expellunt.

Primo eſt. Prou. 20. vbi Salomon, certam vnumquemque ſui ipſius Iuſtificationem latere; diſertis verbis affirmat, ita ſcribens. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum: purus ſum à peccato?* quòd ſi nemo de ſua Iuſtitia ita certus eſſe poteſt: vt ſe à peccato purum dicere queat: neque gratiam Dei ita aſſequutum, qua ſe mundum ab omni labe eſſe præſumat: quid eſt, quòd Lutherani, & Caluiniſtæ agmine coniuncto aduerſus Dei verbũ irrumpentes, ſtatuũt: vnumquemque fidelium certo credere debere; per Chriſtum

Prou. 20.

ſtum

itum ſibi remiſſa eſſe peccata: ita vt dicere queat: mundũ eſt cor meum; purus ſum à peccato? Sic Lutherus de cap. Babil. c. de Baptiſmo. Melanchton in communibus Edit. 1. Nicol. Amſdorphrus cont. Maiorem. Caluiniſtæ in confeſſ. fidei art. 20.

Secundus locus eſt apud Eccleſiaſticum cap. 5. vbi ita legitur: *De propitiato peccato, noli eſſe ſine metu: neque adjicias peccatum ſupra peccatum: & ne dicas miſeratio Domini magna eſt; multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Ecclеſ 5.

Sapienter (ò Lector) Sapientis hæc dicta perpende: nũ ſalutis certitudinem fidelibus promittant: quos potius ad timorem excitant; ne nimis de parta Iuſtitia cõfidant. Vide, an non verba illa: *Ne dicas miſeratio Domini magna eſt:* &c. cum Lutheriſtarum, & Caluiniſtarum verbis pugnẽt: quorum ea communis vox eſt: vt vbi Chriſti iuſtitiam fide apprehenderint, perinde, ac ſi de ſua iuſtitia certi eſſent: nullo peccatorum metu tangantur: ſed Dei miſerationem, & cum ea indubitatam ſalutis expectationem ſibi polliceantur; tum vero apud te ipſum iudica: num ea vera Religio ſit, quæ cum Dei verbo tam apertè dimicat.

Tertius locus legitur Eccleſiaſtes cap. 9. vbi ſapiẽs hæc verba habet. *Sunt iuſti, atque ſapientes: & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo: vtrum odio, vel amore dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Statue (Lector) ante te virum probum, cuius non tãtum fides, ſed & opera Deo accepta ſint. Agitetur de eo inter nos, & aduerſarios controuerſia: vtrum is certò ſibi perſuadere debeat, ſe iuſtum eſſe, ac probum; ac proinde Deo gratum; an potius de eo dubitare debeat? Si Caluini, aut Bezæ ſententiam exquirimus; ipſi apertè ſententiam ferunt. Fidem id illi præbere, vt ſe iuſtum, ac Deo gratum certò ſibi ſtatuere debeat: neque enim verè fidelis eſt (ait Caluinus) qui non ſolida perſuaſione Deum ſibi propitium polliceatur. Beza verò hoc tantum illi ſufficere contendit, vt hoc priuatim apud ſe concludat; ſum in IESV Christo per Eccleſ. 9.

fidem:

fidem: de cętero non tantùm poſſe, ſed etiam debere ſe iuſtum coram Deo exiſtimare, Deo carum, atque inſuper perire non poſſe, ita vt de hoc dubitare apud illum nefas ſit.

At pro nobis aduerſus Caluinum, & Bezam concludit Salomon apertiſſima ſententia, neminem, tametſi iuſtus, & ſapiens fuerit, & illius probitas Deo nota ſit, & pręclara illius opera diuinis oculis accepta, certum aliquid de ſua iuſtitia ſibi polliceri poſſe. *Neſcit* (inquit) *homo, vtrum amore, vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum reſeruantur incerta.* Quæ verba ita illuſtrat Hieronymus in Commentarijs huius loci. *Inueni* (inquit) *iuſtorum quidem opera in manu Dei eſſe, & tamen, vtrum amentur à Deo, an non, nunc eos ſcire non poſſe, & ambiguos fluctuare, vtrum ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium.* Neque aliunde huius rei ignorantia oritur, præterquàm ex iuſtitiæ incertitudine, ob quam nemo, ſiue præſentis iuſtitię, ſiue futuræ prædeſtinationis donum ſibi polliceri debet: vt præclarè ex hoc loco colligit Bernardus ſerm. 1. de Septuageſima. *Quis poteſt* (inquit) *dicere, Ego de electis ſum? ego de prædeſtinatis ad vitam? ego de numero filiorum? quis hæc inquam dicere poteſt, reclamante ſcriptura: neſcit homo ſi dignus ſit amore, an odio: certitudinem vtique non habemus.* Hinc collige: quęnam Lutheriſtis, Caluiniſtis, Puritanis, ac cęteris huius tempeſtatis Religioniſtis Religio ſit, quæ fidem cum Dei verbo pugnantem docet.

Poſtremò, ne fuſiùs rem proſequar, Apoſtolum audi, quid de hac Diuinę gratiæ, & ſalutis certitudine, quam illi ſuis prędicant, fidelibus ſuo exemplo credendum præ-
1. Cor. 4. ſcribat, ad Corinthios ſcribens, *Nihil mihi* (inquit) *conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum: Qui enim iudicat me, Dominus eſt.* Quid his Apoſtoli verbis clariùs, ac luculentiùs haberi poſſit, planè ignoro: cum omnem iuſtitiæ certitudinem hominibus, quantumuis iuſtis, ac ſanctimonia præclaris in hac vita ſublatam eſſe doceat. Quis Paulo ſan-

ſanctior? quis iuſtior? qui nulla prorſus culpa ſeipsũ contaminatum agnoſcebat; & tamen iuſtitiam ſibi arrogare non audet: Quis inficiari audeat fidelem Paulum fuiſſe, iuſtũ, ſanctum, nullius ſibi ſceleris conſcium? & tamen verebatur ſeipſum iuſtum aſſerere; neque iuſtitiæ certitudinem à fide accepiſſe, ſibi vllo modo perſuadere poterat.

Porrò huius incertitudinis cauſam ſi expetas (Lector) non ea eſt, quam Caluiniſtæ, & alij ſibi fingunt: quaſi Paulus operum iuſtitiam damnare voluerit, vt Iuſtificationem in fide conſtitueret: ſed quam ipſe Apoſtolus tradit, cum ait, *Qui enim iudicat me, Dominus eſt:* neque enim ait Paulus. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum*, quia iuſtificationem non ex operibus, ſed ex fide habeo: ſed Iuſtificationis incertitudinem in occulta Dei iudicia refert. Ad Deum quippe Iudicem ſpectat, aliquem Iuſtum aut Reum decernere. nemo vnquam ſuopte iudicio ritè iuſtificatus fuit: quare ſeipſum Paulus iudicare non audet, ac iuſtificatum aſſerere, tametſi nullius ſe culpę reũ agnoſcat; ſed Dei iudicium expectat. Ita hunc locum prçclarè explicat S. Gregorius in Iob ita ſcribens. *Idcirco* (inquit) *in eo, quod nihil mihi conſcius ſum, iuſtificatum me abnego, quia ab eo, qui me iudicat, examinari ſubtiliùs me ſcio. Diſſimulanda ſunt ergo, quæ exteriùs fauent; reprimenda ſunt, quæ interiùs perſtrepunt; declinanda, quæ quaſi neceſſaria inuoluunt; & tamen in his omnibus adhuc diſtricti examinis flagella metuenda: quia, & ipſa noſtra perfectio culpa non caret: niſi hanc ſeuerus iudex in ſubtili lancis examine miſericorditer penſet.* S.Greg. in c.3. Iob.

Vides igitur, Paulum iuſtitiæ incertitudinẽ, non ad operum iuſtitiam, ſed ad diuini Iudicis ſeueritatem euocare. Quod ſi Dei iudicium Apoſtolus in hominis Iuſtificatione expectandum eſſe affirmat: cum illud hominem lateat; neque abſque expreſſa, ac ſingulari Dei reuelatione ſciri poſſit; qua ratione ij iuſtitię certitudinem ex ſola fide, omni Dei iudicio poſthabito, ſibi promittere audent? quo pacto ſeipſos iuſtos iudicant, ac fide captata nunquam perire

Digitized by Google

re poſſe ſibi certò perſuadent? cum apertè Paulus in eos reclamet. *Nolite ante tempus iudicare, quoad huſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium?* Nam, vt Gregorius ait loco ſupracitato, *Iniuria iudici fit, cum ante iudicium à ſeruo procedit ſententia.* Pulſa itaque ab Apoſtolo iuſtitię certitudine: iam nullus inuiſibili Prędeſtinatorum Eccleſię locus relinquitur, quam Caluiniſtę, ac reliqui ſibi vendicent.

Gregorius

At quid plura? Optas (Amice Lector) ridiculum huius Prędeſtinatorum Eccleſię commentum luculentiùs conſpicere; iam vbi nam ea ſit, & apud quos diuerſetur, diligentius inquire: tum, non abſque riſu, eam nullibi exiſtere deprehendes. Primùm quidem Lutheriſtæ eam ſibi ædificare geſtiunt: At vetant Caluiniſtæ, qui cum aduerſus Luthericulas de fidei doctrina, ſine qua vera Eccleſia eſſe nō poteſt, acriter depugnent; dum illos Hæreticos pronunciant, ab inuiſibilis Eccleſię ędificatione arcent. Hanc verò Caluiniſtę, dum omni ſtudio ſibi arripere contendunt, contra Lutheriſtas bello irreconciliabili pugnant: Arianis, Neſtorianis, Turcis, ac Iudæis deteriores prędicant: luce hac, ne dum Chriſtiano nomine, indignos clamant: demum illos ab omni Prædeſtinatorum Eccleſia expellunt.

Dum verò Lutherani, & Caluiniſtæ apud Germanos inter ſe ita de inuiſibili Eccleſia dimicant, vt nullam ſibi integram relinquant: apud Anglos Puritani pro eadem ſibi vendicanda laborant: At obſtant Proteſtantes, qui, cum in Puritanos, velut Arianos, ac Hęreticos, inſurgant, nihil ijs Prędeſtinatorum Eccleſię reliquum eſſe ſinunt: Puritani verò cum ſe à vera Eccleſia pulſos ęgre ferant, Proteſtantes, qui eam ſibi vſurpare ſtudent, tanquam Chriſti hoſtes, ſcriptis exagitant: Seminis Antichriſti reliquias prędicant, ac verę Eccleſiæ illis nomen, ac poſſeſsionem eripiunt. Denique cum vniuerſi conſerto agmine in Anabaptiſtas, velut in omnium Hæreticorum fæcem, in Trinitarios, ac cæteros huius tempeſtatis ſectarios irruant: omnem

Digitized by Google

nem prorſus ex orbe inuiſibilem Prędiſtinatorū Eccleſiam expungunt. Vides igitur, quàm labili, ac ruinoſo fundamento huius temporis Religioniſtę inuisibilem hanc Prędeſtinatorum Eccleſiam conſtruxerint, quę nec dum conſtructa ita corruit, vt nullibi vnquam apparuerit.

Ex his (Prudentiſsime Lector) illud tandem, velut certum, ac Dei verbo conſentaneum, apud te confice: Eos, qui veram Eccleſiam inuiſibilem ſtatuunt, totam Chriſtianam Rempublicam euertere, quę manifeſta verbi prędicatione, fidei doctrina, Sacramentorum vſu, Paſtorum functione, legum ſanctionibus, ac viſibili tandem adminiſtratione perficitur: Eos quoque omnem profligandarum hęreſum rationem deſtruere: neque enim hęreſis vlla expelli, aut expugnari poterit, ſi Eccleſia inuiſibilis, ac ignota ſit, cuius auctoritate hęreſes ſunt confodiendæ. Eos pręterea veram Eccleſiam ſuis ſymbolis, quibus à ſectis dignoſci queat, expoliare; cum Eccleſia inuiſibilis, quę ſoli Deo cognita eſt, nulla apud homines ſymbola ſibi vendicare poſſit. Ex quo omnem infidelibus ad veram Eccleſiam aditū pręcludunt, dum veram Eccleſiam illis tanquam inuiſibilem abſcondunt.

Eos etiam tēporale Chriſti Regnum inuadere, dum viſibilem illi Eccleſiæ Monarchiam, de qua tam præclara Prophetę olim prænunciauere, eripiūt. Eos denique, cum veram Eccleſiam tantum Prædeſtinatorum inuiſibilem ſtatuunt, id prorſus efficere: vt nullam ſibi Eccleſiam relinquant.

REGVLA SEPTIMA.

F*Irmiſsimè tene, & nullatenus dubita*; (quicūque verę Religionis cuſtos eſſe cupis.) *In vera, & Catholica Religione, neminem viuum Chriſti membrum eſſe poſſe, qui ſub Chriſto, qui inuiſibile eſt caput Eccleſiæ, aliud quoque viſibile caput, eidem ſubrogatum, atque ab eodem inſtitutum non agnouerit,*

uerit, eique ſubiectus non fuerit.

Tanta eſt huius Fidei Regulæ, apud ſcripturas, Patres orthodoxos, atque vniuerſalis Eccleſiæ conſenſum, vis, & auctoritas, vt ad ipſius veritatem hominum mentibus inſinuandam, nihil magis expetendum ſit, quàm vt excuſſa, ſi quæ illis ineſt, mentis caligine; puros fidei oculos ad ipſum conuertant. Et quidem, ſi omnium hæreſum cauſas propriùs indagare volumus (Lector) nihil eſt, quod homines magis à fide tranſuerſos agat, & in omnes hæreſum, ac errorum anfractus præcipites rapiat; quàm, cum grauiſſima hac Fidei Regula proſcripta, ſe ipſos ab hoc vno, ac neceſſario Eccleſiæ capite diſiuunt; à quo, & veræ fidei diſciplinam addiſcere, atque in Catholicæ Religionis vnitate omnes contineri opus eſt. Neque id mihi tantum credas, velim: hæc Cypriani antiquiſſimi Patris, & Glorioſiſſimi Martyris ſententia eſt, ita ſcribentis: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quã inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Eccleſia, ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur; cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa: nemo aduerſus Sacerdotum collegium quidquam moueret.*

Cypri. lib. 1. epiſt. 3.

Illud enim legitimum, ſempiternum, ac ſolemne omnibus eſt, qui ſe ipſos ab Eccleſia diuellunt; vt cum primùm ſeparationem à Catholica Religione meditãtur, eam ſchiſmate in viſibile Eccleſiæ caput concitato auſpicentur: cũ enim proprium huius capitis munus ſit, vniuerſa Eccleſiæ membra in vnitate continere; nemo diuortium ab Eccleſia quærere, aut nouas ſectas inſtituere poteſt; niſi à capitis prius obedientia, ac gubernatione ſeipſum diuulſerit: cuius cum primum iugum excuſſerit, tum in omnem effrænis dogmatum libertatem fertur.

Cæterum, vt huius Regulæ probatio, quæ vndique nobis ex ſacris literis erumpit, tuæ prudentiæ (Lector) luculentiùs innoteſcat: Duo potiſſimum demonſtranda ſunt. Primum, veræ Eccleſiæ, quæ viſibilis eſt, adminiſtrandæ

vnum

Digitized by Google

vnum inuiſibile caput nòn ſufficere? Alterum; præter inuiſibile caput, aliud quoque viſibile ſub Chriſto eſſe ſtatuendum.

Itaque, vt à primo exordiar. Non ignoras (Lector) Conſtantiſſimam omnium, non tàm Catholicorum, quàm etiam ſectariorum, qui Chriſti fidem profitentur, ſententiã eſſe; aliquod in Eccleſia caput agnoſcendum eſſe, cui vniuerſa Eccleſiæ mẽbra, velut Rectori, ſubiecta eſſe debeãt: id quippe commune omnibus ſemper fuit, vt Chriſtum Dominum Eccleſiæ caput agnouerint, iuxta Apoſtoli teſtimonium, dicentis: *Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*. In eo tamen ſectarij ab antiqua Eccleſiæ fide diſſentiunt, quòd ij inuiſibile Chriſti Regimen ad perfectam Eccleſiæ adminiſtrationem ſufficere autumant; ac proinde ſuperuacaneum putant, aliud viſibile caput in Eccleſia conſtituere. Tu contra Chriſto ſupremo, ac inuiſibili Eccleſiæ capite conſtituto, alterum viſibile caput, non quidem cũ Chriſto; ſed ſub Chriſto in Eccleſia ex ipſius inſtitutione, neceſſarium eſſe, ne dubita. Id enim ipſa in primis ratio ab Eccleſiæ viſibilitate ducta, non obſcurè perſuadet. Qui enim in Eccleſiam, quæ viſibile eſt Chriſti corpus, (vt in ſuperiori Regula luculentiſſimis teſtimonijs demonſtratum fuit) oculos & animum intendunt; nulla ſanè ratione ſibi in animum inducere valent, vt in viſibili Eccleſiæ corpore, cui non tantum inuiſibilis, ſed perſpicua etiam gubernationis forma neceſſaria eſt, illud dumtaxat caput ſufficere credant, quod inuiſibilem tantummodò adminiſtrationem exercet; quod diuino planè exemplo tibi manifeſtum eſt. Neque enim ignoras, ipſum inuiſibilem Deum: tametſi omnium ſupremus Gubernator ſit; cum tamen viſibilem præſentiam ſuã hominibus non exhibeat; hominum miniſterium, & quaſi Vicariam operam adhibere, vt hominum Rempublicam adminiſtret. Hinc per homines Reges creat, Imperatores eligit, Magiſtratus inſtituit, atque eorum miniſterio or-

Epheſ. 5.

Digitized by Google

bem vniuerſum regit, & moderatur. Id quippe, & Dei maieſtatem, & hominum ſtatum decebat; vt nec Deus ſe nobis viſibilem exhiberet, vt quid ſequendum, quid fugiendum eſſet, ipſe præſcriberet: homines verò hoc viſibilis miniſterij vinculo conſtricti, melius mutuam inter ſe vnitatem fouerent: dum vnico capiti, cuius aſpectu, & gubernatione fruuntur, omnes cohærent: & Deo penitus ſubijci diſcant, cum ijs ſe ſubiectos cernunt, quos Dei vice ſibi præsidere agnoſcunt.

Quidni, & hoc modo, ac ratione, Chriſtum glorioſum, ac inuiſibilem Eccleſiam ſuam, ac totum Chriſtianum orbem, cuius caput eſt, adminiſtrare credas? Etenim cum is inuiſibilis ſit, nec viſibilem aſpectum, vt olim, cũ mortalis viueret, ſuis Fidelibus exhibeat: nonne æquum fuit, illum (vt diuini planè moris eſt) in Eccleſiæ adminiſtratione hominum miniſterio vti, & Paſtorem ſui loco ſufficere, cuius Vicaria opera ſibi ad Eccleſiam regendam inſeruiret, vt inuiſibilis ipſe in Paſtore viſibili, viſibiliter quodammodò, Eccleſiam gubernaret? Nam ſi in orbe adminiſtrando Deus hominum miniſterium, velut neceſſarium ſibi copulat, vt viſibiles naturas, viſibili modo adminiſtret: num Eccleſiæ, quæ viſibilis eſt, inuiſibilem gubernationem ſat eſſe, arbitrabimur, aut alia ratione Chriſtum Eccleſiam ſuam regere credendum erit: quàm qua Deus Opt. Max. totum orbem regit, & moderatur?

Hanc rationem confirmat Apoſtolus, cum Eccleſiam Chriſti, noto ſimulachro, humano corpori ſimilem docet; in quo caput viſibile principari, cętera vero membra capiti ſubijci videmus. Porrò, & ſi Chriſtus ſupremum, ac inuiſibile Eccleſiæ caput exiſtat: *Ex quo* (vt inquit) *totum* Ephes. 4. *corpus compactum, & connexum per omnẽ iũcturam ſubminiſtrationis augumentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate.* Ac velut quoddam ſpirituale caput ſpiritualia dona, ac virtutes, quibus internum, ac ſpirituale ipsius regimen abſoluitur, in Eccleſiæ corpus diffundat: alterum

tamen

tamen Vicarium, ac viſibile caput ſub Chriſto in eo præſidere neceſſe eſt;à quo viſibile regimen,quod viſibili Eccleſiæ corpori neceſſarium eſt, perficiatur.

Neſcis (amantiſsime Lector)in Catholica Eccleſia,pleraque tum ad fidem, tum ſpem, tum charitatem in hominum mentibus gignendam, & conſeruandam; atque adeò ad inuiſibile Chriſti regimen aſſequendum, media viſibilia neceſſaria eſſe: quę ſi è medio tollas, ipſam quoque inuiſibilem Chriſti gubernationem cõuellis. In his ſunt legitima Paſtorum vocatio,Miniſtrorum Eccleſiaſticorum propagatio, Munerum diſpenſatio, Scripturarum diſcretio, verbi prędicatio, Sacrorum adminiſtratio, legum poteſtas, Eccleſiaſticæ ſanctiones, ac pleraq. alia; ſine quibus Eccleſia incolumis eſſe non poteſt: quæ omnia à viſibilis Eccleſiæ capitis prouidentia expectantur. Quot in fide controuerſiæ in dies in Eccleſia oriuntur? quot hęreſes ex ſcripturis malè intellectis paſſim erumpunt? Quæ cũ ſine capitis alicuius auctoritate, cuius iudicium in rebus fidei definiendis ſit infallibile, obtruncari non poſſint; id planè euincunt, inuiſibile caput ad Eccleſiæ adminiſtrationem non ſufficere.

Quamobrem, Chriſtus Dei Filius, dum inter nos mortalis verſaretur, quanquam ſpiritu ſuo Eccleſiam inuiſibiliter adminiſtraret; tamen, vt viſibile quoque capitis regimen neceſſarium eſſe demonſtraret, viſibilem Principatum in Eccleſia geſſit; ac velut primus Eccleſię Chriſtianę Monarcha, eam ipſe viſibiliter adminiſtrauit. Necnon ab ea corpore diſceſſurus,eundem Principatum in Petrum tranſtulit, vt ab eo in omnes illius ſucceſſores perpetuus manaret.

Id, quæſo, feriò tecum perpende(Lector) quòd ſi Chriſtus nunquam ſeipſum viſibile Eccleſiæ caput exhibuiſſet, neque inter homines, velut communis omnium Paſtor viſus eſſet; ſed ſuo tantùm ſpiritu Eccleſiam inuiſibiliter gubernaſſet; dubium eſſe poterat; num & idem modo in Ec-

cleſia

cleſia fieri opus eſſet. Verùm cùm non tantum ſpiritu, ſed & carne viſibili Chriſtus Eccleſiam rexerit, atque in ea viſibilis Paſtoris officium obierit; necnon plurima, quæ ad externam capitis adminiſtrationem pertinent, perfecerit: denique viſibilem Paſtorem elegerit; cuinam iure dubitandum eſt, quin præter inuiſibilem Chriſti adminiſtrationem, alterius quoque viſibilis capitis modò in Eccleſia gubernatio exigatur?

Poſtremò, cum id de fide certum ſit, Chriſtum, dum mortalis adhuc viueret, Eccleſiæ Monarcham fuiſſe: ſi ſola inuiſibilis Chriſti gubernatio Eccleſiæ ſat eſſet, neque vlla alterius viſibilis capitis adminiſtratio exquireretur: an non fruſtra Chriſtus viſibilem Pontificatum in Eccleſia geſsiſſet; quod Eccleſiæ neceſſarium non eſſet? At quis Apoſtolos tunc ad Eccleſiã inſtruendam, ac regendam vocaſſet? Quis Sacerdotes, & Epiſcopos creaſſet? Quis Euangelium promulgaſſet? Quis fidei prædicationem demandaſſet? Quis Sacramenta inſtituiſſet? Quis Pontificia auctoritate Diſcipulos ad Orbis cõuerſionem deſtinaſset? Hęc quidem Pontificalia munera, quibus Chriſtus tanquã viſibilis Pontifex in Eccleſia functus eſt; cum adeò neceſſaria eſſent; vt abſque iſs Eccleſia fundari non potuerit: quo pacto, aut viſibilem Chriſto Pontificatum in Eccleſia ſuperuacaneum fuiſſe; aut ſine viſibili alterius Pontificatu, qui Epiſcopos, ac Paſtores, velut Apoſtolos, ad particularium Eccleſiarum adminiſtrationem vocet; qui Euangelicam doctrinam ab hęretica diſcernat; qui verbi prædicationem per orbem diſſeminandam ex officio curet; qui ſacrorum adminiſtrationi inuigilet; qui denique Chriſti ouiũ ſolicitam curam gerat; Eccleſiam incolumem, ac ſartam tectam conſeruari poſse exiſtimas?

Qua propter, ne viſibilem Chriſti Pontificatum, aut ſuperuacaneum, aut cum eo extinctum fuiſse credas: quę in maximam Chriſti iniuriã cederet; quaſi is, qui ęterna Dei ſapientia eſt, aut ſuperuacanea, aut peritura in Eccleſia inſti-

inſtituiſſet: id tibi proculdubio credendum eſt, alterum in Eccleſia viſibile caput ab eo inſtituendum eſse; in quo viſibilis ipsius Pontificatus, tanquam in Vicario Pontifice, effulgeat; ac proinde inuiſibile Chriſti regimen ad Eccleſię adminiſtrationem non ſufficere.

Hoc igitur in Primis conſtituto; ad alterum caput demonſtrandum accedo: nimirum pręter Chriſtum, qui eſt inuisibile Ecclesię caput, alterum quoque visibile caput agnoſci debere, quod Eccleſię visibiliter pręsideat. Plura ad huius rei demonſtrationem ſcripturarum, ac Patrum teſtimonia (Prudentiſſime Lector) huc congerere poſsem; ſed quę tibi fortè animum obruerent: ac inſtitutę breuitatis metas excederent. Idcircò paucis potiùs contentum, quàm multis defeſſum te volo.

Inter ſcripturarum teſtimonia, quæ id præclarè demonſtrant: duo ex veteri Teſtamento proferre lubet. Primum eſt celebre illud Micheæ vaticinium, ab eo his verbis conceptum: *Congregatione congregabo Iacob totum in vnum, conducam reliquias Iſrael pariter: ponam illum tanquam gregem in ouili: quaſi pecus in medio caularum: tumultuabuntur à multitudine hominum*. Hæc de Eccleſiæ Chriſti vocatione, & amplitudine, & maxima eorum multitudine, qui ad eam, tàm ex Hebræis, quàm ex gentibus vocandi eſſent, à Michæa dicta eſſe, poſt veterum Hebræorum ſententiam, quos refert Petrus Galatinus, præclarè docet Hieronymus in hunc locum. Quo fit, vt Iacob de quo loquitur Vates, obuio planè ſenſu, Chriſtianus populus intelligendus ſit, de quo Angelus ad Virginem Deiparam: *Et regnabit in domo Iacob in æternum*; eorum ſcilicet, qui fidem Iacob ſectaturi erant. Pergit Vates: *Aſcendit enim pandens iter ante eos, diuident, & tranſibunt portam, & egredientur per eam*. Quæ partim de Chriſto, partim de Eccleſia dicuntur: Aſcendit enim Chriſtus in Cælum, cum ad Patrem redijt pandens fidelibus iter, quo ad cæleſtia regna poſt ipſum euolarent: ita Chriſtus ad Apoſtolos: *Vado* (inquit) *para-*

Mich. c. 2.

Pet. Galat. lib. 8. de Arcan. cap. 13.

Hier. in comment. in Mich. c. 2.

Luc. 1.

Ioan. 14.

Digitized by Google

re vobis locum, & ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum. Sequuntur autem Fideles, per Chriſti fidem, Spem, & Charitatem aditum ſibi ad Cęlum patefacientes: mox Eccleſię gubernationem deſcribens: *Et tranſibit* (inquit) *Pax eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*. Eodem nomine, & Regem, & Caput, & Dominum cenſeri nemo ignorat, cum ijs in alios imperium ineſse demonſtretur.

Iam (Prudentiſſime Lector) hæc Vatis verba, ſi placet, diligenter examina: quandoquidem in his duos apertè Eccleſiæ Rectores indicari perſpicies. Vnum quidem, qui coram Eccleſia, ac tota Fidelium multitudine conſpicuus gradiatur: *Et tranſibit* (inquit) *Rex eorum coram eis*. Alterum (quem Dominum abſolutè appellat) qui in ipſomet Eccleſię Rectore, & capite, velut ſupremus omnium Dominus, præſidere debeat: *Et Dominus* (inquit) *in capite eorum*. Ille, tanquam viſibile Eccleſię caput, ita ante omnium aſpectum verſetur, vt Eccleſiam viſibiliter adminiſtret: Hic vero idcirco in capite conſtituatur, vt in hoc viſibili capite ipſe Eccleſię, velut inuiſibilis Monarcha, inuiſibiliter prędit. Porrò hic Chriſtus, ille Pontifex eſt; qui tametſi ſit viſibile Eccleſiæ caput, ad quem viſibilis Eccleſię gubernatio pertinet; is tamen non abſolutè Eccleſię Dominus nuncupatur: ſed Paſtor, Caput, & Rex duntaxat viſibilis ſub Chriſto Rege inuiſibili cõſtitutus agnoſcitur. Neque enim Pontifex ſine Chriſto caput Eccleſiæ creditur; aut Chriſtus ſine Pontifice viſibilem Eccleſię gubernationẽ exercet: ſed Dominus in Capite, Chriſtus in Pontifice; Caput in capite neceſsariò intelligi debet. Quem propterea Vates Dominum appellat: quandoquidem Chriſtus ſolus Eccleſiæ Dominus cenſendus eſt, qui cum Eccleſiam proprio cruore comparauerit, ipſo Redemptionis titulo in eam ius dominij ſibi acquiſiuit.

Nec tamen Chriſti Regnum proſcindi exiſtimes, velim. Integrum enim Eccleſiæ Imperium Chriſto manet; quanquam

Digitized by Google

quam viſibile caput, velut Vicarium, ac Suffraganeum eidem ſubrogetur. Nam nec duos propterea Reges in Anglia, & Scotia eſſe arbitraris, quòd in Scotiæ Regno Prorex imperat; ſed vnum tantummodò Carolum potentiſſimum vtriuſque Regni Monarcham eſſe iudicas; cum ille ab huius maieſtate, atque auctoritate pendeat. Quæ enim ſibi inuicem ſubordinantur, non numerum, ſed vnitatem efficiunt. Id igitur ex priori hoc Michçæ teſtimonio tibi perſuaſum ſit; præter Chriſtum glorioſum, ac inuiſibilem, alterum quoque viſibile Caput in Eccleſia eſſe ſtatuendũ.

Alterum æquè celebre Vaticinium, huic ferè per omnia conſonum, eſt Oſeæ, ita de Chriſti Eccleſia prænuntiantis. *Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra*. Si de Hebræo Populo hæc Oſeæ verba interpretari velis (amantiſſime Lector) ea ſanè nunquam impleta fuiſse reperias, præſertim cum poſt Regnum Iudæorum diſcuſsum, illud nunquam deinceps inſtauratum fuiſse legatur. Quamobrem D. Auguſtinus de Chriſti Eccleſia ea intelligenda eſse cenſet, quæ ex duobus populis; nimirum ex Iudæis, & Gentilibus congreganda erat; quos, per filios Iuda, & filios Iſraelis ſignificari, ipſe quoque Apoſtolus docet, cum ait: *Non omnes, qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ, &c. Neque qui ſemen Abrahę ſunt, omnes filij*. Cum veri Iudæi, & Iſraelitæ ij tantum cenſendi eſsent, quos non Caro, ſed Spiritus veros Abrahæ filios efficere, & illius ſemini, quod eſt Chriſtus, fidei natiuitate coniungere deberet.

Oſeæ 1.

Aug. lib. 18 de Ciuita. Dei, c. 28. & lib. 12. con. Fau t. c. 89.

Rom. 9.

Hos igitur Vates in vnum fore congregandos prædicit: in vnum ſcilicet corpus Chriſti myſticum, atque in vnam Eccleſiam: quod apud Matthæum præclarè à Chriſto explicatum legitur, his verbis: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in Regno Cælorum*. Et quod magis propoſitum noſtrum vrget, ſibimet caput vnum poſituros eſſe aſſeuerat. *Et ponent* (inquit) *ſibimet caput vnum*. Qui locus,

Matth. 8.

etſi de Chriſto exponi queat, quem nulli dubium eſt, caput eſse Eccleſiæ à Deo Patre conſtitutum: ſi tamen diligenter verba Vatis expendas (Prudentiſſime Lector) quibus ait, hos Eccleſiæ populos, poſtquàm in vnum Eccleſiæ corpus congregati fuerint, poſtquàm Chriſti fidem, qua Eccleſia ad Chriſtũ colligitur, fuerint amplexati, denique poſtquàm Chriſto nomina dederint, non caput vnũ ſibi ab alio inſtitutum agnituros: ſed eos ſibimet ipſum caput vnum poſituros, âtque electuros: planè cogeris fateri, hæc meliùs, & aptiùs de altero Eccleſiæ capite, quàm de Chriſto exponi. Qua enim ratione Eccleſia iam ad Chriſti fidem collecta, vt Vates inſinuat, cum ait: *Congregatione congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter*. (Præſertim cum eam non à ſe ipſa, ſed à Chriſto congregari oportuerit, ad quem ſpectat fidem infundere) ipſamet Chriſtum ſibi in caput eligeret; cum non Eccleſia Chriſtũ, ſed Chriſtus Eccleſiam elegerit? atteſtante ipſo Domino apud Ioannem: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Ac prædicante Apoſtolo, Chriſtum non ab hominibus, ſed à Patre Eccleſiæ caput conſtitutum eſse: *Ipſum* (inquit) *dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*. Vides (Lector) alterũ præter Chriſtum Eccleſiæ caput, quod ab ea eligendum eſset, his verbis à Vate inſinuari. At quod nam illud eſt? præterquàm ipſum viſibile caput, quod poſt Chriſtum aliquãdo ex Dei inſtitutione ab Eccleſia eligendum, ſub Chriſto in ea adminiſtranda ſubrogati Paſtoris munere fungeretur.

At quamquã hæc Prophetarum oracula, quibus ij præclarum Chriſtianę Eccleſię ſtatum, ac diuinas inſtitutiones in ea futuras prælibarunt, rem non obſcurè demonſtrent: Clariùs tamen, ac luculentiùs id tibi Euangelicæ paginæ declarant; in quibus diuina huius viſibilis capitis inſtitutio elucet. Petrum namque totius Eccleſiæ caput, & Paſtorem à Chriſto inſtitutum fuiſse, tàm aperta Euangelica teſtimonia affirmant, vt niſi vim ipſis diuinis verbis inſeras, id nulla ratione inficiari valeas.

Primum

Primum teſtimonium eſt apud Matthęum, vbi Chriſtus Petrum alloquens, ait: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Hæc quidem promiſsionis tantum verba ſunt, quibus Chriſtus Petro futurum Eccleſiæ Regimen pollicetur: ea tamē cum ab eo profecta ſint, qui fallere nequaquam poteſt; hinc neceſsariò euincimus, Petrum Eccleſiæ caput, ac Rectorem aliquando à Chriſto inſtitutum fuiſse; vt facta diuinis promiſsis reſpondeant: neque enim aliud eſt, Eccleſiam ſuper Petrum ædificari, prætcrquàm Eccleſiam à Petro regi, ac gubernari: nam quod eſt in domo fundamentum, illud eſt in Regno Rex, in Naui Rector, in grege Paſtor, in Eccleſia caput: quibus id muneris incumbit, vt, inſtar fundamēti, Regnum, Nauim, Gregem, Eccleſiam ſua auctoritate regant, ac ſuſtēteant. Hinc Cyprianus: *Deus* (inquit) *vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce fundata*. Matth. 16. Cypr. lib. 1 epiſt. 8.

Huic ſimile eſt, quod poſt hæc Matthęi verba legitur, cum dicitur: *Et tibi dabo claues Regni Cælorum; & quodcūque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis; & quodcumque ſolueris, &c.* Clauium enim nomine ſumma Eccleſiaſticæ poteſtatis Petro promittitur; quam poſtea eidem traditam fuiſse, nefas eſt dubitare. Qui igitur Eccleſiæ claues à Chriſto accepit, haud dubium, quin ab eodem Eccleſiæ caput inſtitutus fuerit.

Sed quoniam, qui Petri primatum oppugnant, his teſtimonijs obijcere ſolent: Petrum Eccleſię quidem fundamentum nuncupari, ſed non ſolum; cum id nominis alijs quoque Apoſtolis conueniat, quos Paulus, & Ioannes Eccleſię fundamenta appellant: atque eodem modo claues ligandi, & ſoluendi non ſoli Petro, ſed alijs quoque Apoſtolis commendari contendunt, quibus Chriſtus ait: *Quęcunque ligaueritis ſuper terram*, &c. Audi, quid his opportunè reſpondeat Hieronymus: *At dicis* (inquit) *Super Petrum fundatur Eccleſia, licet idipſum alio in loco ſuper omnes* Epheſ. 2. Apoc. 21. Hiero. cōt. Iouin. lib. 1. cap. 14.

Apoſtolos fiat: & cuncti claues Regni Cælorum accipiant: & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. En quo diſcrimine Petrus, ac cęteri Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta dicantur, & Regni Cælorum claues accipiant. Petrus enim, vt caput; Apoſtoli vt membra; Petrus in plenitudine poteſtatis; Apoſtoli in partem ſolicitudinis Eccleſiam regendam ſuſcipiunt.

Eſt, & illud illuſtre apud Lucam, vbi Chriſtus ad Petrũ
Luc. 22. ſermonem dirigens, ait: *Simon, Simon, ecce ſathanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquãdo conuerſus confirma fratres tuos.* Neque enim Chriſtus pro Petri tantùm fide oraret, aut ipſi fratrum confirmandorum curam demandaret: niſi in eo ſupremum fidei, ac poteſtatis Magiſteriũ, quo aliquando in Eccleſia frui deberet, collocaſset. Eſt tandẽ illuſtriſsimum, quod apud Ioannem legitur. Cùm Dominus poſt reſurrectionem glorioſus Apoſtolis apparens, omnibus pręſentibus, & ſpectantibus ad ſolum Petrum conuerſus, eundem totius Eccleſię Paſtorem inſtituit, illis verbis: *Simon Ioannis diligis me plus his: Paſce oues meas*; nec
Ioan. 21. ſemel, ſed ter eadem illa verba repetit: vt ſtabile illud decretum eſse indicaret. Quid luculentiùs (Lector) quàm ex Chriſti inſtitutione manare; vt alterum viſibile caput eſſe debeat, qui in Eccleſia Chriſti vice Principatum gerat? ſed quandoquidem hæc teſtimonia vberiùs infrà pertractanda ſunt, ea modò tibi leuiter attigiſse ſufficiat.

Aliud quoque huius rei argumentum habes (Prudentiſſime Lector) ex quàmplurimis metaphoris, ac ſimilitudinibus ductum; quibus ad Eccleſiam ſignificandam paſſim ſcripturæ vtuntur; quas obiter tantùm indicare lubet.
Dan. 2. Daniel Eccleſiam Chriſti, Regnum appellat. Salomon, Ca-
Cant. 6. ſtrorum Aciem ordinatam. Chriſtus apud Ioannem, Ouile:
Ioan. 11. Matth. 20. apud Matthęum, Vineam. Paulus, domum. Petrus Nauim,
ad Tim. 3. ſeu Arcam Noe. Ab his ſi viſibile caput auferas, omnem
1. Pet. 3. pro-

proculdubio ijs vitam, ac ſubſiſtentiam adimis. Quando enim Regnum abſque Rege viſibili vnquam eſse potuit; aut diuturnum ſtare? Certè non ignoras ſine Imperatore viſibili exercitum dilabi: ſine Paſtore gregem diſpergi: ſine Cuſtode vineam diſsipari: ſine Patrefamilias domum diſsolui: ſine viſibili Rectore nauim inter maris vortices errare, ac tandem ſcopulis allidi. Porro, ſi id ipſa naturę vox, ac innata ratio velut certiſſimum perſuadet: quis Eccleſiam, quę, diuino ſpiritu afflante, cum his rebus comparatur, viſibili capite carere poſſe arbitretur?

Gaudeat igitur (Lector) Chriſti Regnū inuiſibilis Chriſti ſui Imperio, atque illi cumprimis ſubiecta ſit. At dum viſibili ipſius prę ſentia non potitur, viſibile caput Chriſti vice ſibi prę ſidere cernat. Videat Chriſtianus exercitus præſentem ſibi Ductorem, quo adhortante, ac impellente ſigna cum tartareijs hoſtibus conferat. Cernat Dominicus grex conſpicuum ante ſe gradientem Paſtorem, cuius ductum, ac legem nullo vnquam tempore non ſequatur. Vinea quoque Domini inuigilantem ſibi Cuſtodem aſpiciat: ne ſepibus conuulſis, ac deſtructis macerijs, prætereuntium tandem iniuria deuaſtetur. Habeat Eccleſiaſtica Domus ſuum Præpoſitum, & Oeconomum, cuius viſibili prouidentia opportunè in rebus neceſſarijs fruatur. Conſpiciat tandem ſacra Eccleſiæ Nauicula præſētem Rectorem ſuo gubernaculo inſidentem, ne inter tumeſcētes hæreſum, ac perſequutionem fluctus, Gubernatore deſtituta, tandem procellis obruatur.

An non hinc (Lector prudentiſſime) ſi te fortè ſolidæ rationes potiùs, quam ſcripturarum teſtimonia delectant; ipſum ordinem, à natura rebus omnibus præſcriptum, rei propoſitæ non obſcurè patrocinantem animaduertis? Bruta ipſa animantia circumſpice; quæ tametſi ratione careāt, ea tamen natura capite aliquo conſtare voluit; quo regantur, quo gubernentur, ac velut duce, ac magiſtro ad proprias operationes obeundas inſtruantur. Quid? An non

ſolo

ſolo ipſo naturæ ductu pleraque animantia caput ſibi conſtituunt? *Muta animalia* (inquit Hieronymus) *& ferarum greges Ductores ſequuntur ſuos. In Apibus principes ſunt. Grues vnam ſequuntur ordine literato. Imperator vnus, Iudex vnus Prouinciæ.* Denique ipſa tum naturæ vox, tum rectę adminiſtrationis ratio clamat; in vnaquaque hominum ſocietate caput aliquod eſse debere; ne in partes diſſecta, tandem dilabatur: præſertim cum eam multitudinis naturam eſſe perſpectum ſit, vt ſe ipſa diſsoluatur; niſi alicuius capitis vinculo in vnitate contineatur.

Hiero. epiſto. 4. c. 6.

Quòd ſi ad humanæ ſocietatis vinculum tuendum, cum de humanis rebus tantum agitur, Ductore omnino opus eſt: Cur is in Eccleſia, vbi de Fide, ac Religione ſarta tecta ſeruanda, ac diuinis rebus tuendis res eſt: quæ eò faciliùs dilabuntur, quò grauiores, ac difficiliores pugnas à Tartareis hoſtibus patiuntur, inutilis, ac ſuperfluus iudicabitur? Propterea Moyſes ex hac luce emigraturus, cum neceſsariam huius capitis præſentiam ad Eccleſiam in vnitate continendam eſse cerneret, ita Deum deprecatus eſt: *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſupra multitudinem hanc, & poſsit exire, & intrare ante eos: ne ſit Populus Domini, ſicut oues abſque Paſtore.*

Num. 27.

En (Lector) quàm antiqua, ac diuina eſt huius Eccleſiæ capitis inſtitutio, ac neceſſitas: ſiue enim primum Eccleſię ortum, ac natiuitatem, quę Priſcis illis Patriarcharum temporibus eluxit, animo repetas; ſiue ipſius ſub Moyſe, & Hebræo populo adoleſcentiam inſpicias: planè huius viſibilis capitis præſentiam, ad eam potiſſimum in vnitate continendam, illi ſemper adeò neceſsariam fuiſse præſentiés; vt eo ſublato, tametſi Deus illi inuiſibiliter pręſit, Eccleſia, ac populus Domini, haud ſecus quàm oues abſque Paſtore diſperſæ exiſtimari deberent: Id vel inuitus olim Caluinus coactus eſt fateri; cum ita ſcriberet: *Debuit enim* (inquit) *vnus populus Iudæorum; obſeſsus circumcirca ab Idolatris; habere vnum ſummum Pontificem, qui omnes in vnitate*

Caluin. Inſtit. l. 4. c. 6

tate

tate contineret, ne varijs Religionibus deſtraheretur. At ſi, Caluino teſte, olim Deus ad tuendam Eccleſiæ vnitatem, tametſi ipſe illius dux, & caput exiſteret, ſummum illi Pōtificem præficere neceſſarium duxit. Quid? An non eadem,& modò vnitas Eccleſię neceſſaria eſt? An non ęquale, & nunc periculum vrget? Si tunc in ſynagoga Pontificem inſtitui neceſſarium fuit; ne ea varijs ſuperſtitionibus diſtraheretur: cur in Chriſtiana Eccleſia,quæ inter Iudæorum,Turcarum, ac diuerſi generis Hæreticorum ſectas,velut obſeſſa verſatur, ſuperuacaneum erit,caput aliquod viſibile præeſſe à quo Chriſtianus populus in veræ Religionis vnitate contineatur?

Fruſtrà nititur Caluinus oſtēdere, quod vni nationi fuit vtile, in vniuerſum orbem extendi non debere. Nam qua ratione fatetur, Hebræo populo vtile fuiſſe vnum Pontificem habere, eadem prorſus Chriſtiano populo vtiliſſimum fore, fateri debet. *Quia* (inquit Caluinus) *vndique ab Idololatris ſepti erant Iudæi,ne Religionū varietate diſtraherentur, cultus ſui ſedem in medio terræ ſinu Deus collocauit; illic vnum Antiſtitem præfecit, quem omnes reſpicerent, quo melius in vnitate continerentur*. At, quis non videat hanc eandem cauſam pro Eccleſia aduerſus Caluinum pugnare? Cùm enim Chriſtiana Eccleſia vndiq; à Mauris, Tartaris, Turcis, Sarracenis, Hæreticis obſideatur: quidni neceſſarium,ne dum vtiliſſimum erit, vt vnus illi præficiatur Antiſtes? vtile Caluino viſum fuit in Hebræo populo vnum, ac viſibilem Pōtificem ſub Deo inſtitui; vt haberet populus, in quem reſpiceret, atque in vnitate contineretur; quęnam cauſa eſt, cur & eadem vtilitatis ratio pro Chriſtiano populo non loquatur? Qui quò copioſior eſt, & numero, ac amplitudine Iſraeliticum populum antecellit; eò magis vno ac viſibili Pontifice indiget; vt in eum velut caput ſub Chriſto conſtitutum reſpiciens, quaſi vinculo, in Fidei, ac Religionis vnitate contineatur. Quòd ſi in id adhuc perperàm contendat: oſtendat, quando veteris Eccleſiæ regimen in

Inſtit.li.4. c.6.§.2.

Chri-

Chriſtiana Eccleſia à Deo immutatum fuerit; vt immutandum credatur. Sed quid pluribus ad hanc rem demonſtrandam argumentis opus eſt? Prudentiſſime Lector ipſum Chriſtianæ Eccleſiæ exemplar, quod in Chriſto capite effulſit, intuere: à quo Eccleſiæ, quæ nunc eſt, ſtatus diſſentire non debet: tum fruſtrà de hac re diſceptationem moueri perſpicias.

Certè non ignoras, Chriſtum Dominũ nobis à Deo Patre datum eſſe, vt omnium exemplar fieret; & in eo, quid ſequendum, quid fugiendum, quid aſpernandum, quidue imitandum eſſet, contemplari liceret. An non igitur ea Eccleſiæ regendæ forma ſequenda eſt, quæ olim ſub Chriſto exemplari inſtituta enituit? Id prorſus: at exploratum eſt, Eccleſiam ſub Chriſto eam regiminis formam ab eo inſtitutam ſibi vendicaſſe; vt vnum caput viſibile haberet, à quo ipſa tota gubernaretur: Nam in primis Chriſtus ipſe, qui primus fuit Eccleſię Monarcha, eiuſdem viſibile caput extitit, quandiù mortalis inter nos fuit: Cur igitur eadem, & modo regiminis forma, quæ per vnius capitis viſibilis imperium fit, in Eccleſia ſeruanda non erit, cum exemplar in Chriſto pręceſſerit? At verò, ſi addas; Chriſtum, cum è viuis excederet, vt hanc gubernandi normam nobis ſequendam relinqueret, Petrum viſibile in Eccleſia caput ſibi Vicarium inſtituiſſe: planè tibi omnino dubitandum nõ erit, aliquem in Eccleſia viſibilem Pontificem eſse debere, qui Petro in regimine vniuerſalis Eccleſiæ omni quidem tempore ſuccedat.

Denique (vt plura paucis perſtringam) ſi grauiſsimas, ac potiſsimas (Prudentiſsime Lector) huius rei probationes expetis; eas breui compendio congeſtas accipe. Idcircò enim viſibile caput in Eccleſia neceſsarium aſſeritur. Primò, vt Eccleſia militans à triumphante non diſsideat. Triumphans, cum inuiſibilis ſit, inuiſibili ſuo capite fruitur: Militans quoque, quæ viſibilis eſt, viſibili ſuo Paſtore potiri debet. Secundò, vt Eccleſia militans ſecum ipſa

non

non diſsẽtiat; ſed eandem in toto, ſicut in partibus gubernationis formam ſeruet. Quod ſi ſingulis Epiſcopatibus ſinguli Epiſcopi prçſunt, cur non in tota Eccleſia vnus Pontifex eſse debet, qui cunctis Epiſcopis prçſideat? Tertiò, vt externa Eccleſiç vnitas vno capite externo, ac viſibili colligata conſeruetur. Nam cum duplex quodammodo ſit Eccleſiæ vnitas: Interna, & externa: Interna per Fidem, Spem, & Charitatem perficitur, quibus Eccleſia Deo coniungitur: externa verò ordinis eſt, quç ab vnitate capitis viſibilis proficiſcitur: inde enim Eccleſia vna eſse dignoſcitur, cum vniuerſa Eccleſiç membra ſub vno viſibili capite colligantur. Quartò, vt ſtatus Eccleſiç non pugnet cum doctrina Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum, qui de viſibili Eccleſiç capite apertè loquuntur, vt explicatum fuit. Quintò, vt Eccleſia Chriſtiana à Patriarcharum, & Iudæorum Eccleſia non diſsentiat; nam ſi illorum temporum Eccleſia viſibilem Pontificem agnouit, quidni Chriſtiana qnoque Eccleſia viſibilem Paſtorem agnoſcere debeat? Sextò, vt aliquis ſupremus in Eccleſia Iudex ſit, qui Epiſcoporum cauſas iudicet, atque eorum peccata puniat, res fidei definiat, cõcilia conuocet, ſchiſmata cohibeat, hæreſes extinguat. Poſtremò, vt diuina Chriſti inſtitutio locum habeat, & ſcripturæ, quç de Petri primatu apertè agunt, vim, atque auctoritatem (vt par eſt) in Eccleſia nanciſcantur. Ex quibus tandẽ (Prudentiſsime Lector) id certa fide te colligere oportet: quod ſi ex Chriſti inſtitutione, aliquod in Eccleſia visibile caput agnoſci debet, quod ipſam in vnitate contineat, & Chriſti inuisibilis poteſtatem exerceat; ij neque viua, neque vera Eccleſiç membra eſse poſſunt, qui à Catholicæ Eccleſiç corpore diſsiti, ab hoc capite disiunguntur; ſiquidem teſte Cypriano: *Hanc vnitatem, qui non tenet, Dei legem non tenet: non tenet Patris, & Filij fidem, vitam non tenet, & ſalutem.* Cypr. de vnit. Eccl.

Cum itaque hactenus demonſtratum fuerit: vnius capitis, ac Paſtoris visibilis, qui vniuerſæ Ecclesiæ præsit, cõſti-

ſtitutionem adeò veræ Religioni neceſsariam eſse ; vt ſanè illa Eccleſiaſtica Monarchia, Chriſto auctore, inſtituta, nec conſiſtere; neque iuxta Chriſti inſtitutionem ritè adminiſtrari queat: atque inde hoc vnum caput visibile Chriſto ſubrogatum, ab ijs, qui veram Religionē aliquo titulo ſibi arrogant, ſummo iure exquiramus, sine quo nec ipſa Chriſti Religio eſse poteſt. Nunc examinandum ſupereſt: num ex tot Religioniſtarum gregibus, qui hac tempeſtate in Eccleſia Orbe verſantur: aliquis ſit qui hoc visibili capite à Chriſto inſtituto potiatur? Res porrò extra omnem controuerſiam eſt. Lutheriſtæ namque, & Caluiniani, & quotquot, vel ab ijs progeniti, vel abſque ijs Eccleſias ſuas ſtatuere viſi ſunt: vniuerſi ab hoc viſibili capite abhorrent: ac Chriſtum tantummodo inuiſibile caput ſibi fingunt.

At quænam ob huius viſibilis capitis obtruncationem illis mala olim orta fuerint, atque etiam num oriātur, (prudens Lector) obſerua: Id illis planè contigit, quod Ouium Gregi plerunq. accidere ſolet; qui cum nullo Paſtoris gubernaculo regatur; ſparſim Oues per Montium prærupta errantes, ab ijs quàm miſerè ſeipſas præcipites dedunt. Hi namque cum proprium Paſtorem à Domino ſibi conſtitutum reſpuant, quid præterquam diſperſi gregis formam præſeferunt? qui cum nulla Paſtoris lege intra Religionis diſciplinam contineantur, eò tandem ruere neceſſe eſt, vt in omnia errorum, atque hæreſum prærupta ferantur; atque in ea miſerè præcipites ruant.

Horum calamitatem piè Dominus per Ezechielem deflet his verbis. *Et diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerſo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat, qui requireret: non erat, inquam, qui requireret.* Si cauſam expetas, cur tot oues, quę olim ad Dei gregem pertinebant, tam varijs erroribus inter ſe diſſitæ, & à Deo, atque à vera fide abalienatæ, per Orbem diſperſę

Ezec. c. 34.

con-

conſpiciantur: quæ prius ſub Paſtore tutæ erant, ac illius præſidio ſuffultæ, ſub ficu ſua, ac ſub vite ſua pacificè degentes, veræ Religionis pace fruebantur; nunc errant in cunctis montibus, modò vnam, modò alteram fidem ſectātes: Denique quæ ſub Paſtore, Tartareis lupis formidabiles erant, iam modo factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri: vndique dæmonum morſibus pateant, vbique Hęreſum dentibus dilacerentur, ea tantum à Vate redditur: *Eò quòd non eſset Paſtor.* qui oues requireret, qui eas in vero Dei cultu, ac Religione contineret, qui ipſis veræ fidei pabula præberet, qui truculentam ab ijs Hæreticorũ rabiem expelleret; qui errantes ad fidei veritatem reuocaret; qui denique illorum ſalutis curam gereret.

Nulli ſanè dubium eſt, quin hinc cuncta gregum Chriſtianorum, qui hactenus à fide defecerunt, diſſipatio orta ſit; quòd hunc vnum viſibilem Paſtorem, à Deo ſibi conſtitutum agnoſcere noluerunt, qui eos ex officio requireret. Nam ſi Hæreſum cauſas inſpicimus: ea ſanè vna, ac potiſsima eſt, teſte Cypriano: quod vnum, ac viſibile caput in Eccleſia non agnoſcitur. *Vnde enim* (inquit) *ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur; niſi quod Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur.* Cypri. l. 4. epiſt. 9.

Hæc Lutherani, Caluiniani, ac cæterorum Gregum calamitas eſt; quam ipſe quoque Vates Zacharias deplorat his verbis. *Diuini viderunt mendacium, & ſomniatores loquuti ſunt fruſtrà: vanè conſolabantur: idcirco abducti ſunt, quaſi Grex: affligentur, quia non eſt eis Paſtor.* Zach. c. 10 vis noſſe (optime Lector) vnde nam tanta Chriſtiani Gregis deuaſtatio orta fuerit: vt cum prius vnius labij populus eſſet, cunctique Deo vno humero ſeruirent: mox tanta in eum linguarum confuſio inuecta fuerit; tot doctrinarum bella, tamque ingens ſectarum tumultus excitari cœperit, vt hinc Lutherani, inde Caluiniſtæ, iſthinc Proteſtantes, illhinc Puritani, Zuuingliani, Anabaptiſtæ, atque innumeræ ferè ſecta-

Hæc quidem tot malorum origo partim ex mendacijs, ac callida horum Pſeudoprophetarum perſuaſione; partim ex gregis inſipientia, ac ſtulta illius credulitate profecta fuit: at verò prima horum malorum cauſa, ea ſola eſt, quã hic Vates vltimo loco collocat. *Quia ſcilicet, non eſt eis Paſtor.* Inde enim Pſeudoprophetæ luporum more in gregem graſſari cœperunt: inde ſomniatores falſa doctrinarum, ac dogmatum ſomnia pro Dei reuelationibus obtrudere auſi ſunt; cum nullus eis Paſtor obſiſteret: inde Populus mendacijs credere, ac Hæreſes oriri cœperunt; cum eum à ſe Paſtorem abiecit, qui veram fidei diſciplinam, dono ſibi à Deo collato, ſartam tectam, ac perpetuam in ouibus ſibi ſubiectis confirmat. Quamobrem (Prudentiſsime Lector) infauſta aliorum ruina, melius, ſi ſapis, tibi conſule.

At neque hic calamitatum finis: cum enim viſibili capite abiecto, Chriſto inuiſibili capite ſe frui exiſtiment; eo proculdubio orbati, Acephali, ac ſine capite incedunt: ac velut ille locuſtarum Grex: de quo Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi. *Et de fumo putei* (inquit) *exierunt locuſtæ in terram* &c. *& habebant ſuper ſe Angelum abyſsi, cui nomen Hebraicè Abadon, Græcè autem Apollion, Latinè habens nomen Exterminans.* nullo duce, aut capite, præterquam Angelo abyſsi potiuntur. Apoc. 9.

Abſit (optime Lector) vt crimen fratribus imponam, aut contumelias augeam; pro quibus, teſtis eſt mihi Deus, cuperem anathema eſſe, vt & ipſi ſalutem conſequerentur; quin potius vehemẽter eorum caſum deploro: atque amico conſilio, ab eo omnimodò ſubleuandos curo. Res enim adeò perſpecta eſt: vt ſi Cypriano, ac poſt Cyprianum, Auguſtino dicere licuit. *Non habet Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.* Non ego Chriſtum illis caput eripio: ſed illi hac ipſa ratione ſe à Chriſto capite diuulſos oſtendunt, quòd veram Eccleſiam, quæ Domini voce ſuper Petrum fundata eſt (vt ait Cyprianus) Matrem non agnoſcunt.

Cypr. de vnit. Eccl. Aug. de Fide ad Cathecum. lib. 4. c. 13 Cypr. epiſto. 40.

Per-

Perpende (obſecro) num ij Chriſtum caput ſibi uendicare queant; qui ipſius diuinitatem crucifigunt? ſi enim Iudęi Chriſtum ob id inuiſibile ſuę ſynagogę caput non habent, quod eum impiè Cruci affixerint: Quid de Lutheranis ſentiendum erit; qui Chriſti diuinitatem atrociùs, quã Iudęi crucifigunt, ac perimunt? Hinc Ambroſius. *Deteſtandi* (inquit) *Iudæi, qui carnem Domini crucifixerunt: deteſtabiliores tamen eos arbitror, qui Diuinitatem Chriſti cruci ſubditam crediderunt.* Num eorum Chriſtus Eccleſię caput eſſe poteſt: qui cum Arrianis illum ſecundùm diuinam naturam Hominum mediatorem, Aduocatum, ac tandem Patre minorem eſſe docent? Cum Aſterianis à Patre ſecundùm Deum genitum eſſe negant? Cum Neſtorianis unicam illius perſonam diſcindunt? Cum Agnoitis, ac Gnoſticis ignorantem affirmant? Cum nouis Manichęis uera illum carne expoliant? Qui Patrem omnipotentia exuunt, ac ſcelerum omnium Auctorem conſtituunt? qui homines à Spiritus Sancti adoratione, atque inuocatione auocant? qui denique cum tota Trinitate bellum gerunt? Hęc Lutheranorum, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarum, Puritanorum, Proteſtantium, Zuuinglianorum, Sacramentariorum, aliorumq. ſectariorum, Eccleſia eſt, quę cũ Chriſtum Dei Filium indignè tractet, ac ſua perfidia expellat: perperàm illum ſibi caput inuiſibile uendicat.

Ambr. lib. 3. de fid. c. 3.

His accedat, quòd Chriſtus Apoſtolos, qui Paſtorum Eccleſię perſonam gerebant, apud Lucam alloquens, ait. *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* unde ualidiſsima aduerſus noſtræ tempeſtatis Religioniſtas ratio ducitur. Nam cum hi Petri primatum à Chriſto inſtitutum hoſtiliter oppugnent, & Romani Pontificis ſucceſſoriam poteſtatem, non tam ſpernant, quam grauiſsimis contumelijs afficiant, ut notum eſt: ea enim eſt Lutheranorum, & Caluiniſtarum uox, ſeu potiùs ululatus; Papam eſſe uerũ Antichriſtum, Babylonicam meretricem, Draconem uenenatum, Diaboli adminiſtrum, hominem peccati, filium

Luc. 10.

perdi-

perditionis: ſanè excuſari nullo modo poſſunt: quin eorũ crimen in Deum ipſum redundet, cuius poteſtatem toties probatam in eo effulgentem ſpernunt, maieſtatem blaſphemant, leges contemnunt: quò fit, vt eò magis ſe à Chriſto inuiſibili capite alienos oſtendant, quò crudeliùs in viſibile ipſius caput deſeuiunt. Cõfirmatur hæc ratio ex 2. Reg. 8. nam cum Iſraeliticus populus Samueli, quem Dominus iudicem populi conſtituerat, vlteriùs obtemperare renueret, & Regem ſibi poſtularet, Samuelem id ægrè ferentem Dominus his verbis affatus eſt. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Ex quo manifeſtum eſt, qui conſtitutos à Deo Præſules non agnoſcunt, aut contemnunt; apertè in Deum eſſe rebelles. Quapropter cum aduerſarij Romanum Pontificem, quem Petro in Eccleſiaſtica Monarchia ſucceſſiſſe nemo iure dubitare poteſt: indignis conuicijs, ac ſcommatibus à ſe abijciant; ijs certò perſuaſum eſſe debet, ſe non hominem, ſed Chriſtum, cuius Vicariam poteſtatem obtinet; abijcere: atque eo ſe indignos præſtare, qui Chriſto inuiſibili capite fruantur. 1. Reg. 8.

Poſtremò Chriſtum caput habere non poſſunt, qui inter Chriſti oues non habentur. Chriſti enim oues vocem eius audiunt, & ſequuntur eum: vt apud Ioannem legitur. At qui ſcripturas mutilant, & Chriſti Euangelium falſis interpretationibus corrumpunt: Qui nouam doctrinam prædicãt, præter eam, quæ ab initio tradita, & accepta fuit. Qui Eccleſiaſtica dogmata impugnant, Concilia paruipendũt, Patres conuitijs opprimunt, antiquitatem ſepeliunt; vt nouam, ac inauditam doctrinam obtrudant. Qui Sacramenta euertunt, Inferos tollunt, bona opera reijciunt, legis, ac Euangelij obſeruantiam fugant, Dei Matrem inhonorant, Sanctos cum Chriſto regnantes ſua gloria expoliant: pro Caſtitate libidinem, pro voto Apoſtaſiam, pro Iuramento periurium, pro Magiſtratuum obedientia contumaciam, pro pace arma, ac diſcordias diſſeminant: quis hos Chriſti vocem audire, aut inter Chriſti oues recenſeri ſibi perſuadeat? Ioan. 14.

Digitized by Google

proculdubiò primam à Deo originem, ac inſtitutionem ſibi vendicare debent, ne humanæ credantur: quo fit, vt ea duntaxat diuina inſtitutio cenſenda ſit, quæ à diuina auctoritate ſibi teſtimonium ſumit.

Alterum fundamentum eſt. Eccleſiaſticum ius, & poteſtatem, neque ex naturali iure, neque ex iure gentium, aut humano; ſed ex diuino tantum iure deſcendere. Quod inde potiſſimum tibi perſpectum ſit; quòd ius naturale ad ea tantummodò, quæ naturalia ſunt, & naturalem inter ſe ordinem habent, ſeſe extendit. Humanum verò in ea ſolum poteſtatem habet, quæ ex hominum conſtitutione fluunt. Porrò neutrum ad res diuinas iudicandas pertingit: quæ cum altioris, ac ſupernaturalis ordinis ſint, omniũ naturalium, ac humanarum legum vim, atque auctoritatẽ tranſcendũt. Neque enim ius naturale, aut humanum ad Fidei, aut Religionis iudicia vnquam peruenit; cum ea, quę Fidei, ac Religionis ſunt, non à natura, vel ab homine; ſed à Deo duntaxat ortum habeant: ac naturæ, & hominum vires in immenſum excellant. Nam qua ratione naturæ ius de Incarnationis myſterio, de Virginis Partu, de Vnitate Eſſentiæ, ac Trinitate diuinarum Perſonarum, ſi quæ in his controuerſia oriatur, iudicare poſſet; quæ omnem humanæ ac naturalis intelligentiæ modũ excedunt? aut quomodò ius gentium, & ciuile, quod ab hominibus ortũ eſt, de ijs, quæ Dei ſunt, ac diuina potiſſimum reuelatione pẽdent, iudicium ferre: aut ſecus, quàm quod Deus ipſe diſpoſuerit, decernere valeat?

Cum igitur Eccleſiaſtica poteſtas circa res ſacras, ac diuinas verſetur, quæ vel ex Dei reuelatione, vel ex diuina auctoritate manant: ſanè luce clarius tibi exploratum eſſe debet, eam non ab humano, aut naturali; ſed à diuino tantum iure eſſe profectam. Ex quo tandem illud conſentaneum elicias, nec eſſe eſt: quod ſuprema Eccleſiaſtica poteſtas nulli prorſus ineſſe credenda ſit, niſi cui diuina auctoritas ineſſe decreuerit.

His itaque certa veritate conſtitutis:nonnullis argumẽtis (Prudentiſſime Lector) tum ex ſacrarum literarum penetralibus hauſtis, tum ex veteris Eccleſiæ doctrina, ac varijs rationibus depromptis, rem tibi demonſtrare aggredior. Primum eſt; quod in nouo Teſtamento (quid enim de veteri ſentiendum ſit, poſteà explicabitur.) nulla Euangelicarum, aut Apoſtolicarum ſcripturarum, ſiue Traditionum auctoritas reperiatur, quæ Eccleſiaſticæ poteſtatis ſummam Regibus, aut Principibus ſecularibus ineſſe decreuerit: quo fit, vt nulli Regum aut Principum ſeculariũ eam ineſſe credendum ſit. Argumentum firmum, ac ſtabile eſt, ex ipſa iuris diuini natura depromptum: quæ ſanè id poſtulat, vt nihil diuino iure ſtatutum, aut ab eo pendẽs eſſe credatur; niſi quod diuina aliqua ſcripturarum, aut ſacrarum Traditionum, quæ vel per legitima Generalia concilia, vel per Eccleſiæ ſanctiones declarantur, auctoritate firmatum ſit.

Perlege igitur (Lector) omni ſtudio noui Teſtamẽti ſcripturas: ſcrutare ſolicitè Matthęi, Marci, Lucæ, ac Ioannis Euangelia: cęterorum quoque Apoſtolorũ ſcripta, & Apoſtolicas Traditiones omni diligentia intuere; vide, num aliquod ex his tibi teſtimonium, aut argumẽtum erumpat, quo hæc Regibus in Eccleſiam poteſtas à diuina auctoritate manare probetur. Non iniuſtè ad diuinam auctoritatem prouoco; qui enim ea, quæ ſacra, ac diuina ſunt, ſe iuſtè poſsidere contendunt: diuinum quoque teſtimonium proferant, neceſſe eſt; quo illa ipſa iuſtè poſsideant. At certè diuina omnia teſtimonia Regibus ſilent, neque vllũ prorſus illis in hac re ſuffragium ferunt: Quid igitur? num id ſacræ poteſtatis Regibus, aut Principibus, qui in ſecularium perſonarum ordine collocantur, diuino aliquo munere collatum eſſe, abſque diuina auctoritate, credendum erit?

An non iuſtè ab ijs quæri poteſt: quiſnam in res diuinas ius illis dederit? quis ſacram poteſtatem contulerit? quis Iu-

Iudices in cauſis Fidei,& Religionis conſtituerit? quis tandem illius Imperio Eccleſiaſtica omnia ſubiecerit? Nam cum Regum, ac Principum poteſtas ſuis terminis contenta ſit, ſi illius originem, ac amplitudinem inſpicias; quemadmodùm eam ex hominibus ortam, & iure gentium in orbe inuectam fuiſſe perſpicuum eſt: ita eam totam circa humana, ac temporalia pòtiſſimùm verſari ipſe Regiæ poteſtatis vſus, ac finis apertiſſimè declarant. Quorſum enim Regia poteſtas inſtituta fuit (teſte Apoſtolo) *niſi vt quietam, ac tranquillam vitam agamus?* Vides (Lector) vſum, ac finem ciuilis poteſtatis huius tantummodò vitę temporalia attingere. Quòd enim Reges ius adminiſtrent, quòd Magiſtratus inſtituant, quòd vitia legibus cohibeāt, quòd flagitioſos puniant, quòd malorum vindices exiſtant, quòd hoſtes debellent, atque alia Regis munera erga ſubiectos ſibi populos obeant; eò tantùm ſpectant, vt temporariam Regni pacem, ac tranquillitatem ſartam tectam ſeruent. Hìc Regia poteſtas ſuæ amplitudinis metas defixas habet. Hìc ſiſtit politicum terreni Regis Imperium: neque vltra diuinæ ſcripturarum leges quidquam Regibus tribuunt. Chryſoſt. audi de hac re ita diſſerentem: *Quamquam* (inquit) *admirandus videtur thronus Regius: tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec præter poteſtatem hanc, præterea quicquam habet auctoritatis*. Quod cum ita ſit, quo iure igitur, aut quo titulo Eccleſiaſticam in ſacra,vel ſacros homines iuriſdictionem ſibi arripere valent? Quæ cum à diuina auctoritate fluant, tanto Regia ipſa poteſtate maior eſt, quantò res diuinæ humanis longè antecellunt.

1. Tim. 2.

Chryſ. homil. 4. de verb. Iſa.

Perpende obſecro, ex vtriuſque ortu, ac inſtitutione; quo diſcrimine, & Eccleſiaſtica, & Regia poteſtas inter ſe diſtinctæ ſint; vt ex illarum comparatione addiſcas, quàm à diuina inſtitutione alienum ſit, ſacram hanc Regibus iuriſdictionem tribuere; quàmq. religioſè Reges Eccleſiaſticam poteſtatem, velut ſuperiorē in alijs ſuſpicere, atque ab illius vſurpatione animum compeſcere debeāt. Equidem

Digitized by Google

nulli dubium eſt; Regum, ac Principum in ſubiectos Imperium, primum ex iure gentium ortum habuiſſe;tũ à Deo, vt iuſtum, ac legitimum confirmatum fuiſſe; quod ex ipſa ſcripturarum ſerie (vt cętera argumenta prætercam) ſatis manifeſtum eſt. Neque enim, vel ante, vel poſt diluuium vlla vnquam in ſacris literis Regiæ poteſtatis mentio facta reperitur, vſque ad Samuelis tempora: cũ Iſraeliticus populus Regem à Samuele illis verbis poſtulauit: *Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes.* (1.Reg.8.) Ex quo ſanè exploratum eſt, eam priùs iure gentium apud cęteros orbis populos introductam, ac receptam fuiſſe, quàm in Hebræo populo à Deo confirmationem acceperit; aut vllam in ſcripturis inſtitutionem ſibi vendicauerit. Quin etiam Chriſtus ipſe apud Lucam idipſum videtur annuere: nempè Regni ius à gentibus ad Dei populum translatum fuiſſe, cum ait: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem exercent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic.* (Luc.22.) Atque hinc perſpicuum fit, illud neque immediatè à Deo effluxiſſe, neque ex naturali iure ortum habuiſſe; cum tot ſecula, quę diluuium præceſſerũt, illud non agnouerint. Adde, quòd ſi aliquo, vel diuino, vel naturali iure illud inter homines ſancitum eſſet; id nulla poſſet hominum lege, aut conſuetudine mutari. Cum tamen pleraq. Regna in Rempublicam verſa, multos etiam Reges à Regni ſede depoſitos, & quàm plurima imperia in orbe extincta, ac ſolo hominum arbitrio mutata eſſe conſtet: ac demum vniuerſa orbis Regna in Democratiam, vel Ariſtocratiam ſolo populorum conſenſu mutari poſſe, exploratum ſit.

At verò Eccleſiaſtica poteſtas, ante omnem temporalis Regni ſedem, à Deo immediatè in orbe inſtituta fuit: Primùm quidem in Priſcis illis priorum ſeculorum Patriarchis, qui ab Adã, vſque ad Moyſem ſacerdotio functi ſunt: tum verò in Hebræo populo; cum lege à Deo lata Aaron in Pontificem conſecratus fuit, & Eccleſiaſticarum rerum ſumma illi diuinitus collata; vt ea in poſteriores Pontifices

illius

Digitized by Google

illius ſucceſſores vſque ad Chriſtum transfunderetur. At quanquam prioribus hiſce ſeculis, quę Chriſtum præceſſerunt, Eccleſiaſticus Principatus, præſertim in Hebręo populo, illuſtris eſſet; illuſtriorem tamen à Chriſto inſtitutionem accepit; cũ primus noui Teſtamenti Pontifex, non modò diuinam Pontificatus inſtitutionem, quæ in prioribus orbis temporibus anteierat, ipſo vſu comprobauit: verùm, & noua poteſtatis erectione antiquum Pontificatum auxit; ac diuina auctoritate roboratum in Petrum, quem ſibi in Eccleſiaſtico Principatu Vicarium elegit, ac in cæteros Petri ſucceſſores perpetuò transfundendum tranſtulit.

Quę cum ita ſint (Lector) quęſo candidis oculis intuere, quàm longè Eccleſiaſtica poteſtas Regiam antecellat. Illa enim cum à diuina auctoritate profecta fuerit: & origine prior, & inſtitutione nobilior, ac prętantior euincitur. Hæc ex iure gentium, & hominum conſenſu progenita, tantò illa, & genere inferior, & inſtitutione ignobilior eſt, quantò humana à diuinis, & hominum inſtituta à Dei legibus diſtant. Illa homines ad ſuperna pręmia capeſſenda ſuapte natura, ac inſtitutione diſponit; dum media, tum ad fidem, tum ad Iuſtificationem parat; dũ pios, temperatos, ac diuinis legibus obſequentes eſſe iubet: & ea tandem in hominibus vitia cohibet, quę ciuilis Regum poteſtas impunè tolerat, ac diſſimulat. Hęc temporalem tantummodò Regni pacem, ac ciuium concordiam politica ſua adminiſtratione proſequitur. Denique inter Regium, & Eccleſiaſticum Principatum id diſcriminis intercedit; quod ille velut corpus, hic tanquam ſpiritus integrum, ac perfectum Chriſtianę Reipublicę Imperium conſtituunt. Ille enim, quę ad corpus ſpectant, potiſsimùm curat; vtpotè cuius finis tantum ſit temporariam ciuium tranquillitatem modis omnibus tueri. Hic vero ad animarum ſalutem tendit, ac potiora bona, quę apud Deum repoſita ſunt, ſibi tanquam finem propoſita habet. Hinc facilè

Digitized by Google

cilè tibi licet colligere; quòd ſicut anima corpori præſtat; ſic fieri neceſſe ſit, vt Politicum Principatum, qui Chriſtianæ Reipublicæ quoddam velut corpus eſt, Eccleſiaſtica poteſtas, velut anima, antecellat. En Gregorium Nazianzenum Reges, ac terrenos Principes opportunè his verbis docentem: *Quid autem vos Principes, & Præfecti? ad vos enim iam noſtra ſe conuertit oratio &c. An me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque lex Chriſti imperio meo, ac throno ſubijcit: imperium enim nos quoque gerimus: addo etiam præſtantiùs, & perfectiùs: niſi verò æquum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere.*

Greg. Naz. orat. 17. ad ciues Naz. & Præfect. Iſrael.

Quid (Lector) an non ipſe naturæ ordo poſtulat; vt corporis operationes animæ potiùs ſubijci, quam præeſſe debeant? & quamuis anima corporis actiones non impediat; ſpiritus tamen functiones in hominis imperio principem locum teneant, neceſſe eſt: ne naturæ ordo perturbetur: Ita planè fieri æquum eſt, vt vtraque, & Eccleſiaſtica, & Regia poteſtas hunc inter ſe ordinem habeant: vt in hoc Chriſtianæ Reipub. corpore, Eccleſiaſtica, tanquam ſpiritus, præſideat; atque ita Regiam poteſtatem, velut præſtantior, ac diuinior, antecedat; vt tamen proprias illius functiones non impediat; aut illius actibus ſeſe immiſceat; niſi interdum à recta ratione exorbitent; ſed iiſdem ad proprij finis conſequutionem adminiculetur. Regia verò poteſtas, velut caro ſpiritui, Eccleſiaſticæ poteſtati ita ſubiectam ſe exhibeat; vt ab ea in his, quæ ad Deum, ac ſpiritualem Regni ſtatum ſpectant, quid agendum, quidue ſequẽdum ſit, expectet; eamq. ſibi in ordine ad Diuina ſuperiorem agnoſcat.

Quid obſecro? an non ipſa Dei lex, ac ratio prohibent, vt caro animæ dominetur? an non rerum ordo inuerteretur, ſi filius in Patrem ſententiam ferret? Pater à filio diſciplinam ſuſciperet? ſi diſcipulus doceret; Doctor addiſceret? Si non oues à Paſtore, ſed Paſtor ab ouibus paſceretur? Si membra caput ſibi ſubijcerent; caput à membris

pen-

penderet? Ita totius Chriſtianæ Reipublicæ ordinem inuerti neceſſe eſt, ſi Regia poteſtas imperet, Eccleſiaſtica pareat.

Quapropter Reges ſapienter agnoſcant, ſe Eccleſiæ filios eſſe, non Patres; fidei diſcipulos, non Doctores; oues, non Paſtores; membra tandem, quæ Eccleſiaſtico capiti decet eſſe ſubiecta, non capitis prælationem præſeferre: ac demum ſe in laicorum ordine collocari non ignorent: quos propterea ſacris Eccleſiæ miniſtris non præferri, ſed ſubijci oportet. Nam vt egregiè docet Chryſoſtomus; *Alij ſunt termini Regni, alij termini Sacerdotij: hoc Regnum illo maius eſt: neque enim ex his, quæ videntur hic, declaratur Rex, neque ex gemmis illi affixis, neque ex auro, quo amictus eſt, debet æſtimari Rex. Ille quidem ea, quæ ſunt in terris ſortitus erat adminiſtranda. Cæterum Sacerdotij ius ex ſupernis deſcendit: Quæcumque enim ligaueritis ſuper terram erunt ligata, & in Cælo. Regi ea, quæ hic ſunt, commiſſa ſunt; mihi cæleſtia.* Tum paucis interiectis. *Regi corpora commiſſa ſunt, Sacerdoti animæ; Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum; Ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia; Ille bellum gerit cum Barbaris, mihi bellum eſt aduerſus dæmones. Maior hic principatus; propterea Rex caput ſubmittit manui Sacerdotis.* Chryſoſ. & verb. Iſa. hom. 4.

Ex his facilè eorum obiecta diluuntur, qui Regiam, & Sacerdotalem dignitatem ipſo naturæ iure coniunctas eſſe contendunt; eo quòd ante legem Chriſti, & Moyſis; cum ius tantum naturale ſeruaretur; ijdem in populo Dei eſſet Reges, & Sacerdotes; nec Sacerdotium à Regno diſtingueretur: vt palàm eſt de Melchiſedech, Abraham, & reliquis Patriarcharum primogenitis, qui ſimul Sacerdotium cum Regno aſſequabantur: ex quo tandem inferunt, Regnum ipſo iure naturæ cum Sacerdotio coniunctum eſſe: cum verò naturæ ius integrum maneat in lege gratiæ (neque enim gratia tollit naturam: aut Chriſti lex data eſt ad ipſa naturæ iura deſtruenda; ſed potiùs perficienda) hoc quo-

quoque naturæ ius Chriſti lege ſublatum non fuiſſe. At verò id illis ante omnia probandum incumberet: tàm ius Regni, quàm Sacerdotij in antiquos illos Patriarchas ex ipſo iure naturæ effluxiſſe: quod hactenus negauimus. Nā, quòd illud tēpus legis naturæ diceretur; id neque ius gentium, neque ius diuinum, traditione à maioribus acceptū expellit: quæ tunc obſeruata fuiſſe perſpicuum eſt: cum iam eo tempore, & Regni iura, quæ tot ſeculis ante diluuium ſiluerant, populis ad Regum electionem coeuntibus in orbe excitari cœperint: & Dei populus legalium Sacramentorum, quæ non niſi à Deo reuelante emanare poterant, Religionem edoctus; cum his diuinam quoque ſacri Sacerdotij inſtitutionem coleret: quo fit, vt illa naturæ lex, præter ius diuinum ſcriptum, quod minimè toto eo tempore habebatur, nullum aliud excluderet.

At quis vnquam, vel Regni imperium, vel Sacerdotium de iure naturæ eſſe ſenſit? Nam quòd ad ius Regium ſpectat, præter ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt; ſi illud ſimul cum natura inditum eſſet; cum id, quod naturale eſt, omnibus inſit; an non omnes Reges naſcerentur? vel ſi id non omnibus inditum, ſed naturæ tantummodò conſentaneum eſſe ſentiant; planè ius gentium, ac populorum conſenſus expectanda ſunt, vt quæ vel communi naturæ lege dictantur, vel naturæ conſentanea ſunt, hominum conſenſu, atque electione fiant: ita fit, vt in Regibus conſtituendis populi electio, vel ſaltem conſenſio expectari debeat. Porrò illud eſt, quod nos ius gentium appellamus: cum enim natura nulli ſingillatim Regnum addixerit, quis non videat ad Regis cōſtitutionem populi ſuffragium neceſſariū eſſe?

Idem quoque de Sacerdotio dicēdum eſt: quod ſi à natura cuique inditum putent; omnes etiam Sacerdotes naſci, & vnicuique Sacerdotalem poteſtatem à natura ineſſe, illis exiſtimandum erit. At ſi omnes Sacerdotes naſcuntur, quiſnam populus erit Sacerdoti ſubiectus? Quòd ſi illud à natura duntaxat, velut conſentaneum hominum generi

neri perſuadere exiſtiment; vt ſcilicet Deus Optimus Max. Sacerdotali officio ab aliquo hominum genere in orbe colatur: id certè non abnuimus: ſed ad id peragendum vtrunque & diuinum, & humanum Eccleſiaſticum ius neceſſariò exigi credimus. Diuinum quidem, quo Sacerdotalis dignitas à Deo inſtituatur, ac diuino cultui modus præſcribatur: humanum verò Eccleſiaſticum, quo vel Sacerdotes ab Eccleſia vocentur, & ordinentur; vel qui orbis Chriſtiani Pontifex eſſe debet, à Clero eligatur.

Hinc ſanè conſtat nullo prorſus naturæ iure apud homines receptum eſſe; vt ſummum Sacerdotium ſimul cum Regno coniunctum ſit: cum enim nec Regnum, nec Sacerdotium immediatè à natura fluant, quomodò immediatè à natura ſimul copulata eſſe creduntur? Quapropter ſi apud Patriarchas, qui poſt diluuium Moyſem præceſſerũt: vel etiam poſt Moyſem vſque ad Samuelem, ſumma Eccleſiaſtica poteſtas cum Regno coniuncta fuit; id non ex vllo naturæ iure; ſed vel ex antiqua Patrum voluntate, ac conſtitutione; vel quod potiùs credendum eſt, ex diuina inſtitutione profectum eſse credimus: quę cum vſque ad Samuelis tempora integra in Hebræo populo ſeruata fuerit, populo exinde Regem poſtulante, Deo ipſo annuente, antiquata fuit; & duplex hęc Regni, & Sacerdotij poteſtas, quæ priùs penes Pontificem integra manebat, diſpertita fuit. Regia quidem ad terrenum, ac laicum Regem, populo Regem poſtulante, ac proinde de iure gentium, tranſlata eſt. Sacerdotalis verò apud Pontificem manſit; atque adeò hæc vtriuſque poteſtatis diſcretio diuina lege ſtabilita fuit; vt Regibus deinceps, ſacris ſeſe muneribus immiſcere, interdictum fuerit; quod Oziæ Regis exemplo Deus comprobare voluit, qui cum diuinis ſe miniſterijs intrudere, ac Pontificale munus in adolendo incenſo temerè ſibi vſurpare auſus eſſet: primùm quidem à Pontifice illis verbis increpatus fuit. *Non eſt tui officij, Ozia, adolere incenſum Domino: ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui* 2. Paralip. c.26.

V *con-*

conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium: egredere de Sanctuario. At cum ille in inſania perſiſteret, ſtatim lepra à Deo percuſſus, diuinam in ſe, ob rei temeritatem, vltionem eſt expertus. *Statim* (inquit ſcriptura) *orta eſt lepra in fronte eius, & Sacerdotes feſtinatò expulerunt eum.* Id verò præclariſſimè Chriſtus in nouo Teſtamento confirmatum voluit; cum non Reges, aut Cæſares, ſed Petrum, Eccleſiaſticum virum ad Eccleſiæ gubernacula vocauit.

Cęterum, ſi quæ alia ſunt, quę aduerſus hoc argumentum ex ſcripturis obijciant, veluti locum illum Apoſtoli:
Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; & alterũ
1. Pet. 2. Petri: *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſsis.* Ea nullum negotium faceſsunt. Quis enim negat Regibus, ac Ducibus parendum eſse; cum ea imperãt, quę recta, & honeſta ſunt; quęque temporalis ſuę iuriſdictionis metas non excedunt? At cum ſpiritualem poteſtatem ſibi arrogant, quę Regibus minimè conceſsa eſt, profectò nec recta, nec legitima iubere euincuntur.

Verùm, quid illud Pauli teſtimonium vrgent; cum potiùs aduerſus illos pugnet? Nam cum Paulus dicat, omnẽ animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe oportere; an non Reges etiam ad obedientiam prouocat; ſi quæ Regia poteſtate ſublimior inueniatur? Id planè: ſed cum exploratum ſit, Eccleſiaſticam poteſtatem Regia ſublimiorem, ac præſtantiorem eſſe, vt probatum fuit: certè negare non poſſunt, eos illi ſubiectos eſſe debere.

Alterum huius rei argumentum eſt: quòd in nouo Teſtamento Pontificia poteſtas ex Chriſti inſtitutione ijs collata eſt, qui Regia poteſtate præditi non erãt, vt apertè ex ſcripturis conſtat: quandoquidem ea Petro commiſſa fuit,
Ioan. 21. illis verbis: *Simon Ioannis diligis me plus his; Paſce oues meas:* Qui neque Rex, neque Regia poteſtate ornatus erat. Ex quo id conſentaneum ducimus, quòd cum Eccleſiaſtica poteſtas, non ad Reges, ſed ad ſacras perſonas à Chriſto

tran-

tranſlata fuerit, atque in ijs inſtituta: hæc inſtitutio perpetuò in Eccleſia ſeruari debeat: ac proinde Regibus ab Eccleſiaſtica poteſtate ex Chriſti inſtitutione abſtinendum ſit.

Dicant, qui Eccleſiaſticum ius in Reges transferunt; num Rex Petrus eſſet, vt in omnes Reges terræ Eccleſiæ præfectura transfunderetur? Num Regũ quempiam Chriſtus accerſiuit, cui Pontificale munus committeret? Abſit. Petro tantùm dictum fuit: *Paſce oues meas;* Apoſtolus erat Petrus, vir Eccleſiaſticus, Sacerdos, ac Deo ſacer. Huic, non terreno Regi Regni Eccleſiaſtici clauis tradita fuit. Id igitur nobis concedant Reges; non Regem, ſed Apoſtolum, & Eccleſiaſticum hominem à Chriſto ad ſupremam Eccleſiæ adminiſtrationem vocatum fuiſſe: quò planè addiſcant, eos non ad Eccleſiaſticam, ſed ad politicam tantummodò Regni poteſtatem vocari.

Olim Dominus cum Eccleſiaſticæ iuriſdictionis exercendæ modum Apoſtolos doceret illis verbis: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem exercent in eos, benefici vocantur: vos autem non ſic; ſed qui maior eſt inter vos, fiat ſicut minor; & qui præceſſor, ſicut miniſtrator:* Luc. 22. Eccleſiaſticum ius, ac poteſtatem apertè à Regali diſcreuit, quam non ſuperba dominatione (vt apud terrenos Reges fieri ſolet) ſed Chriſtiana humilitate vult adminiſtrari. Quis ergo Eccleſiaſticam poteſtatem laicis Regibus à Deo collatam eſſe, vnquam ſibi perſuadeat? Hùc quæſo animum confer (Lector) Si cum eam Dñs Apoſtolis, quos ſacros Orbis Principes decernebat, regiminis formam præſcripſerit, quæ à laica terrenorũ Regum adminiſtratione ſeiuncta eſset; cui dubium eſse poteſt, quin & ipſam Eccleſiaſticam poteſtatem à Regia diſtinctam inſtituerit; cui non Reges, ſed Apoſtolorum ſucceſsores præeſſe debeant?

Id ex Apoſtolo tibi confirmare lubet: qui cum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinem deſcriberet, ita inquit: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecun-* 1. Cor. 12.

dò Prophetas, tertiò Paſtores &c. Quid eſt (Lector) vt optimè notat Damaſcenus, quòd cum Apoſtolus Eccleſiaſticos gradus declarandos ſuſceperit; Reges non in ſupremo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ apice, aut medio, aut infimo collocat; vt ſummum, vel aliquem ſaltem in Eccleſiæ adminiſtratione locum habeant; ſed nec inter Eccleſiaſticos ordines annumerat? At primo loco Apoſtolos ſtatuit; in quibus ipſum Apoſtolorum Principem, tanquam totius Hierarchiæ caput includit. An non eo apertè declarat; Regibus, ac ſeculi Principibus nullam prorſus in Eccleſiæ gubernatione ſedem eſſe relictam? ſed eos tantummodò, qui Eccleſiaſtica vocatione Apoſtolis, ſiue Apoſtolorum Principi ſuccedunt, inter legitimos Eccleſiæ Rectores cenſeri.

Io. Dama. ſc. orat. 3. pro Imag.

At quid plura teſtimonia vrgeo? lis agitatur (Lector) an ſpirituale Eccleſiæ regnum Regibus debeatur? Plane Iudice opus eſt, qui litem dirimat, ne inter perpetuas diſceptationes veritas obſcura deliteſcat. Quis nobis huius controuerſiæ Iudex erit? Nō alius ſanè præterquàm Chriſtus ipſe; qui cum Eccleſiaſtico Principatu functus fuerit, rerumq. omnium ſummam ita penes ſe repoſitam habuerit; vt & Regię poteſtati Eccleſiaſticam copulare, vel ab ea diuellere ſua auctoritate poſſet, ab eo proculdubio quæſtionis huius ſolutio expectanda eſt: & quid tum facto, tū dicto in hac re ſequendum pręſcripſerit, explorandum.

Primùm igitur ad Chriſti factum prouoco, ac percōtor: Num Chriſtus qui primus Chriſtianę Eccleſię Pontifex fuit, politicam Regum poteſtatem exercuerit; aut vna cū Eccleſiaſtica poteſtate terrenum Regnum adminiſtrauerit? Id nemo vnquam ſentiet: quin potius, vt ſe à terrena Regni poteſtate abhorrere indicaret, cum turbas panum, ac piſcium multiplicationis miraculo obſtupefactas, venturas pręnoſceret: vt raperent, & facerent eum Regem, in montem fugit. An humilis ortus, vita deſpecta, tot inſidijs impetita, tantis laboribus ſubiecta, ac tandem omnium

Ioan. 5.

nium

nium rerum indigua, obſcura denique mors, terrenum Regem prędicant; aut temporali apud homines Regno potitum oſtendunt? tametſi ea excellentię poteſtate præſtaret, qua totum orbem etiam temporaliter ſibi ſubijcere potuiſset. Id itaque fixum, ac indubitatum ſit (Lector) Chriſtum Dominum, dum inter nos mortalis verſaretur, nullam non modò temporalis Regni adminiſtrationem exercuiſse; ſed ab ea, quam exercere poterat, cōſultò abſtinuiſse. Vnde igitur Regibus ius illud erumpit, quo ſe in Eccleſiaſticam poteſtatem intrudant; aut illam ſibi coniunctam eſse contendant? Si Chriſtus Regnum à Pontificatu expulit; non ea quidem ratione, quòd Regnum ſimul cum Pontificatu eſse non poſsit, atque à Pontifice adminiſtrari, ſi illud Pontificatui accedat. (Neque enim vllo, aut diuino, aut humano iure cautū eſt; ne ipſum quoque temporale Regnum à ſacris hominibus adminiſtretur, qui maius, quod ſpirituale eſt, regendum ſuſceperūt, iuxta Apoſtoli ſententiam dicentis. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus; magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus.*) 1. Cor. 9.
Sed ea potiſsimùm; vt homines agnoſcerent, turpe eſse, ac diuino iure prohibitum, vt Regia poteſtas à ſacro Pontificatu diuulſa, atque in laico Rege conſtituta ad ſpirituale Eccleſiæ Regnum adſpiret: & qui nulla Eccleſiaſtica poteſtate freti inter laicos annumerantur, ſacris ſeſe rebus adminiſtrandis immiſceant. Quo iure igitur, aut qua ratione Reges Pontificatum ſibi copulare valent?

Verùm id quoque ex Chriſti verbis demonſtremus. Recole (Lector) quid Pilato ſiſcitanti à Chriſto Domino: *Tu es Rex Iudæorum?* Chriſtus reſponderit: Id primū quidem apertè negauit. At ne omni eum Regno, præſertim Eccleſiaſtico, carere, quis ſuſpicaretur, reſpondit: *Regnum meum non eſt de hoc Mundo: ſi ex hoc Mundo eſset Regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent*; Peto (Lector) vt horum verborum vim, ac ſenſum diligenter expendas. Nemo eſt, qui ignoret totam Eccleſiaſticæ poteſtatis pleni- Ioan. 18.

tu-

tudinem in Chriſto repoſitam fuiſſe; ac proinde Eccleſiæ Regnum illi ſubiectum fuiſſe. Quænam igitur cauſa eſt, quod Chriſtus Regnum ſuũ de hoc mundo eſſe tàm apertè negat? Non alia ſanè, quàm quòd ſacrum, ac ſpirituale Regnum à mundano diſcernit: atque illo quidem ſe potiri indicat: hoc verò ſe abieciſſe affirmat. Non omnem Chriſtus Regni poteſtatem à ſe fugat: ſed eam tantummodò, quę de mũdo eſt: qualem ſcilicet mundani Reges exercere ſolent. Nam ſi omne dominij ius à ſe repuliſſet, fruſtrà Apoſtolis dixiſſet: *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine: & bene dicitis. Sum etenim.* Et Pilato interroganti. *Ergo Rex es tu?* reſpondiſſet, *Tu dicis, quia Rex ſum ego.* Illam igitur Regni formam Chriſtus ſibi vendicare noluit, quæ militum copijs ſtipatur, quæ miniſtrorum caterua premitur, quę opibus, ac rerum omnium temporalium abundãtia exuberat, quę tandem Regium Imperium, ac Maieſtatem oſtentat; qualis in mundanis Regibus apparet. At quorſum iſtud? Niſi vt mundani Reges, Chriſto ipſo Iudice, addiſcant, ſe à ſpiritualis Chriſti Regni poſſeſsione repelli, ac temporale illorum Regnum ab Eccleſiaſtico eſſe diſiunctum.

Ioan. 13.

Quapropter, qui Eccleſiaſticum Regnum mundanis Regibus tribuunt, tanquam illis à Deo immediatè collatum: oſtendant, quo iure Reges ipſi Chriſto ſuccedant; qui mundanum, ac temporale Regnum neque re, neque titulo vnquam exercere voluit. Proferant, ſi quod habent ex ſcripturis argumentum, quo hoc illis in Eccleſiaſticum Principatum ius collatum eſſe probent; cum vni tantum Petro dictum audiant: *Simon Petre diligis me plus his: Paſce oues meas.* Quod ſi Chriſtiani Reges Chriſto, ac diuinis inſtitutionibus parere æquum arbitrantur; cupiditatem ab Eccleſiaſtica iuriſdictione compeſcant; ne Chriſti Regni inuaſores potiùs, quàm Defenſores eſſe videantur.

Ad tertium argumentum venio; quod ex veteris Eccleſiæ doctrina, & conſenſu compactum, præclarè hoc ipſum de-

demonſtrat. Si omnium veterum Patrum (Prudentiſſime Lector) qui vel primis quinque ſeculis in orbe floruerunt; vel poſt illa de Eccleſia ſcripſerunt, monumēta perluſtres; ex his neminem prorſus reperies, qui Eccleſiaſticum Principatum terrenorum Regum ditioni, vel ſubiecerit, vel aliquo iuris titulo illi debitum coniunxerit: Plurimos autem inuenies, qui mundanos Principes ab iniuſta illius vſurpatione deterreant.

In his primus eſt Athanaſius, qui Conſtantium Imperatorem Arrianum, non nihil ſibi Eccleſiaſticæ poteſtatis vſurpantem his verbis inuehitur: *Quando à condito æuo auditum eſt? quādo iudicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam pro iudice agnitum eſt? Plurimæ ante hac Synodi fuere: multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt: ſed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit.* Athan. ep. ad olit. vit agentes. Obſerua (Lector) Sanctiſſimi Patris argumentum, quod à tota antiquitate, & Conciliorum auctoritate, necnon ab Eccleſiæ vſu hauſtum, quid de hac re vetus Eccleſia ſenſerit, apertè demonſtrat. Vides, laico Principi nullo vnquā tempore licuiſse, ſemet in rebus Eccleſiaſticis iudicandis obtrudere.

At poſteriora, quę paulo longiùs hæc ſequuntur, ipſius verba pertimeſce; quibus Conſtantium ob vſurpatam in Epiſcopos auctoritatem cum Antichriſto comparat. *Quis enim* (inquit) *videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt.* Quod ſi Athanaſio hæc de Conſtantio dicere licuit; qui vix aliquā Eccleſiaſticę poteſtatis partē ſibi vſurpabat: caueāt, qui ſe in omnibus Eccleſiaſticis cauſis iudices prædicant, ac totius Eccleſiaſticę poteſtatis ius in ſeipſos transferunt: ne grauiora alij de ipſis dicāt: Nos enim meliora de ipſis ſperamus, & prędicamus.

Cæterum, qua Conſtantia, quauè dicendi libertate Hoſius

Hoſius ille, egregius Catholicæ Fidei propugnator, eundem Conſtantium adorſus fuerit, ex ſuis verbis accipe: *Deſine, quæſo,* (inquit) *& memineris te mortalem eſſe; reformida diem iudicij; ſerua te in illam diem purum; ne te miſceas Eccleſiaſticis; neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce: Tibi Deus imperium commiſit, nobis, quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodùm, qui tuum Imperium occultis conatibus inuadit, contradicit ordinationi diuinæ: ita, & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, Quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo. neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere: neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatē habes, Imperator.* Vtinam (Lector) hęc Hoſij verba altè ſibi animo inſculpant, qui ſupremam in Eccleſia auctoritatem ſibi arripere geſtiunt. Hæreticus Conſtantius fuit, Arrianę hæreſis propugnator, qui præter morem maiorum primus id ſibi ius in Eccleſia vſurpare auſus fuit: cuius cupiditati tota illa Sanctorum Patrum antiquitas conſtantiſſimè obſtitit: vt inde tibi perpectum ſit, hanc iniuſtæ poteſtatis vſurpationem bonam ſobolem eſſe non poſſe, quæ ex tam malo, atque hæretico Patre orta Regiam potius maieſtatem labefactat, & vermis inſtar corrodit, quàm noua poteſtatis acceſsione augeat. Nam quò pacto diù, aut tutò ſe regnare poſſe putant; qui ijs, quæ Cæſaris ſunt, non contenti, quæ Dei ſunt, ſibi rapere conantur? aut quomodò Dei iudicium non reformidant, qui cum terrenum tantum Imperium à Deo ſortiti fuerint, ſacrum Chriſti Regnum, perinde ac ſi hoſtes eſſent, inuadunt, atque eo ſcelere ſe contaminant, quo terreno ipſo Regno à Deo iuſtè ſpoliari mereantur? Deſinant igitur, hortatore Hoſio, diuinam in ſe iram prouocare: meminerint Deum eſſe, per quem Reges regnant, & per quem Principes imperant, & ſciant, teſte Daniele; *Quoniam dominatur excelſus ſuper Regnum hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud:* puroſq. ſe, & incontaminatos in diem Iudicij ſeruent.

Hoſ. Epiſ. ad Cōſtan. apud Athanaſ.

Prou. 8.

Dan. 4.

Ve-

Verùm poſt hos quoque Ambroſium audi; qui diuina hac veritate fretus,nõ minori animi fortitudine pro ea aduerſus Valentinianum Imperatorem, Arrianis hęreticis fauentem,dimicat his verbis: *Noli*(inquit) *te grauare Imperator, vt putes te iñ ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere; ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt, Quæ Dei, Deo; quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi męnium ius conceſſum eſt, non ſacrorum.* Ambr. epi. 14. ad Marcel. ſoror.

Vides (Lector) quàm ſtrenuè, ac Religioſè Sãcti illi veteris Eccleſię Patres pro hac fidei Regula à nobis propoſita decertauerint. Plures Patres, plura quoque Concilia, ac Sanctorum Pontificum decreta referrem, quæ omnem tum à Regibus, tum à laicis Eccleſiaſticam poteſtatem auellunt; ſed cum in eo tota Patrum, Conciliorum, Pontificum, ac demum totius Eccleſiæ auctoritas hactenus ſemper conſpirauerit: hoc vnum tibi (Lector) tantùm dixiſſe ſufficiat: ab ipſo Chriſtianæ Eccleſiæ ortu, ad hæc vſque tempora, ita in Eccleſia creditum, receptum, vſu obſeruatum, legibus ſancitum,fide ſtabilitum fuiſſe: & hac fide Eccleſiam imbutam, pro ea perſequutiones, gladios, martyria non exhorruiſſe. Teſtis eſt Anglia, quæ Sancti Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi ſanguinem pro Eccleſiæ immunitate profuſum vidit. Teſtis Conſtantinopolis, quę Ioannem Chryſoſtomum pro Eccleſia vſque ad exilia decertantem aſpexit. Teſtis denique totus orbis, qui tot Pontifices, ac Epiſcopos ſub Conſtantio, Valente, Valentiniano, ac cæteris Imperatoribus hæreticorum fautoribus, vſque ad ſanguinem pro Eccleſiaſtica poteſtate pugnantes intuitus eſt.

Sed quoniam te Regum exempla fortè magis oblectabunt; Antiquam Anglicorum Regum (vt cæteros prætercam) pietatem, atque erga Eccleſiam Catholicam obedientiam ad mentem reuoca. Reuolue, qua animi reuerentia, quauè Religione Lucius, qui primus inter Anglos Reges ſub Eleutherio Chriſto nomina dedit: & poſt eum

tot Sancti Reges, qui inter cælites relati Anglicanam, & vniuerſalem Eccleſiam ſua vitæ ſanctimonia illuſtrarunt; Eduardi, Ethelberti, Inæ, Eteluolphi, atque alij quamplurimi Pontificiam auctoritatem ſuſpexerint, coluerint, auxerint; ac tandem, quod ſingulare pietatis argumentum fuit, eo cultu proſequuti fuerint; vt communi aliorũ Chriſtianorum Regum ſubiectione non contenti, Regnum B. Petro ſubiecerint, ac vſque ad Henricum VIII. tributariũ effecerint. Quid hac Regum pietate excellentius? quid religioſius, aut excogitari, aut experti vnquam potuit? Qui igitur Regiam maieſtatem adeò ſub Eccleſiaſtica inclinarunt, vt ei etiam annuum vectigal perſoluerent: num ſpiritualem ei poteſtatem denegarunt?

Quid plura? Henricus VIII., à quo primùm hoc in Eccleſiaſticum Principatum ſchiſma concitatum fuit: quamdiù Catholicam Fidem coluit, an non acerrimus Eccleſiaſticæ poteſtatis aduerſus Lutherum propugnator fuit? vt ex ſuo Aſſertionum libro licet colligere, cuius teſtimoniũ ſuo loco opportunè proferemus: vt hinc facilè agnoſcas; quidquid deinceps ab eo aduerſus traditam, ac teſtatam veritatem actum eſt, non ex errore, vel ignorantia, ſed vel ex odio, vel dominandi cupiditate profectum fuiſſe: vt ex Hiſtoriarum ſerie cunctis perſpectum eſſe poteſt.

His tandem ipſa ratio accedat, ab intimo rei ſinu decerpta. Equidem (Lector) pro ſingulari animi tui prudentia, ac eruditione non ignoras; nemini vnquam licuiſſe, rem abſque iuſto titulo poſſidere: quòd ſi Reges Eccleſiaſticum Principatum ſe iuſtè poſsidere credunt: iuſtum profectò aliquem titulum exerere debent, quo illum ſibi acquiſitum demonſtrent. At quinam iuſtus ille titulus erit? Non iuris diuini, quãdoquidem Chriſtus Reges à ſpirituali Eccleſiæ Regno ſua inſtitutione expulit; & illud ſacris tantum hominibus contulit: non iuris naturalis; cum ius naturale ad rerum diuinarum, quæ ipſum genere, ac præſtantia antecellunt, adminiſtrationem non pertingat: non humani tandem; quia hominum leges rerum tantum humanarum,

non

non diuinarum, quæ ſuperioris ſunt, poſſeſſionem attingunt. Cum igitur nullo iuſto titulo rem Eccleſiaſticam poſſideant, ab eius ſanè poſſeſſione abſtinere debent.

Præterea ex his, quæ ſupra diſſeruimus, facilè addiſcere potuiſti; Regum poteſtatem non alio, quàm iure gentium in orbe inſtitutam eſſe: cum ea neque ex naturali, neque ex diuino iure immediatè effluxerit. Neque enim iure naturali alter alteri ſubijcitur, niſi filius Patri; atque inde ex omnium conſenſu ſeruitus à iure gentium ortum habet: At neque diuino iure Regna inſtituta ſunt; cum Regũ poteſtas multo ante in orbe iure gentium introducta fuerit, quàm in Dei populo Rex inſtitueretur. At tunc demum, cum in Hebræo populo inſtituta fuit: ea non ex prima Dei inſtitutione, ſed ex populi conſenſu Regem poſtulantis, ac proinde ab humano iure, Deo annuente, profluxit. Cum igitur, quæ iure humano conſtituta ſunt, nullam in ea, quæ prorſus à diuino iure manant, qualis eſt Eccleſiaſtica poteſtas, auctoritatem ſibi vendicare valeãt; quin potiùs ex ipſo rerum ordine ijs ſubiecta eſſe debeant: Cõſtat ſanè Regum poteſtatem, quæ humana eſt, nullum in Eccleſiaſticum Regnum, quod diuinum eſt, atque à Deo inſtitutum, ius habere.

Ad hæc cum exploratum ſit, Eccleſiaſticam poteſtatem duplici parte conſtare; ordinis nimirum, ac iuriſdictionis poteſtate: Quis mundanum Regem in Eccleſia Pontificalia munera obeuntem, Sacerdotes ordinantem, Baptiſmum conferentem, Baſilicas conſecrantem, Chriſma conficientem, Sacramenta adminiſtrantem, ac cętera Epiſcopalia munia exercentem vnquam, aut vidit, aut audiuit? Quis laicum Principem vnquam in Eccleſia docere, Epiſcopos creare, inter Epiſcopos ſedere, de cauſis Epiſcoporum iudicare, Epiſcopatus, & Eccleſias diſtribuere, Archiepiſcopos, Primates, Patriarchas inſtituere, de cauſis Fidei iudicare aſpexit? Cum Valentiniano Iuniori, ſeſe in cauſa Fidei iudicem præbenti, Ambroſius reſponderit: *Si*

Ambr.epi. 32. *vel ſcripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus; quis eſt, qui abnuat in cauſa Fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis; non Imperatores de Epiſcopis iudicare?* Id ſi nunquam in Eccleſia viſum, aut nulla conſuetudine acceptum: quin etiam ipſa Dei lege prohibitum fuit, vt Oziæ exemplo manifeſtum fuit; diſcant Reges nullo iure, aut ratione Principatum ſibi in Eccleſia deberi.

1. Cor. 14. Gal 4. Poſtremò, cum mulieribus in Eccleſia ſedere, ac docere, Apoſtolico præcepto vetitum ſit; quid non incommodi Eccleſiæ accideret, ſi Eccleſiaſticum ius ad Reges ſpectaret? Cum enim apud pleraſq. nationes, & in Anglia præſertim, mulieres Regni hæredes eſſe poſſint; an non plerumq. accideret, vt mulier ad Eccleſiæ gubernacula ſederet, doceret, res ſacras adminiſtraret, Euchariſtiam conficeret, Sacramenta conferret, Epiſcopos crearet, de rebus fidei iudicaret, ac reliqua Pontificia munera obiret, quæ Apoſtolico præcepto exercere prohibetur? Hæc enim omnia, qui Eccleſiæ caput eſt, iure proprio exercere, aut debet, aut poteſt. Abſurda, & incommoda non augeo, quæ tu ipſe (Lector) pro tui ingenij felicitate, & acumine abundè tibi accumulare potes; quorum nos aliqua in argumentis attigimus.

Porrò ſi Regibus, ac Principibus, diuino iure, omnis Eccleſiaſtica poteſtas interdicta eſt: an non multò magis Magiſtratibus, ac laicis Iudicibus eandem in ſacros homines ſublatam eſſe cenſendum erit: quod ſanè ita perſpicuum eſt: vt antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, tum ſacris, tùm Imperatorijs legibus firmato, id palàm atteſtante, nemo iure in diſcrimen reuocare queat.

Audi (Lector) Ambroſium integerrimum totius antiquitatis teſtem, quàm liberè cum Valentiniano Imperatore de hac re diſſerat. *Quando audiſti* (ait) *Clementiſſime* Ambr. epi. ad Valentinian. 32. *Imperator in cauſa Fidei laicos de Epiſcopis iudicaſſe? ita ergo quadam adulatione curuamur; vt Sacerdotalis Iuris ſimus immemores? & quod Deus donauit mihi, hoc ipſe alijs putem eſſe*

cre-

credendum &c. at certè vel ſcripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus: quis eſt qui abnuat in cauſa Fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare?

Vides Ambroſium aſſerentem à diuina auctoritate pendere, vt Imperatores, & Magiſtratus, præſertim de rebus Fidei non iudicent: ſed Epiſcoporum iudicium expectent. At Syluester in Concilio Rom. 1. non ſolum laicis Magiſtratibus, ac Iudicibus de rebus Fidei; verum, & de qualibet alia Clericorum cauſa iudicium interdicit, hoc decreto. *Syluester Epiſcopus dixit. Nulli omnino Clerico licere cauſam quamlibet in publico examinare, nec vllum Clericum ante Iudicem laicum ſtare. Et dixerunt omnes Epiſcopi. Placet.* Conc. Roman. 1. c. 4

Hoc ipſum antiquiſſimi Patres, & Concilia confirmant. Clemens IIII. ep. 1. Hilarius aduerſus Conſtantium, Marcellinus PP. ep. 2. Aug. ep. 166. Leo Primus ep. 68. ad Epiſcopos Thraciæ. Pelagius I. ad Sergium Cancell.; Gregorius Mag. l. 9. ep. 32. & lib. 11. ep. 54. Nicolaus I. ad Conſulta Bulgar. c. 70.

Ex Concilijs, Conc. Romanum. 2. ſub Syluestro; Cartaginenſe 3. c. 9.; Mileuitanum c. 19. Chalcedonenſe can. 9. Veneticum c. 9. Epaunenſe c. 11. Agathenſe c. 32. Aurelianenſe 3. c. 31. Matiſconēſe c. 7. Toletanum 3. c. 13. Antiſiodorenſe c. 18. Moguntinum c. 24.

Hanc denique ſacrorum hominum à laicorum Magiſtratuum iudicio immunitatem agnoſcūt, ac ſuis legibus obfirmant Religioſiſſimi Imperatores. Conſtantinus Mag. apud Ruffinum lib. 1. Hiſt. c. 2. & apud Euſeb. Cæſ. lib. 1. c. 16. Valentinianus, Theodoſius, & Archadius apud Gratian. 11. 9. 1. Theodoſius, & Valentin ep. ad Synod. Epheſ. Marcianus Imp. Codice de Epiſcopali audientia. Leo, & Anthemius Imp. L. omnes C. de Epiſc. & Cler. Baſil. Imperat. orat. in 8. Synod. Hæc indicare potius, quàm explicare volui, ne libellus excreſcat: vt ex his (Lector) addiſcas:

ſa-

ſacros homines, qui Deo dicati ſunt, diuina, ac humana legum conſtitutione à laicorum poteſtate liberos eſſe.

REGVLA NONA.

F*Irmiſsimè tene, & nullatenus dubita*, (qui veram Fidem, ac Religionem inquiris.) *Veram Fidem, ac Religionem abſque viſibili legitimorum Paſtorum ſucceſsione eſſe non poſſe. Propterea eam tantùm Catholicam Fidem, & Eccleſiam credẽdam eſſe, quæ ab Apoſtolis poſt Chriſtum fundata; legitima, ac nunquam interrupta Paſtorum ſucceſſione à Chriſto inſtituta, integra ad nos vſque perlata eſt.*

En tibi nonam (Lector) veræ Fidei, ac Religionis agnoſcendæ Regulam, tam copioſis ſacrarum literarum exemplis, ac veterum Patrum teſtimonijs celebratam, adeòq. ipſi rationi conſentaneam: vt ea, vel ſola ſufficiat ad veram tum Eccleſiam, tum fidem hominibus perſuadendam. Qui enim, vel antiquam generis nobilitatẽ oſtendere, vel Regni alicuius ſucceſſores haberi volunt: quò faciliùs fidem ſibi apud homines comparent; genealogiam texunt, antiquamq. è Regia ſtirpe per Auorum, Atauorum, Tritauorum, & aliorum maiorum lineam nunquam interruptam, aſcendentes, originem ſuam euoluunt; quouſque ad originis ſtipitem peruenerint, qui Regni ſceptro potitus fuerit: atque adeò hoc ad rem demonſtrandam teſtimonium certum, ac indubitatum eſt, vt hoc probationis genere nullũ inter homines ſynceriùs, & ad perſuadẽdum vehementiùs exiſtimari ſoleat, quo ab hominum mentibus omnis prorſus falſi ſuſpicio abſtergatur.

Hoc ipſo demonſtrationis genere, non ſemel ipſas quoque ſcripturas vſas fuiſſe legimus. Nam in libro Ruth, cum
Ruth. 4. illius libri ſcriptor oſtendere vellet, Dauid à Phares originem duxiſse, totam Phares, vſque ad Dauid poſteritatem
Eſter 2. reuoluit: atque idem præſtat Auctor libri Eſther, cũ Mardo-

docheum è ſtirpe Iemini oriundum demonſtrat. Denique Mattheus, cum Chriſtum Dominum, ſecundum carnem ex Abrahę ſemine progenitum declarat, non alia demonſtratione vtitur, quàm quòd exactè Chriſti genealogiam ab Abraham inchoatam, & per omnes Abrahæ poſteros ſucceſſiuè vſque ad Chriſtum decurrentem, recenſet. Matt. 1.

Ita cum multi ſint, qui veram Fidem, & Religionem ſibi vendicant, cum ea tantummodò vera Fides, ac Religio ſit, quæ ab Apoſtolis tradita, atque in orbe fundata Apoſtolicæ nomen ſibi comparauit: ſi qui veræ Fidei, & Religionis hęredes, ac ſucceſsores haberi volunt, ijs profectò opus eſt, vt eam primùm à Chriſto, tum ab Apoſtolis inchoatã, ac inde per ſuccedaneam, ac nunquam interruptam Pontificum, ac Epiſcoporum lineam ad nos vſque propagatam, quaſi contextam illius genealogiam, demonſtrent.

Verùm antequàm inſtitutam huius Regulę probationẽ exordiar. Duo tibi (Lector) declaranda ſunt. Primum quid viſibilis hæc ſucceſſio ſit, & quomodò fiat. Alterum, quęnam ſucceſſio in Eccleſia prorſus neceſſaria ſit, ex qua vera Fides, ac Religio agnoſci queat.

Eccleſiaſticam ſucceſſionem noſtri temporis ſectarij omnino à perſonis auellunt; atque in vera tantum doctrina collocant: atqui id moliuntur, ſtabile totius fidei, ac veræ doctrinæ fundamentum, quòd in perſonis ad ſucceſſionem ordinatis ſubſternitur, proculdubiò conuellunt; Euangelicam, atque Apoſtolicam veritatem oppugnant; fidem leuem, ac labilem in orbe conſtituunt; omnem verę doctrinæ ſtabilitatem, ac certitudinem eripiunt; ac demum viam omnem præcludunt, qua vera doctrina, ac vera fides à falſa dignoſci queat; vt paſſim non obſcurè demonſtrabimus.

Nos vero Catholicã veritatem à ſacris ſcripturis, ac Patribus edocti: in primis Eccleſię ſucceſsionem, qua vera fides, ac doctrina agnoſcitur; non ex vera doctrina, quę ſucceſsione poſterior eſt, ſed ex legitima Paſtorum vocatione

Digitized by Google

tione, Electione, Ordinatione, Miſsione explorari debere credimus; ex qua vera fides, ac doctrina, velut per manus tranſmiſsa, ad nos manat: neque tamen ſucceſsionem ita perſonis, aut locis pręcisè alligamus, quin eam potiſsimũ in legitima auctoritate collocemus. Qua fit, vt quamquã vera fides, & doctrina interdum in Paſtoribus (& ſi non omnibus) labi poſſit; integra tamen in auctoritate pręſertim capitis ſeruetur: ita vt hi tãtũ Paſtores in Eccleſia legitimè ſuccedant, qui à Catholica Eccleſia legitimè vocati, electi, ordinati, miſsi, ad Eccleſię adminiſtrationẽ accedũt.

Id enim (Lector) tibi perſuaſum ſit (quod mox clariſsimis ſcripturarum argumentis demonſtrabimus) legitimam Paſtorum ſucceſsionem; quemadmodùm ea in Eccleſia perpetua eſſe debet, ita nunquam à vera fide, ac doctrina eſſe diſiunctam; ſed eam ita velut conſanguineam amplecti, atque in ſinu fouere; vt nũquam legitima ſucceſſio abſque vera doctrina eſſe queat; neque vera doctrina ſine legitima ſucceſſione poſſit conſiſtere: inſtar Solis, qui neque abſque radijs, neque radij abſque Sole eſſe valent. Atque inde neceſſariò collige: in Eccleſia perpetuam Paſtorum ſucceſsionem neceſſariam eſſe: ne fides, ac vera doctrina, qua Eccleſia olim genita, per omnia orbis tempora excreſcere, ac propagari debet, aliquando tandem interiret. Cum enim fides ex auditu percipiẽda ſit; neque ea ab alijs, quàm à legitimis Eccleſiæ Paſtoribus, quibus docendi munus creditum eſt, prædicari debeat: hinc exploratum eſt, Eccleſiam abſque legitima Paſtorum ſucceſsione, qui fidem perpetuò in Eccleſia doceant, propagari non poſſe.

Cæterum, quænam in Eccleſia Paſtorũ ſucceſsio ita neceſſaria ſit, vt abſq; illa vera Fides, ac Religio neq; eſſe, neque agnoſci poſsit, inueſtigare oportet. Primùm quidẽ hìc inter Epiſcoporum, & Pontificum ſucceſsionẽ diſtinguendũ eſt. Nam tametſi in Eccleſia vtraq; neceſſaria ſit, vt ſtatim demonſtrabimus: haud tamen æquè veræ fidei, ac doctrinæ famulantur. Nam Pontificum ſucceſsio potiſsimũ,

Digitized by Google

ac primariò à Deo inſtituta fuit, vt velut totius Catholicæ Fidei, & doctrinæ fons, & ſcaturigo, eam perpetuis temporibus puram, ac immaculatam cæleſti dono cuſtodiret, & tanquam caput in omne Epiſcoporum corpus diffunderet. At Epiſcoporum ſucceſsio ea ratione à Deo ordinata fuit; vt veram fidei doctrinam è Pontificum ſinu defluentem, tanquam riuuli, in Chriſtianos populos transfunderent.

Neque id fruſtrà confingimus. Nam, & ſcripturæ teſtãtur: olim Deum de ſpiritu, qui in Moyſe Dei Populi Principe copioſus erat, accepiſſe, ac ſeptuaginta ſenioribus communicaſſe. En quomodò Deus ipſe non alium ſeptuaginta Iudicibus ſpiritum diſpertitur, quàm qui priùs Moyſi plenißimè collatus fuerat: ita vt ij quaſi de Moyſi plenitudine ſpiritũ haurirent, quo in Populi iudicijs explicandis vterentur. Hoc planè modo, & tu ipſe cogita, priùs in Pontificem, Chriſtiani Populi Rectorem, ſpiritus Chriſti, ad veram tum fidem, tum doctrinam diſcernendã, plenitudinem diffundi: quæ deinceps in Epiſcopos diffluit. Hinc facilè potes agnoſcere; quo diſcrimine & Epiſcoporum, & Pontificum ſucceſsio in Eccleſia neceſſaria dicatur. Hæc enim idcircò neceſſaria eſt, ne vera fides, ac doctrina in orbe intereant, aut vlla erroris macula labefactetur. Illa, vt vera Fides, ac Religio in orbe propagetur.

His igitur ita explicatis: iam mihi probandum incumbit; vtramque & Epiſcoporum, & Pontificum ſucceſsionem ita à Deo in Eccleſia ordinatam, ac inſtitutam eſſe: vt & vera fidei doctrina perpetuò ſuperſtes ſit, & Eccleſia vera ſemper fide propagetur. Primùm itaque ab Epiſcoporum ſucceſsione rem aggredior. Equidem non eſt, cur dubites (Lector) ipſis præſertim ſacris paginis aſſerentibus, ad veram Religionem tuendam, & demonſtrandam legitimam Epiſcoporum ſucceſsionem ita neceſſariam eſſe, vt nulla vnquã vera Eccleſia eſſe potuerit, quæ Paſtoribus, ac Epiſcopis careret, quibus & fidei propagandæ, & Chriſtiani Gregis alendi cura demandata eſſet. Quare non immeri-

tò Cyprianus Eccleſiam appellat, Plebem Epiſcopo adunatam. Et Hieronymus aduerſus Luciferianos: *Eccleſia* (inquit) *non eſt, quæ non habet Sacerdotes*.

Cypr. lib. 4 ep. 9. Hier cont. Lucifer.

Et quidem, ſi veteris Eccleſiæ ſtatum inſpicias: ea nunquam Prophetis, ac Paſtoribus caruit, qui Dei legem explicarent, ac verum Dei cultum Hebræo populo prædicarent. Cur & ſuis Epiſcopis Chriſtiana Eccleſia expoliari debet; cum æqua, & nutriendæ, & propagādæ fidei illi neceſsitas inſit? Quapropter apud Hieremiam Deus hos illi Paſtores pollicetur, qui perpetuam in ea fidem foueant. *Dabo* (inquit) *vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina.* Vides neceſſariam Paſtorum in Eccleſia ſucceſsionem, vt Chriſtianus grex veræ doctrinæ pabulo reficiatur. Cęterum Paſtores iuxta cor ſuum, nimirum ſibi gratos, & placitos, illos Deus appellat, quos ipſe largitur; qui non vltrò ad Eccleſię gubernacula currunt, ac nullo deferente Epiſcopatus rapiunt: ſed qui à Deo legitimè per Eccleſiam vocantur; qui legitima ſucceſsione Epiſcopatus adminiſtrant; qui rerum diuinarum ſcientia, ac fidei doctrina potiùs, quàm vaniloquio, & profanis dogmatibus Eccleſiam imbuunt; qui denique veri ſunt Eccleſiæ Paſtores, quos Deus ad tuendam, ac propagandam Eccleſiæ Catholicæ fidem per tempora, ac loca diſpenſat.

Hier. 3.

At Iſaiam audi, præclarè ſub ſymbolo Hieruſalem, futuram, ac neceſſariam hanc Epiſcoporum in Eccleſia ſucceſſionem deſcribentem, his verbis: *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ: oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit.* Quæ omnia de Eccleſia Chriſti dicta eſſe conſtat ex ſentētia Procopij, Auguſtini, & Theodoreti. Tum vero protinus addit. *Nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur*. En Epiſcopos, ac Paſtores iuxta Theodoretum, Clauorum, ac funiculorum nomine indicatos; quibus tuendę, ac conſeruandę Eccleſiæ cura à Deo commiſſa eſt. Quid enim claui in terra profunde

Iſai. 33.

defi-

Digitized by Google

defixi, quid funiculi efficiunt, quàm quòd tabernaculum ſtabile, ac immotum reddunt? En Epiſcoporum, ac Paſtorum in Eccleſia munus, & officium. Hi namq., dum Catholica, & Orthodoxa Fidei doctrina Eccleſiæ tabernaculum muniunt; clauorum ac funiculorum inſtar illius fidem perpetuam, ac immobilem præſtant. Huc enim ſpectat, quod Eccleſiaſticus ait: *Verba ſapientum, ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore vno*. Hic egregiè differentem Theodoretum audi: *Quemadmodum* (inquit) *Tabernaculorum claui in terram adacti ſtabile faciunt Tabernaculum, fixum, & firmum; ſic illi impendentes vitam corporis Eccleſiæ, & habentes corpora in terram abdita, animas in ſedibus Beatorum apud ſuperos, ſuis humoris Eccleſiam habent innixam, firmam, & ſtabilem. Funibus ſimiles ſunt, & clauis vſque ad Tabernaculum pertingentibus borum Sanctorum doctrinæ ſalubres, per quas inuicta manet Fidelium fides.* Eccleſ. 4. Theodor. î hûc locum Iſai.

Hęc quidem ex prophetis ſatis luculenter: ſed luculentiùs Apoſtolus de perpetua hac Epiſcoporum ſucceſsione agit, ad Epheſios his verbis ſcribens: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas; alios verò Euangeliſtas; alios autem Paſtores, & Doctores; ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij; in ædificationem Corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei*. Hic (Lector) animum, ac ſolicitudinem tuam requiro, vt hęc D. Pauli verba mecum accuratè perpendas: plura enim, & grauia Eccleſiæ myſteria cōtinent; quibus te erudiri ęquum eſt. Primùm igitur Apoſtolici teſtimonij ſenſum hac ſimilitudine accipe. Quòd quemadmodùm in Regni alicuius adminiſtratione fieri ſolet; vt ad diſpertiendas rerum curas Rex Magiſtratum inſtituat, cuius ope, & conſilio totum deinde Reipub. corpus regatur: quem non ad vnius, aut alterius Senatoris vitam vſque terminari oportet; ſed diuturnum ac perennem perpetua Senatorum ſucceſsione eſſe velit: hoc ſanè pacto myſticū, Ephe. 4.

ac ſpirituale Eccleſiæ Regnum à Deo adminiſtrari, hoc teſtimonio docet Apoſtolus: in quo cum Pontificem, velut Principem, conſtituerit, penes quem ſupremum Eccleſiæ ius, ac rerum omnium ſummam repoſitam eſſe voluit: (vt paulò poſt demonſtrabimus) ad ipſius labores ſubleuādos Magiſtratum illi perpetuum adiunxit. Ille quidem primùm ex Apoſtolis, Prophetis, Euangeliſtis, Paſtoribus, ac Epiſcopis inter ipſa Eccleſiæ initia collectus fuit, cum omnibus Eccleſia adhuc paruula egeret: at ea iam adulta, ac per orbem longè, latèq. dilatata, ſolus illi Epiſcoporum, ac Doctorum Senatus relictus eſt, qui in partem ſolicitudinis vocati, dum proprijs Eccleſijs quiſque curandis incũbit, omnes, quaſi diſpertito labore, communis Eccleſiæ adminiſtrationi operam impendunt.

At ſingula teſtimonij capita expendamus. Obſerua (Lector) in primis ex Apoſtolo, Deum dediſſe Eccleſiæ Paſtores, & Doctores. *Et ipſe* (inquit) *dedit quoſdam* &c. Igitur à Chriſto Epiſcoporum ſucceſsio in Eccleſia inſtituta fuit: vides diuinam Epiſcoporum ſucceſsionem, quę cũ à Chriſto effluxerit, ab Eccleſia tolli non poteſt; ſed cum ea perpetuò manere debet. Quòd ſi modum ſucceſsionis quæras, ipſum explicat Apoſtolus ad Hebręos ita ſcribẽs: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum, Filius meus es tu.* Hebr. 5. Dei igitur ad legitimam Epiſcoporum ſucceſſionem in primis vocatio expectanda eſt: non ea quidem, quæ per Dei vocem è Cęlo delapſam fiat; ſed quæ per legitimam Eccleſiæ vocationem, quæ Dei vocatio cenſenda eſt, perficiatur. Neque enim abſque legitima Eccleſiæ vocatione quiſquam aut Epiſcopus eſſe, aut inter Epiſcopos haberi poteſt.

Cęterum, Paulus ſub hoc vocationis nomine vniuerſos veræ ſucceſſionis actus: nimirum Electionem, Ordinationem, ac Miſſionem comprehendit; quos Marcus in Apoſtolo-

Digitized by Google

ſtolorum vocatione diſtinctè contemplandos proponit. Is enim Apoſtolorum inſtitutionem deſcribens ait: *Aſcendit in montem IESVS, & vocat ad ſe, quos voluit ipſe: & fecit, vt duodecim eſſent cum illo; & mitteret eos prædicare.* En omnes legitimę ſucceſsionis gradus à Marco diſtinctos. Priùs vocat ad ſe quos voluit, eligit, atque à cæteris diſcernit. Prius namque neceſſe eſt ab Eccleſia vocari, atque eligi eum, qui Epiſcopus creari debet, ne ante Dei, & Eccleſiæ vocationem ſeipſum in Epiſcopatum intrudat. Marc. 3.

Verùm, à quo vocari, ac eligi debeat, declarat Euangeliſta; cum ait, Apoſtolos à Chriſto vocatos fuiſſe, qui ſupremum in Eccleſia Principatum gerebat. Ad illum igitur (Lector) ſpectat Epiſcopos vocare, & eligere, qui ſupremam in Eccleſia poteſtatem exercet. Quod ipſo perpetuo vſu, ac praxi, ex Apoſtolica traditione manante, in Eccleſia receptum eſſe, confirmat Gregorius Magnus ad Ioannem Subdiaconum ſcribens, his verbis: *Quantò Apoſtolica Sedes, Deo auctore, cunctis prælata eſſe conſtat Eccleſiis; tantò inter multiplices curas, illa nos valdè ſolicitat, vbi ad conſecrandum Antiſtitem, noſtrum expectatur arbitrium.* Greg. lib. 6 Ind. 11. epiſt. 30.

Secundò, fecit, vt duodecim eſſent cum illo: nimirum Ordinauit, Conſecrauit, conſtituit Apoſtolos. En Eccleſiaſticam ordinationem, quæ legitimę ſucceſsioni tantoperè neceſſaria eſt; vt nullus vnquam ante Eccleſiæ ordinationem Epiſcopali munere legitimè in Eccleſia functus fuerit: Cuius rei teſtes ſunt Saulus, & Barnabas, qui tametſi ad Apoſtolicum, & Epiſcopale munus à Deo electi, ac vocati eſſent; non priùs tamen Epiſcopalem auctoritatem ſibi vendicarunt; quàm per manus impoſitionem Antiochiæ, Epiſcopi ordinati eſſent. Sic enim ſcribit Lucas: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi illos.* Iam eos Spiritus Sanctus ad Euangelicum opus aſſumpſerat; iam ad Epiſcopatum vocauerat; quos tamen ad Eccleſiæ ordinationem mittit: neque priùs eo illos munere fungi vult, quàm ab Eccleſia electi, ſegregati, Act. 13.

atque

atque ad id munus ordinati fuerint. Huius tamen ordinationis modum olim ſtatuit Anacletus, quem ab Apoſtolis traditum fuiſſe, teſtatur; nimirum, vt non minùs, quàm à tribus Epiſcopis Epiſcopus ordinetur.

Poſtremò Apoſtolos ad miniſterium Apoſtolicum mittit. *Et mitteret* (inquit) *illos prædicare*. Ecce tibi (Lector) ſupremum huius ſucceſsionis gradum, in quo Epiſcoporum poteſtas, ac iuriſdictio concluditur. Qui enim Apoſtolos ad Apoſtolica munera miſit; neceſſariam illis iuriſdictionem non negauit, qua ſua munera rectè obire poſſent. Hoc modo cum Epiſcopi ad Epiſcopale munus, ac ſpirituale populorum regimen mittantur; planè æquum eſt, vt ea iuriſdictionis poteſtate prędit ſint, qua & ligare, & ſoluere valeant quæcũque, aut liganda, aut ſoluenda ſunt: Id enim, & Saluator ipſe confirmat, cum poſt Reſurrectionem Apoſtolis ait: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. At cũ certum ſit, Chriſtum à Patre cum iuriſdictionis poteſtate in orbem miſſum fuiſſe; id quoque exploratum eſſe debet; Epiſcopos, qui ad Eccleſiarum regimen deſtinantur, Epiſcopali iuriſdictione non carere.

Anacl. ep. 2.

Ioan. 20.

En legitimæ ſucceſsionis modum à ſcripturis traditum, & perpetuo vſu in Eccleſia obſeruatum. Qui igitur hoc modo ab Eccleſia vocati, ordinati, miſsi, ad Epiſcopalem dignitatem euehuntur; proculdubiò à Deo eliguntur, ac Apoſtolis in Epiſcopali munere ſuccedũt: vt poſt Cyprianum, & Damaſum præclarè tradit Auguſtinus his verbis: *Quid eſt, pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij? Patres miſſi ſunt Apoſtoli; pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi*. Sed alia Apoſtolici teſtimonij capita percurramus.

Cypr. li. 4. ep. 9. Damaſ. ep. 4. de Chorep. Aug. in Pſ. 44.

Secundo loco tradit Apoſtolus, Paſtores à Deo in Eccleſia inſtitutos fuiſſe, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti; quod maximè tibi examinãdum eſt (Lector) Eo enim apertè docet, legitimæ Epiſcoporum ſucceſsioni, qualis modò à nobis explicata eſt, verã fidei doctrinam ſemper coniunctam fore. Cum enim Chriſti cor-

pus

pus, quod eſt Eccleſia, ſicut vera tantum fide conſtitutum fuit; ſic vera duntaxat fidei doctrina ædificari, & excreſcere valeat: ſi Paſtores, & Epiſcopi idcircò à Deo inſtituti ſunt, vt perpetuam Eccleſiæ ędificationem peragant; quis luce clariùs non videat, veram fidei doctrinam penes Epiſcopos, qui legitimè in Eccleſia ſuccedunt, ſemper repoſitam fore?

Hinc apertum Caluini errorem agnoſce, cum ait: Nec veritatem ſemper in ſinu Paſtorum ali, nec Eccleſiæ incolumitatem ab eorum ſtatu pendere. Vnde enim hæc noua Caluino ſententia erumpere potuit; cum ex Apoſtolo audiat, perpetuam Eccleſiæ in fide ędificationem Paſtoribus commiſſam eſse? Quid eſt Paſtores à Chriſto dari in opus miniſterij, præterquàm Paſtores idoneos, Eccleſię ſemper prouidendos forè; qui iuxta Chriſti promiſsa, fidem in Eccleſia doceant? Quid eſt eoſdem dari in ædificationem Corporis Chriſti; quàm quòd Chriſti Eccleſia, quæ velut corpus Fidelium membris vſque ad orbis interitum excreſcere debet, ac ædificari; non alios, quàm Paſtores, & Epiſcopos perpetuos ędificatores eſt habitura?

Nam quemadmodùm Deus Opt. Max. eam à principio viuentibus corporibus vim indidit; quæ illa ad incrementũ compelleret, ac tandem iuxta proprium genus ad perfectũ adduceret: qua ſublata, res fruſtrà conditæ viderentur: nũ eam corpori ſuo myſtico, quod eſt Eccleſia, virtutem denegaſse exiſtimandum eſt; quòd idoneos Paſtores diuinæ illius fidei Miniſtros, qua Eccleſia augetur, amplificatur, ædificatur, donec ad perfectum creſcat, eidem perpetuò contulerit?

Quid (Lector) An non gratiæ promiſsio, quæ Eccleſiæ de ipſius ædificatione à Chriſto facta fuit, longè efficacior eſſe debet, quàm quæ de naturali hominum propagatione olim facta legitur, cum Deus dixit: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Quòd ſi ea hoc Dei decreto adeò immota, ac ſtabilis permanet; vt nunquam orbi homines Geneſ.9.

de-

defuturi ſint, qui illum noua ſemper hominum ſobole repleant, ac multiplicent: quid maiori, ac grauiori Dei erga Eccleſiam promiſsione vrgente, veros, ac legitimos in Eccleſia Paſtores deficere poſse putabimus, qui ipſius ędificationi incumbant? aut in eis veram fidem, ac doctrinā, qua potiſsimum Eccleſia regitur, ac propagatur, perire poſse exiſtimabimus? Planè ſi qui ſemel dixit: *Creſcite, & multiplicamini* perpetuam hominum propagationem in orbe futuram ſtatuit: quid dubitamus, quin idem, qui dedit Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus Miniſterij, in ędificationem Corporis Chriſti, Eccleſiam hoc decreto perpetuò à Paſtoribus vera fide, ac doctrina ędificandam velit?

Gen. 9.

Id ſanè verum eſt, hanc Dei promiſsionem non ſingulis Paſtoribus, quos à fide aberrare nonnunquam accidit: ſed omnibus tantùm in genere factam eſſe: quo fit, vt ea in perpetua, ac omnium duntaxat Paſtorum ſucceſsione efficax ſemper futura ſit; & vim ex Dei decreto ſtabilem ſortiri debeat.

Poſtremò docet Apoſtolus, Epiſcoporum ſucceſsionē perpetuam in Eccleſia futuram eſse, cum addit: *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei: in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Nā ſiue cum Theophilacto, ac Gręcis ſcholijs de perfecta fide, & abſoluta Chriſti notitia, qualis in hac vita haberi poteſt, locum intelligas: ſiue cum Auguſtino de perfectione fidei, quam Electi in futura vita ex clara Dei viſione conſequentur, hoc dictum interpreteris; id profectò certum eſt; non prius omnes, qui ad Chriſti Corpus pertinent, in vnam fidem confluere debere, donec Electorum numerus impleatur: quod tunc tantummodò, non anteà fieri opus eſt, cum ſupremus Iudicij dies aduenerit: ex quo Paulus id his verbis inſinuat: Tandiù legitimam Epiſcoporum ſucceſsionem in Eccleſia incolumem eſſe permanſuram; quò ad vniuerſi fideles in ea fidei vnitate, qua inter ſe coniun-

cti

cti ſunt, Chriſto ad Iudicium venienti tandem occurrant.

Hinc enim Chriſtus apud Matthęum Eccleſiam agro comparat: in quo veræ doctrinæ ſemen vſque ad futurum Dei Iudicium excreſcere iubetur: at quomodò fidei ſemen in Eccleſia oriri poteſt, niſi à Paſtoribus ſeratur, quibus verbi Dei diſſeminandi munus iniunctum eſt? *Fides enim ex auditu* (vt Apoſtolus ait:) *At quomodo audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Illud planè certum eſt, Fidei ſemen vſque ad meſſem excreſcere non poſſe; niſi propterea Paſtorum, velut Operariorum, diligentia excolatur. Quamobrem perpetuam in Eccleſia Paſtorum ſucceſſionem, non quamlibet, ſed legitimam, atque à Deo inſtitutam eſſe neceſſe eſt; qui in Eccleſiæ agro veram doctrinam ſeminent, ac perpetua prædicatione excolant. Matt. 13. Rom. 10.

Caluinus hanc Paſtorum ſucceſſionem, rem friuolam, ac ludicram venditat: At dicat, num res ludicra, aut friuola exiſtimanda ſit, diuinarum ſcripturarum auctoritas? Euangelica, & Apoſtolica teſtimonia? Patrum antiquorum doctrina? perpetuus Catholicæ Eccleſiæ vſus? Sed quoniã hæc facilè contemnit: dicat num res ludicra cenſenda eſſet, ſi quis hominem abſque parentibus naſci; aut ſteriles, atque à generandi officio vacantes procreare; agros abſq; ſemine, ac ſeminatore tritico repleri; piſces ſine piſcatore capi, alijs perſuaderet? An nô hæc παραδοξότερα potiùs, ac ænigmata; quam vera viderentur? Hæc ipſa (Lector) ac magis ridicula nobis perſuadere, nititur Caluinus; cum Eccleſiam abſque Epiſcopis, qui verę fidei Patres, Satores, Cultores, atque hominum Piſcatores à Deo conſtituti ſunt, in fide propagari poſſe docet.

At alterum Diui Pauli teſtimonium obiter attingamus: qui in Actis Apoſtolorum Aſiæ Epiſcopos his verbis alloquitur: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Vides (Lector) Epiſcoporum ſucceſsionem, quæ primùm in Apoſtolis à Chriſto inſtituta, deinde in Epiſcopos Apoſtolorum ſuc- Act. 20.

ceſſores defluxerit, diuinam à Spiritu Sancto ſibi orginem vendicare: quod ipſe quoque Petrus nō obſcurè declarat, dum illud à Spiritu Sancto decretum eſſe pronūciat: vt Iudæ Epiſcopatum accipiat alter: an non hoc ipſo teſtatur, Epiſcopatus dignitatem ipſa Dei inſtitutione in alterum transfundi debere? ac proinde, vt Epiſcoporum ſucceſſio in Eccleſia perennis eſſe debeat, ex diuina auctoritate manare? Et quidem id fateri opus eſt. Nam cum Paulus Timotheum Epheſi, Titū Cretæ Epiſcopos ordinauerit; quo iure hanc illis poteſtatem contuliſſet, niſi Epiſcoporum ſucceſsionem, & Apoſtolicam eſſe, & ipſo diuino iure inſtitutam agnouiſset? qua Eccleſiæ corpus nunquam corrumpendum in fide ædificetur, quouſque in virum perfectum tranſeat; in menſurā ętatis plenitudinis Chriſti: quod in cæleſti patria, Eccleſia ad Chriſtū collecta, expectatur.

Acto. 1.

Hæc igitur de neceſſaria Epiſcoporum ſucceſsione, ſine qua vera Fides, ac Religio eſſe non poteſt, ſatis dicta ſint. Presbyterorum hic ſucceſsionem prætereo: de qua in ſecundæ partis Conſ. 9. agendum erit. Ad Pontificum ſucceſsionem venio, de qua, quoniam plura in Poſterioribus Regulis dicenda ſunt: pauca hoc loco attingemus.

Pontificum ſucceſsionem (Lector,) & diuino iure inſtitutam, & Eccleſiæ omnino neceſsariam eſse; ita vt ea ſublata omnis, tum fides, tum vera doctrina, velut deuaſtato fonte, protinus areſcat, ſuperiùs annuimus: quod modò, ſacris nobis ſuffragantibus literis, tibi demonſtrandum eſt. Quapropter, ijs hoc loco ſuppoſitis, quæ in Sexta Regula de viſibilis capitis neceſsitate fusè diſseruimus: vbi certum aliquod in Eccleſia viſibile caput, ex Dei inſtitutione, dari oportere oſtendimus, quod illi perpetuò pręſit, quæ & ipſa non obſcurè huic probationi deſeruiunt; propoſitam huius rei demonſtrationem ex illis Chriſti verbis exordior, quæ apud Matthæum Petro dicta leguntur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Matt. 16.

His enim (Prudentiſsime Lector) tum ex ipſo ſcripturarum

rum contextu, tum ex omnium ferè Patrum conſenſu in primis velut certum ſtatuo; quod poſthac probandum erit: Petrum totius Eccleſiæ caput, & Rectorē deſignari. Quod cum ita ſit, obſerua verbum illud: *Aedificabo;* quod perpetuam, non tam ob futurum tempus, quod præſefert, quàm ob ipſam verbi vim, ac ſignificationem (vt ex Apoſtolo probatum fuit) Eccleſiæ ædificationem ac propagationem oſtendit. Quid enim aliud eſt Eccleſiam ædificari, quàm eam perpetua Fidelium multitudine propagari? Nam cum in ædificatione duo potiſsimum conſiderentur. Primùm ędificij aſsurgentis origo; deinde ipſa in parietes extenſio. Eccleſia quidem tunc primùm oriri incipit; cum primum illi ad ædificationem fundamentum ſubſternitur: quod in Petro ſe facturū his verbis Dominus pollicetur, quem velut primarium Eccleſiæ lapidem in fundamento fundatū, & caput ſub ipſo capite conſtitutum eſse voluit. Deinde vero in ingentem ſeſe extendit Fideliū multitudinem, qui (vt ait D. Petrus) tanquam lapides viui ſuperędificantur, vt ex his tandem Eccleſiæ domus ſpiritualis aſsurgat; & 1. Pet. 2. tandiù Fidelium plebe ędificetur, quoad expleto Electorum numero, & ędificatione peracta, ipſa Eccleſia in Chriſti ſinum colligatur.

Iam hinc apertè vides (Lector) vtrumque, nimirum, & ſupremum Eccleſię caput, velut fundamentum: & Fideliū membra, tanquam lapides ad perennem Eccleſiæ ædificationem, ęquę neceſsariū eſse; ne ſublato capite, tanquam euulſo fundamento, Eccleſiæ ædificium corruat: vel abſciſsis Fidelium membris, velut amotis lapidibus, eiuſdem ędificatio ceſset; ac tandem Eccleſię corpus membris deſtitutum intereat.

Porrò, ſi in Petro tantummodò Eccleſia ędificata fuiſſet, eo è medio ſublato, quod nam Eccleſię fundamentum reliquum eſset, quo aut illius fides ſalua conſiſteret, aut Fideles in ea propagarentur? Certè nullum. Nam ſi Chriſtum, fundamentum, proferas, ſatis antehac fusè probatum

fuit; ad viſibilem Eccleſię, tum adminiſtrationem, tum ędificationem, inuiſibile caput non ſufficere. Si fidem exceras: An non ea ab illius ſucceſsione expectanda eſt, cui à
Luc. 22. Chriſto dictum fuit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Qui cum veram fidem ex Dei dono indelebilem acceperit; vt eam in Eccleſię ſinum diffundat: quis veram fidem ſe habere exiſtimat, qui eam à Petri ſucceſsore, velut à fonte profluentem, non hauſerit? Age (Lector) An non fides ex au-
Rom. 10. ditu? auditus autem per verbum Chriſti? Quod ſi ab Eccleſia ſupremum caput auellas, ad quod ſpectat legitimos in orbem verbi Prędicatores, ac Paſtores mittere: quis legitimus Paſtor, aut Doctor in Eccleſia agnoſcendus erit, cui fides tuto credenda ſit? Aut quo pacto fides Eccleſię fundamentum eſse poterit, quę proprio fundamento amiſſo, non habet, quo ſe ipſam tueatur? Igitur, cum Dominus in Petro ſe Eccleſiam ędificaturum pollicetur; certum ſit, in Petro ſe nunquam perituram Pontificum ſucceſsionem futuram inſinuare, quę tum fidem, tum Eccleſiam perpetuò incolumem ſeruet.

Sed hanc ipſam Pontificum ſucceſſionem à Chriſto inſtitutam, ex altero ipſius teſtimonio euincamus; quod apud Ioannem legitur, cum Petrum ita affatus eſt: *Simon Ioannis*
Ioan 21. *diligis me plus his? Paſce oues meas.* Eo enim ordinarium ſupremi Paſtoris munus inſtituit: quod in Eccleſia perpetuū eſſe debeat. At cui dubium eſſe poteſt; quin ordinarium munus, quod in vno inſtitutum eſt, ſucceſſores expoſcat, in quos muneris poteſtas transfundatur? Rex enim, qui Proregis, aut Gubernatoris ordinariam in Regno, aut Prouincia poteſtatem inſtituit; in primis ita ſucceſsionem ordinat, vt ea in perpetuos ſibi ſuccedentes Proreges, aut Gubernatores fluat. Quare cum primùm Chriſtus Petrum ordinaria capitis poteſtate Eccleſiæ Paſtorem illis verbis inſtituit, perennem illi Pontificum ſucceſsionem adiunxit; ne ordinarium Pontificum munus in Eccleſia intercide-

ret:

ret: ac Dei inſtitutio periret.

Quod ipſa quoque cognata ratio facilè perſuadet. Nam cum Eccleſia ſemper ſit ouile Chriſti ſemper ordinario Paſtore indiget, qui illius curam gerat. Ea verò quæ ordinaria ſunt; tandiù diuturna eſſe oportet, quandiù id ipſa rei neceſsitas poſcit. Quapropter cum Eccleſia, tanquam Dominicus grex, vſque ad orbis interitum propagãdus, sẽper Paſtorem neceſſarium habeat; perpetuus verò Paſtor eſſe non poſsit, niſi perpetua ſit Pontificum ſucceſsio, quæ perpetuos Pontifices in Eccleſia foueat: inde perſpicuum eſt, perennem Pontificum ſucceſsionem, velut neceſſariã, à Chriſto inſtitui oportere; ne Eccleſia, velut grex abſque Paſtore, aliquando diſpergeretur.

Denique, cum ſymbolum Nicenæ, & Conſtantinopolitanæ Synodi, quæ apud ipſos quoque ſectarios ſacroſanctæ habentur, Eccleſiam Apoſtolicam nobis credendam proponit; quid aliud docet (Lector) quàm quòd vtramque, & Epiſcoporum, & Pontificum, magis autem Pontificum, ſucceſsionem inculcat? Neque enim Eccleſia alia ratione Apoſtolica nuncupatur; quàm quòd ea ab Apoſtolis fundata, eam Fidem, ac Religionem, non caſu, aut fortuna, ſed ex legitima Pontificum ſucceſsione, quaſi hæreditario iure poſsidet: quam prior Chriſtus Apoſtolis tradidit; quamq. Eccleſia Apoſtolorum prædicatione genita, ab iiſdem tanquam ab vberibus ſuxit: quò fit, vt ea tantum Eccleſia Apoſtolica cẽſenda ſit, quæ tum ab Apoſtolis per legitimam Epiſcoporum ſucceſsionem; tum præſertim à Petro per rectam, ac nunquam interruptam Pontificum lineam, cui perpetua, ac indelibilis Eccleſiæ fides alligata eſt, originem duxit.

Hinc Auguſtinus certiſsimum veræ Eccleſiæ argumentum colligit, dum ita ſcribit: *Multa ſunt, quæ me iuſtiſſimè tenent in Eccleſia Catholica gremio: tenet conſenſio populorum, & gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa Sede Petri Apo-* **Aug. cont. epiſt. Fundam. c. 4.**

ſtoli

ſtoli vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Cernis (Lector) quàm graue hoc vinculum ſit, quod Auguſtinum ſanctiſsimum æquè, ac doctiſsimum virum in Catholicæ Eccleſiæ ſinu detinebat.

Eodem prorſus Catholicæ fidei ſpiritu imbutus Hieronymus, eam duntaxat veram Eccleſiam prædicat, in qua hæc Apoſtolica ſucceſſio viget, cum ait: *In illa Eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad hanc diem durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino IESV Chriſto, ſed ab alio quoquam nuncupari, vtpotè Marcionitas Valentinianos, Montenſes ſiue Campitas: ſcito non eſſe Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. Ex hoc enim ipſo, quod poſteà inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænunciat.* Caueant ſibi à Hieronymo Proteſtantes, Caluiniani, Lutherani, ac reliqui, qui poſt Apoſtolos exorti varia ſibi ex ſectariorum auctoribus nomina indiderunt: cum enim in Apoſtolica Eccleſia non ſint, nec Apoſtolicam ſucceſsionem oſtendere valeant: certè in Chriſti Eccleſia eſſe non poſsunt, & duram Hieronymi, ſeu potiùs Apoſtoli ſententiam ſubire coguntur.

Hier. Dial. cont. Luciſer. c. 9.

Hoc ipſo quoque argumento ad veram Eccleſiã declarandam vtitur Irenæus, ita ſcribens: *Quapropter eis, qui sũt in Eccleſia, Presbyteris obaudire oportet: his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus: qui, cum Epiſcopatus ſucceſſione charíſma veritatis certum acceperunt.* En quàm præclarè Irenæus legitimam ſucceſsionem ſemper cum vera fidei doctrina coniunctam docet: nec vllibi veram doctrinam, abſque legitima ſucceſsione eſſe poſse agnoſcit: ita vt legitima ſucceſsio verè ſemper fidei, ac doctrinæ fideliſſima ſit cuſtos. At poſteriora, quæ ſequuntur, verba tibi altè in animo repone (Lector) ſic enim proſequitur Irenæus: *Reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colligantur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ.* Si hoc argumento Irenæus eos hæreticos, ac malæ ſentẽtiæ viros eſſe ſuſpicatur, qui à principali, hoc

Iren. lib. 4. c. 42.

eſt

eſt Pontificum ſucceſsione diſtant; iam apud te ipſum iudica, qua in exiſtimatione eos habere debeas, qui ipſam Pontificum ſucceſsionem oppugnant.

Iam verò hinc ad Proteſtātium, Lutheriſtarum, Caluiniſtarum, Puritanorum, atque aliorum Religioniſtarum ſucceſsionem explorandam accede; vt inde colligere valeas, an eorum Eccleſia Apoſtolica cenſenda ſit. Tria potiſsimum verę, & Apoſtolicæ ſucceſsionis ſigna tradunt Tertullianus, Irenæus, Auguſtinus, Hieronymus, ac cæteri Patres. Primum eſt, cum in Eccleſia Apoſtolicum caput, à Chriſto inſtitutum, & perpetua ſucceſsione perſeuerans agnoſcitur: à quo omnis Apoſtolica ſucceſsio exordium ſumat. Ita Cyprianus de vnitate Eccleſiæ; vbi vnitatem Eccleſię cum Chriſto capite, ab vnitate eiuſdem cum Petro, ac Pontifice illius ſucceſsore exorſam tuetur, his verbis: *Vt vnitatem*(inquit) *manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem, ab vno Petro incipientē, ſua auctoritate diſpoſuit.* Idem tradunt Tertullianus de Pręſcript. Hęreticorum, Auguſtinus cont. epiſto. Fundamenti c.4. Optatus cont. Donatiſtas lib.2. Cypr. de vnit. Eccl.

Secūdum cum Epiſcoporum ſucceſsio, diuina, & Apoſtolica lege ſancita, legitima vocatione, ordinatione, ac Miſsione integra apparet; quod apertè tradunt Ireņus lib. 3. c.3. Tertullian. de Pręſcript. Hęreticorum c. 32. Optatus cont. Donatiſtas lib.2. & alij Patres.

Poſtremum, cum vera fidei doctrina ab Apoſtolis tradita, & Patribus conſignata, integra, ac ſartatecta ſeruatur. Quod verę ſucceſsionis ſignum eſſe docet Ireņus lib.4. c.42. Ex his conijce (Lector) An apud Lutheranos, Caluiniſtas, Proteſtantes, ac cæteros huius tempeſtatis Religioniſtas, vera, ac Apoſtolica ſucceſsio vigeat. A primo ſigno rei demonſtrationem exordior.

Primum itaque, nullam apud Caluinianos, Lutheriſtas, ac reliquos Religioniſtas Apoſtolicam ſucceſsionem vigere, ex ipſo Apoſtolico capite euinco; quod ipſi à ſuis Eccleſijs

cleſijs expellunt: quod cum à Chriſto in Eccleſia inſtitutū fuerit (vt fusè poſt hac demonſtrabimus) planè reijci non poteſt; quin ſimul cum eo Chriſtus ab Eccleſia expellatur: ac proinde omnis, tum Chriſtiana, tum Apoſtolica ſucceſſio intereat. Nam cum omnis Eccleſiaſtica ſucceſsio ab vno Eccleſiæ capite initium ſumat, cui Dominus ad eligēdos, ac ordinādos in Eccleſia Paſtores, & Epiſcopos, qui Apoſtolis ſuccedant, omnem clauium poteſtatem contulit. Quo pacto Apoſtolicam ſucceſsionem ſibi in Eccleſia arripere audent; qui ab hoc capite diſſuti, nullam ſuorum Paſtorum legitimam vocationem, ac ordinationem oſtendere valent, quę illos Apoſtolicæ ſucceſsionis hæredes eſſe declaret? Equidem certum eſt, eos, qui Apoſtolico capite carent, inter Apoſtolicæ Eccleſiæ membra cenſeri nō poſse, quæ certa fidei, ac doctrinæ conſanguinitate Apoſtolis connectuntur: neque veræ Eccleſiæ filios, ac proinde neque Apoſtolorum hęredes, ac ſucceſsores poſse exiſtimari, qui Apoſtolicum Eccleſię ſponſum Chriſto ſubrogatum, Patrem non agnoſcunt. Inde fit, vt nulla Proteſtantibus, Lutheriſtis, Caluiniſtis, Puritanis, atque alijs in Eccleſia Apoſtolica ſucceſsio eſse poſsit; quādiu Apoſtolicum à ſe Patrem abijciunt, & ab eo minimè propagari volunt.

Cum verò ij Apoſtolici appellari, & Apoſtolicam hęreditatem ſibi pręripere geſtiant, iure illos ad ſucceſsionem Tertullianicis verbis prouoco. Edāt Origenes ſuarum Eccleſiarum, euoluant ordinem ſuorum Pontificum, ita per ſucceſsiones ab initio decurrentem; quouſque ad vnum Apoſtolorum Principem perueniant, cuius Apoſtolica ſucceſsione fruantur? Hac enim quoque ratione Optatus Donatiſtas vrgebat: *Vos* (inquit) *veſtræ cathedræ originem edite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Cum verò id præſtare nequeant; (Lector) tu ipſe ſapienter iudica, an non omni ſe Apoſtolicæ ſucceſsionis titulo expoliatos oſtendant.

Tertull. de Pręſ. Hęret. c. 32.

Optat. cō. Don. lib. 2.

Primo

Primo itaque hoc ſigno à noſtris Religioniſtis auulſo: ad ſecundum venio, quo planè ſe deſtitutos declarant, cum nullam apud ſe legitimam Epiſcoporum ſucceſsionem retinent. De Puritanis, Lutheranis, atque alijs Caluiniſtis res perſpicua eſt, cum ab ipſo etiam Epiſcoporum nomine, ne dum ſucceſsione, abhorreant. Attamen, ne eorum Eccleſiæ miniſteria minùs, quàm par eſt, æſtimare videamur. Proferant hi ſuos Presbyteros, ſeniores, ac ſuperuigiles: videantq. quàm longè ab Apoſtolicæ ordinationis Regula diſtent; cum illos neque manuum impoſitione, neque vllo Sacramento ordinatos profanæ Plebi eligendos relinquāt. In quo ſanè multipliciter labuntur. Primùm enim grauiter in Apoſtolicam Regulam delinquunt, cum ordinationem Presbyterorum à Sacramento ſeiungunt, quam illi coniunctiſſimam nobis reliquerunt: atque adeò ipſi intimam, ac connaturalem, vt nullus abſque Sacramento Presbyter ordinari valeat. Secundò, cum Presbyteros ſine Sacramento ordinant: id enim apertiſſimè indicat, ita ordinatos Presbyteros omni Spiritus Sancti dono, ac gratia, quæ à Sacramento fluit, carere. Tertiò, cum huiuſmodi ordinationem plebi perficiendam committunt, quæ quod ipſa non habet, certè alteri conferre non poteſt; quo planè diuinum Chriſti inſtitutum euertunt, cum Apoſtolis, ac proinde Eccleſiaſticis tantum Paſtoribus Apoſtolorum ſucceſſoribus, Chriſtus eam poteſtatem contulerit. Quartò, cum nullos habent Apoſtolicos viros, qui ordinādi poteſtatem ab Apoſtolis per ſucceſsionem acceperint: qui enim à plebe electi ſunt, quæ nulla ordinandi poteſtate prædita eſt (vt alias oſtendimus) pro non Electis habentur. Ex quibus tandem infertur: huiuſmodi Presbyteros, ac ſeniores, quādoquidem ab Apoſtolica ordinatione, quàm longè remotiſſimi ſunt, Apoſtolorum ſucceſſores nullo iure nuncupari poſſe.

Quis verò eos, quos ſuperuigiles appellāt (vt ab Epiſcoporum nomine abſtineant) Apoſtolicos eſſe, aut ab Apo-

ſtolica ſucceſsione fluere exiſtimet? Cum ij neque ad diuini Verbi prædicationem, neque ad Eccleſiæ gubernationē vocētur: quæ duo tamen ſunt Apoſtolici Epiſcopatus munera, quę, vt docet Paulus, neceſſariò ab Epiſcopo exquiruntur. Primum enim, ac potiſſimum Epiſcopi officium eſſe, vt diuini Verbi pabula cōmiſſo ſibi gregi adminiſtret, teſtatur Paulus ad Titum 1. vbi Epiſcopalia munera deſcribens, ait. *Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Propriùm verò, ac legitimum id ſibi munus incumbere, vt Eccleſiam ſuam regat, ac ſolicitè illius gubernationi inuigilet, teſtis eſt idem Paulus. Act. 20. *Attendite vobis* (ait) *& vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Cum itaque hi ſuperuigiles, nec vllo prædicationis munere fungantur, nec vllius Eccleſię gubernationem ſibi commiſsā habeant: ſed eorum tantummodò cura ſit, intueri, quo pacto res Eccleſiæ gerantur, & ſi quidpiam in ea prouidendum ſit, ad Synodum referre; ſanè conſtat, eos minimè Apoſtolicos Epiſcopos cenſendos eſse, cum ea munera nō obeant, quæ Epiſcopis ex Apoſtolorum inſtituto demādata ſunt. Quod ſi Presbyteris, ac ſuperuigilibus, qui primos in eorum Eccleſia conſeſsus ſibi vendicant, nihil Apoſtolicæ ſucceſſionis integrum manet: quid Miniſtris, ac Diaconis apud Caluiniſtas, & Lutheranos, in ea reliquum eſſe poteſt; cum his neque legitima miſſio, neque diuina ordinatio ab Epiſcopo peracta ſuffragetur?

Tit. 1.

Act. 20.

Quod verò ad Proteſtātes Anglicanos ſpectat, qui ſuos Epiſcopos proferunt, iure illos ad Apoſtolicam ſucceſſionem pronoco; oſtendant igitur, quo pacto ſuos Epiſcopos à Deo vocatos habeant, qui nulla legitima Eccleſiæ vocatione eliguntur. Edant à quo Apoſtolico Eccleſiæ Prçſule, à Chriſto inſtituto, qua poteſtate, qua vocatione, qua ordinatione electi ad Epiſcopatum appulerint. Quid, quęſo, in his Apoſtolicum demonſtrare valent? Vbinam manuum impoſitio ab Epiſcopis facta, quæ in Epiſcopi ordina-

Digitized by Google

natione, Apoſtolica inſtitutione, requiritur? vbi ordinatio à tribus Epiſcopis peracta? vbi Apoſtolica poteſtas, quę veram ordinationē perficit? Vbi Apoſtolici capitis arbitrium, ac conſenſus? Vbi tādem Apoſtolici Præſules Apoſtolicæ ordinationis, ac poteſtatis hæredes; quando omnia Regis auctoritati committuntur, cui nec manuū impoſitio, nec Epiſcoporum ordinatio, vllo vnquam iure, cōceſſa habetur?

Edant prętereà ipſi Proteſtantium Epiſcopi: Qua auctoritate ad prædicandum prodeant? Vnde euangelizādi munus nanciſcantur? Quis oſtia ad id munus Apoſtolicum obeundum illis aperiat? Quem ad Epiſcopale officium illos mittentem agnoſcant? Planè cum hæc nulla apud illos Apoſtolica poteſtate fiant; cur ſerò ſaltem non intelligunt, ſe Deo non mittente currere; ac nemine deferente, vltrò Apoſtolicum munus ſibi rapere? quos duriùs, tam Propheticis, quàm Euangelicis verbis exagitare poſſem: niſi Regis amantiſſimi me reuerentia cohiberet, & melioris frugis ſpes de ipſis in animo concepta, ſtilum demulcere cogeret. Interea, agnoſcant ſe diuino hoc Apoſtolicæ ſucceſſionis ſigno apertè deſtitui: quo fit, vt cum vera Eccleſia, abſque legitima Epiſcoporum, ac Pontificum ſucceſsione eſse non poſsit, in qua vera Fides, ac Religio, tanquam in diuino quodam domicilio tuta, ac ſartatecta maneat: quādoquidem ij vtraque hac neceſsaria Pōtificum, & Epiſcoporum ſucceſsione carent; nulla quoque apud eos vera Eccleſia eſse poſsit.

At quid pluribus opus eſt? Edāt Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, & quotquot ſibi veram Religionem vſurpāt; edant, inquam, Eccleſiarum ſuarum originem; Tertulliani verbis vtar: *Euoluāt ordinem ſuorum Epiſcoporum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem: vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerint auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Apoſtolicæ Eccleſiæ cenſus ſuos deferunt.* Nam quemadmodùm ea Eccleſia verè Apoſtolica cenſeri debet; quæ ab Tertul de præſc. Heret. c. 32.

Aa 2 Apo-

Apoſtolis legitima ſucceſſionis linea, ac Paſtorum ſerie deducta, ab ijs originem ſe accepiſse demõſtrat: ita ſi quæ ab hoc ſucceſsionis ordine apertè deflectit, neque vllam Paſtorum ſeriem Apoſtolica ordinatione confectam exarare valeat, qua legitimè inſtitui, ac gubernari, atque Apoſtolica cenſeri potuerit: planè hoc ipſo titulo ſe ab Apoſtolis extraneam eſse declarat, cum nullam ab Apoſtolis, neque inſtitutionem, neque ſucceſsionem habeat.

Id verò omnibus perſpectum eſt, Lutheranorũ, & Caluiniſtarũ Eccleſias nullo ordine, nulla Paſtorum legitima ordinatione, nulla temporum ſerie, nullo denique ſucceſsionis vinculo Apoſtolis colligari. Nam Lutherum nouimus circa annum Domini 1517. Romanam Eccleſiam, Pontificem Maximum, omnemq. Apoſtolicam doctrinam, ſumpto ab Indulgentijs initio, Vvittembergæ in Saxonia oppugnare cœpiſse: atque illic pręcipuã Eccleſiæ ſuę ſedem collocaſse. Nec longè poſt ſcimus Caluinum circa annũ 1522. Geneuam petijſſe; atque Vrbis illius Epiſcopatum, expulſo inde nuper Catholico Epiſcopo, Clero, ac vera Religione profligata, inuaſiſſe; ibique Eccleſię ſuę Metropolim conſtituiſse. Attamen à quo Apoſtolico viro, ac Apoſtolorum ſucceſsore, tàm Lutherus, quàm Caluinus miſsi fuerint; quis illis in eas Eccleſias ius dederit; quis Paſtores inſtituerit; vnde eorum Eccleſiæ ab Apoſtolis originem duxerint; id omninò ignotum eſt: nec ipſi vllam huiuſmodi Eccleſiarum ſuarum, aut inſtitutionem, aut ſucceſsionem Apoſtolicam demonſtrare poſsunt.

Geneuenſem Eccleſiam nos ipſi vidimus, ſub Theodori Bezę paſtoratu ingemiſcentem: neque nobis ignotũ eſt, quo nouo fundatore cœperit; quis errorum, ac hęreſum illi principia adminiſtrauerit; quis Caluiniſticã illi Religionem propinauerit; quo tempore Catholicam Fidem expulerit, ac Apoſtolica eſse deſierit. Hęc oculis perſpicua ſunt. Vix enim nonaginta annorum tempus elapſum eſt, poſtquàm ea antiquam Fidem, ac Religionem repudiauit,

&

& Apoſtolicum iugum excuſſit. At neque nobis obſcurum eſt: Fundatores, ſeu, vt verius dicam, corruptores ſuos, nulla Apoſtolica auctoritate fretos, quin etiam omni Eccleſiaſtica poteſtate deſtitutos, auitam, atque Apoſtolicã illi Fidem, ac Religionem eripuiſſe: tum nullo Apoſtolicæ ſucceſsionis titulo, ius ſibi in eam Eccleſiam arripuiſſe. Quibus meritò Tertullianicam increpationem obijcimus, de præſcrip.Hæret.c.37. *Qui eſtis? quando, & vnde veniſtis? quid in meo agitis,non mei? Quo denique* (Luthere) *iure, ſyluã meam cædis? Qua licentia* (Caluine) *fontes meos tranſuertis? qua poteſtate* (Beza) *limites meos commoues? Mea eſt poſſeſſio: quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis auctoribus, quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum; ſicut cauerunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo.* Tertullian.

Venio ad poſtremum Apoſtolicæ ſucceſſionis ſignum, quod in vera, & Apoſtolica doctrina collocauimus. Hoc (Lector) Caluiniani, hoc Lutheriſtę, hoc Proteſtantes, hoc quotquot nobiſcum de Religione pugnant, velut legitimũ docent, prædicant, vrgent, poſtulant. Vltrò igitur illis, quod petunt, dandum eſt: Cum verò Apoſtolicam doctrinæ ſucceſſionem illi adeò extollant, commẽdent, ac velut propriam ſibi vendicent, vt eam veram ſe Eccleſiam poſſidere putent: ex præcipuis eorum doctrinæ capitibus, quæ tum ex eorũ libris, tum ex Iacobi Angliæ Regis Apologia; tum denique ex eorum Fidei confeſſionibus, & Catechiſmis decerpſimus: num res ita ſit perfunctoriè explorandum eſt: Etenim ex eorum examine, & collatione cum antiqua, & Apoſtolica doctrina num hi Apoſtolis, aut alijs extra Apoſtolos in fidei doctrina ſuccedant, facilè tibi perſpectum erit.

Primùm igitur. Caluiniſtarum, Puritanorum, Proteſtantium, ac Lutheranorum doctrina eſt: Baptiſmum non eſſe ad ſalutem neceſſarium: Lutherus de captiu.Babyl. c.

de

firmorum c.4. Leo Pap.ep.80. Ex Concilijs Turonenſe, 3. c. 22. Rhemenſe c. 12. Cabilonenſe 2. c. 32. Mogunt. c. 26. Vvormatienſe c. 25. Lateranenſe. c. 21. Florent. in doct. de Sacram. Trident. ſeſſ. 14. can. 6. Illi igitur non Apoſtolis; ſed Nouatianis, Iacobitis, Armenis, nouis Manichæis, & Albigenſibus ab Eccleſia damnatis ſuccedunt.

Doctrina eſt Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, & aliorum: Matrimonium non eſſe nouæ legis Sacramentum. Luther. de capt. Babyl. c. de matrim. Calu. l.4.inſt. c.19. quæ olim Nicolaitarum hæreſis fuit ab ipſis Apoſtolis reprobata, vt tradit Epiphanius hæreſi 25. ac præterea Gnoſticorum, referente Clemente Alexandrino l.3.ſtrom. Valentinianorum, Irenæo l. 1.c.32. Seuerianorum, Niceta l.4.orth.fid.hær.17. Hydroparaſtarum, Theodoreto l. 1. hæret. Fab. Eneratitarum, Irenæo, Epiphanio, Theodoreto de Tatiano. Marcionitarum, Tertull.l. 1. cont. Marcionem. Manichæorum, Epiphanio, Auguſtino, & Theodoreto de illorum hęreſibus. Priſcillianiſtarum, Leone I. epiſt. 17. c.7. quos omnes Eccleſia cum his hæreſibus damnauit. Ambroſ. de Abraham Pat. l.1. c.7. & l.1. de Viduis. Auguſt. de nuptijs, & concup. l. 1.c.10. & 21. & de fid. & oper. l. 1.c.7. Leo I. ep. 92. ad inquiſit. Ruſtic. c.4. atque alij antiqui Patres. Ex Concilijs Gangrenſe can. 1. Bracarenſe c.11 Tolet. 12. c. 8. Florentin. in literis Vncinis de Sacramentis. Ex quo perſpicuum eſt. eos non Apoſtolis, ſed Nicolaitis, Gnoſticis, Valentinianis, Seuerianis; Hidroparaſtatis, Eneratitis, Marcionitis, Manichęis, ac Priſcillianiſtis Hęreticis ſuccedere.

Doctrina eſt Lutheriſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, Caluiniſtarum, atque aliorum. Pœnitentiæ Sacramentum, quo ex Chriſti inſtitutione peccata delētur, nullum eſſe. Lutherus de captiu. Babyl. c. de Baptiſ. Melanchton in loc.com. Muſculus in loc. com. c. de Baptiſmo. Caluin. l. 4. Inſtit. c. 19. Kemnitius in exam. Cōc. Trid. fol. 931.

Quod

termiſsis, reliqua eorum doctrinæ capita, ad antiquorum dumtaxat Hæreticorum dogmata prouocabimus.

Hominem non eſſe liberi arbitrij docuerunt Simon Magus, vt refert Clemens Rom. lib. 3. Recognit. Manichæi, Auguſtin. cont. Fortunatum, & Chryſoſt. hom. 45. in Ioan. Priſcillianiſtæ, idem Auguſt. hęreſi 70. Floriani, idem Auguſt. de gratia, & lib. arb. Mahometani, Leo Imperator ep. ad Omarum Sarracenorum Regem.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus in aſſertionib. art. 36. & de ſeruo arbitrio. Melanchton ad c. 8. ad Rom. edit. 1. Caluinus lib. 2. Inſt. c. 3. § 7. & 11. qui omnino liberum arbitrium tollunt.

Deum malorum auctorem aſſeruerunt Simon Magus, teſte Vincentio Lirinenſi c. 34. Marcioniſtæ, Irenæo lib. 1. c. 29. Floriani, Euſebio l. 5. c. 19. Coluthiani, Philaſtrio de Coluthianis. Albigenſes, Cæſare Herſtebachio lib. 5. c. 21.

Caluinus ſuccedit lib. de ęterna Dei prædeſtinatione fol. 916. & lib. 1. inſtit. c. 18. Marloratus ad cap. 9. epiſt. ad Rom. Beza in ſum. Chriſtianis. cap. 2. aphoriſ. 2. & in abſterſione calumniarum Heshuſij ad primam cal de prouid. Dei, & cæteri Caluiniſtæ.

Duas in Chriſto perſonas ſtatuerunt primùm Paulus Samoſatens, teſte Georgio Cedreno in compendio Hiſtoriarum, deinde Neſtoriani, vt patet ex Concilio Epheſino coacto cont. Neſtorium, & ep. Cyrilli ad ipſum Neſtor.

Caluiniſtæ ſuccedunt. Calu. lib. 1. inſt. c. 13. §. 9. & 23. Beza in opuſculo ad Brentij argumenta pag. 513. & 638.

Chriſtum ignorantem finxerunt Gnoſtici, teſtante Irenæo lib. 1. c. 17. Celſus apud Origenem lib. 2. Arriani apud Athanaſ. orat. 4. contra Arrianos. Agnoitæ apud Gregor. lib. 8. ep. 42.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus conc. in Natal. Domini. Bucerus ad c. 2. Lucæ. Caluinus in Harm. ad c. 3. Matth. v. 16. & ad c. 24. v. 36. Carolus Molinæus in harmonia. Gallaſius in Irenæum lib. 2. c. 49.

Eunomiani vſque adeò bonis operibus infenſi erant, vt nullum quantumuis indignum facinus ijs obfuturum docerent, qui illorum Fidei participes fierent. Teſtis eſt Auguſtinus hęreſi 54. Ita Prædeſtinati, Valentiniani, Pſeudoapoſtoli, Begardi, referente Irenæo, Auguſtino, Bernardo Lutzemburgo, & Aluaro de planctu Eccleſiæ.

Succeſſit Lutherani, & Caluiniſtę. Lutherus de captiu. Babyl. c. de Baptiſmo, de Votis monaſticis, & ſerm. de piſcatura Petri. Melanchton in loc. comm. Aſmdorfius lib. cont. Georgium Maiorem. Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 19. & 20.

Verum Chriſti corpus non poſſe in Euchariſtia manducari, olim ſenſerunt Capharnitæ Io. 6. Simon Magus, & Menander, teſte Ignatio apud Theodoret. Dial 3. Manichæi, Leone ſer. in 4. quad. Armenij, Euthymio p. 2. Panop. tit. 20. Bogomili ex eodem tit. 23 Iconomachi ex Conc. Niceno 2. act. 6. Pauliciani ex Euthymio in Panop. p. 2. tit. 21. Berengariani, ex Guitmundo, & Lanfranco contra Berengarium. Noui Manichæi apud Rodulphum Ardentem Dom. 8. poſt Trin. Petrobruſiani, & Henriciani apud Pet. Cluniacenſ. tract. de Sacerdotio. Albigenſes apud Cæſarem Herſterbachium lib. 5. c. 22.

Succedũt Caluiniſtæ. Caluinus in defenſ. 2. cõt. Vueſtphalum, & admonitione vltima. Petrus Martyr in diſput. Oxonienſi. Beza contra Brentium.

Miſſam eſſe ſacrificium negarunt olim Bogomili, vt refert Euthym. in Panop. p. 2. tit. 23. c. 17. Pſeudoapoſtoli. Petrus Cluniacenſ. ep. 1. contra Petrobruſianos. Vualdenſes, Guido de Vualdenſibus. Lollardi, Trithemius in Chronico Herſaugienſi anno 1315.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus in colloq. conuiual. fol. 352. & ad c. 66. Eſa. Caluinus l. 4. Inſt. c. 18. Herbrandus in poſteriori diſputat. de Miſſa.

Caſtitatis Euangelicum conſilium reprobarunt Nicolaitæ, vt teſtantur Iræneus, Epiphanius, & Auguſt. de Nicolaitis.

colaitis. Gnoſtici, Epiphanius hæreſ. 26. Vigilantius, Hieron.cont. Vigilantium c. 1. Heluidius, idem aduer. Heluidium c. 10. Manichæi, Auguſt. lib 30. cont. Fauſtum c. 4. Pſeudoapoſtoli à Sagarello orti, Guido de illorum erroribus.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtę. Lutherus contra Ambroſium Catar. & ad cap. 7. prioris ad Cor. Bucerus ad cap. 1. Matth. Caluin. l. 4. Inſt. c. 13.

Monaſticam vitam damnarũt olim Donatiſtæ, teſte Optato lib. 2. contra Donatiſtas. Vigilantius, Hieronymo cõtra Vigilantium. Petilianus, cont. quem ſcribit Auguſt l. 3. c. 4. cont. Petilianum. Lampetiani, apud Damaſcenum de hæreſibus. Vvaldenſes, apud Alphonſum à Caſtro contra hæreſes.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus de Votis Monaſticis, & in c. 7. prioris ad Cor. Melanchton in Apologia de Votis monaſt. Calu. lib. 4. inſtit. cap. 13. Magdeburgenſes cent. 10. c. 4.

Catholicam Eccleſiam toto orbe periiſſe, & apud ſe tantùm eſſe, olim aſſeruerũt Donatiſtæ, vt teſtatur Optat. cont. Donatiſt. lib. 12. & 6. & Aug. hæreſi 69.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus in colloquijs Latinis tom. 2. c. de Patribus. Melanchton ad cap. 3. prior. ad Cor. Calu. l 4. Inſt. c. 2. §. 1.

Aeriani Epiſcopos à Presbyteris nulla differentia diſcernendos eſſe docuerunt, vt teſtis eſt Epiphan. hęreſi de Aerianis. Hoc ipſum Pauliciani, Donatiſtę, Vualdenſes docuerunt.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtę. Lutherus in capt. Babyl. cap. de Ordinis Sacramento, & aduerſus falsò nominatum ordinem Epiſcoporum. Melãchton in 2. edit. loc. comm. fol. 91. Caluinus l. 4. inſt. §. 2. & ep. 190.

Carpocratiani ſe ipſos natura filios Dei eſſe exiſtimarunt, atque in vtero ſanctificatos, vt refert Clem. Alex. lib. 3. ſtrom Idem & Pelagiani, Armenij, Albigẽſes, Beguardi.

Digitized by Google

Succedunt Caluiniſtę. Caluinus de Vera, genuinaque Eccleſię reformat. in appendice de Vera Eccleſia, & admonit.2.cont.Vueſtphalum. Beza in Creophagia fol.307. In confeſſ. c.48. & de Cœna Domini cont. Vueſtphalum: vbi contendunt omnes Fidelium filios adhuc in vtero incluſos eſſe ſanctos.

Omnia peccata eſſe paria, aſſeruerunt olim Iouinianiſtę, teſte Hieron. cont.Iouinianum l.2. c.15. & 16. & Auguſt. hęreſ.82. Idem docuerunt Eunomiani, Hiberni, Carpocratiani.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus in capt. Babyl cap.de Baptiſmo, & in reſolutionibus ſuper propoſitiones ſuas. Melanchton in loc. comm. de diſcrimine peccati mortalis, & venialis. Caluin. l. 2. Inſtit. c.8. §.19. & 28. Bullingerus Decade 3. ſerm. 10. vbi omnia æquè mortalia peccata eſſe ſtatuunt.

Ieiunia Eccleſiaſtica contempſerunt Vualdenſes, vt refert Guido de Vualdenſibus. Item Meſſaliani, Iouinianiſtæ, Lollardi, Begardi.

Succedunt his Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus de doctrinis hominum vitandis. Caluin.lib.4.inſt.c. 12. §.20. confeſſio Heluetica c.24.

Euſtathiani, & Manichæi, referente Socrate lib.2. c.33. & Ambroſ. ep 83. pręſcripta ab Eccleſia ieiunia ſpernentes Dominicis tantùm diebus ieiunabant.

Succedunt per omnia Caluiniſtæ, vt conſtat ex praxi Geneuenſis Eccleſiæ.

Sacramentum Confirmationis nihil eſse, docuerũt Nouatiani, teſte Theodoreto l.3. Hæret. fabul. Idem quoque ſenſerunt Arriani, vt patet ex Conc. Nicæno can.31. Arab. & Conſtantinop.1. can. 7. Donatiſtæ ex Optato l.2. cont. Parmenianum. Armenij ex Guidone de erroribus Armeniorum. Flagellantes ex Bernardo Lutzemburgo. Vualdenſes, ſeu Picardi ex Aenea Syluio.

Succedũt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus in capt. Babyl.

Digitized by Google

Babyl. Melanchton in loc.comm.Calu. l.4. Inſt.c. 19. §.5. Magdeburgenſes cent.4.c.6. fol.422.

Chriſtum in Euchariſtia non eſſe adorandum, ſenſerunt Donatiſtæ, vt refert Optatus l.2. Item Suriani, Cotorelli, Albigenſes, Beguardi, Picardi.

Succedunt Caluiniſtæ. Caluinus de Vitandis ſuperſtitionibus. Beza de Cœna Domini contra Vveſtphalum. Boquinus in defenſione. Herborandus diſput.de noua Relig.theſi 43.

Purgatorium damnarũt olim Aeriani, vt teſtes ſunt Epiphanius, Auguſtinus, Iſidorus, Damaſcenus, vbi de Aerianis. Idem & negarunt Armenij apud Guidonem de Armenijs. Græci, ac Moſcouitæ apud eundem; Petrobruſiani, & Henriciani apud Bernardum ſerm. 66. ſuper Cant. & ep.240. Vvaldenſes apud Eymericum tract. 2. q. 14. Flagellantes apud Bernardum Lutzemb.

His ſuccedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus ep. ad Vvaldenſ. & de Miſſa priuata. Caluinus lib.3. Inſt. c. 5. §.6. Bullingerus Decad.4. ſerm.10.

Altaria ad vsũ ſacrificij Dominici erecta euertebat Iulianus Apoſtata, referente Theodoreto lib.3. c.11. Hiſt. & cum ipſo Arriani. teſte Athanaſio ep. ad omnes orthodoxos, Euſtatiani, Donatiſtæ, Manichæi, Meſſaliani, Petrobruſiani, Albigenſes.

Lutherani, & Caluiniſtæ ſuccedunt. Lutherus lib. de formula Miſſæ pro Eccleſia Vuittembergenſi. Io. Caluinus l.4. inſt. c.18. §.12. Beza ep.8.

Chriſti, & Sanctorum Imagines eſſe colendas, improbarunt Arriani, vt patet ex Nicena 2. Synodo act.6. Iulianus Apoſtata apud Cyrillum Alex. lib.6. cont. Iulianum, Iconoclaſtæ, Bongomili, Vvaldenſes.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Melanchton in locis comm. c.de Decalogo. Caluin.lib.1.Inſt. c.11.§.2. confeſſio Heluetica c.4.

Sanctorum interceſſionem, & inuocationem, velut ſuper-

perſtitioſam reiecerunt Catari, teſte Guidone de Cataris. Idem præſtiterunt, & Vualdenſes, Petrobruſiani, Vigilantius, Claudius Taurinenſis.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus in Poſtilla maiori, Dominica à Trinit. 7. Caluinus lib. 2. Inſt. cap. 8. §. 16. Beza reſponſione ad Selneucri calumnias.

Martyrum reliquias abominabantur Marcioniſtæ, vt teſtatur Magnes lib 4. contra Theoſtenem. Hoc ipſum, & Manichęi, Iulianus Apoſtata, Conſtantinus Copronymus, Vigilantius.

His ſucceſſerunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus in poſtilla in die Exaltationis S. Crucis. Caluinus admonit. de Reliquijs. Et Caluiniſtæ, Pictauij S. Hilarij, Lugduni S. Irenæi, Turonibus S Martini reliquias exuſserunt, vt refert Laurentius Surius in comment. de anno 1562.

Sanctos minimè venerandos eſſe docuerunt Manichæi, teſte Auguſt. contra Fauſtum Manichęum l. 20. c. 4. Iulianus Apoſtata, Vigilantius, Mahometus in Alcorano, Conſtantinus Copronymus.

Succeſſere Lutherani, & Caluiniſtę. Lutherus ad Euangelium Dominicæ 23. Trinit. Calu. l. 1. Inſt. c. 11. §. 11. & c. 12. §. 1. & 2.

Romani Pontificis primatum oppugnarunt olim Anatolitæ, vt colligitur ex Epiſtolis Leonis Papę ad Martianũ Imperator. Photiniani, Vualdenſes, Sagarelliani, Fratricelli, Taboritæ.

Succedunt Lutherani, & Caluiniſtæ. Lutherus in reſolutionibus, & in captiu. Babyl. Melanchton lib. de poteſt. Papæ Caluinus lib. 4. Inſt. c. 6. Magdeburgenſes in ſingulis centurijs circa finem.

Plurima alia eorum doctrina capita prætereo, quibus ſe ab Apoſtolica ſucceſſione prorſus diſſutos oſtendunt. His tamen, quæ obiter indicauimus, expergiſcere (Lector) animum excute: quali hactenus in Eccleſia verſatus fueris; cuinam doctrinę animum addixeris; qualia dogmata colueris;

lueris; quales tandem tibi fidei Patres adſciueris; vel nunc ſaltem animaduertens, erubeſce: ſi Lutheranis, ſi Caluiniſtis, ſi Puritanis, ſi Proteſtantibus Religione coniunctus es. En (Lector) quos doctrinæ Patres, ac maiores ſibi Proteſtantes, Puritani, ac reliqui Nouatores adſciſcunt, dum à Catholica ſe doctrina diſſuunt: non alios certè, quàm Hæreticos, ac Hæreſiarchas olim ab Eccleſia damnatos: quorum diſperſas, ac iam ſepultas hæreſes diligentiſsimè collectas, ac velut ex alta humo defoſſas, tanquam propriam doctrinæ hæreditatem adierunt. Hi ſunt (quod flēs dico) Lutheranorum, ac reliquorum Fidei, ac Religionis Patres, & Apoſtoli, quos hi ſuæ Fidei, ac doctrinæ ſatores (ignorantes fortè) ſuſpiciunt; eorum memoriam extumulant; ab illorum ſe doctrina genitos agnoſcunt: quorum tandem ij ſe hæredes, ac ſucceſſores profiteri debent. Nō hæc ſcommata, aut ſarcaſmi ſunt, aut eo animo à me prolata, vt ijs quàm minimum lædi debeāt; abſit: Chriſti charitas vrget nos, qua illos in Domino maximè, quoad fieri poteſt, amplectimur. Vtinam idem cum Apoſtolis, & cum Catholica Eccleſia nobiſcū ſapiant, ſentiant, doceant, vt veri eorū in Apoſtolica doctrina ſucceſſores eſſe poſsint: quid magis optandum? Apoſtoli verbis vtar: *Certè maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam fratres meos in veritate ambulare.* Id ſummis votis expeto; atque vt voti compos fiam, Deum Opt. Max: obnixè rogo. Io. ep. 3.

REGVLA DECIMA.

F*Irmiſsimè tene, & nullatenùs dubita*, (Qui ad veræ, ac Apoſtolicæ Religionis amplexum feſtinas) *veram Religionem, vera ſemper ſanctimonia ornatam, ac veris miraculis opportunè à Deo illuſtratam eſſe: ac propterea veram Eccleſiam non eſſe, quæ omni, tum ſanctitatis, tum miraculorum gloria deſtituitur.*

Maximum in hac Regula (Lector) ſeſe tibi offert veræ Re-

Religionis agnoſcendæ argumentum; quod non leue, aut futile; ſed diuinis, atque Apoſtolicis, iisq. ampliſsimis teſtimonijs roboratum, Dei Eccleſiam cuique conſpicibilem, quaſi digito demonſtrat.

Neque nos longè primam huius rei probationem petimus. Apoſtolos enim, quibus à principio Chriſtianæ Religionis cura à Domino demandata fuit; cum ea in primis ſolicitudo premeret; vt certis quibuſdã notis, velut lineis depictam hominibus veræ Eccleſiæ imaginem oſtenderẽt, quibus illam homines, & ab Hæreticorum ſectis, quæ ſe ipſas plerumq falſa illius veſte contegunt, diſcernere, atque eam certo ſigno agnoſcere, ac tutò amplecti poſſent; inter illuſtriora ipſius ſymbola primo loco ſanctitatem, velut pręclariſsimum veræ Eccleſiæ teſtem, omniq. exceptione maiorem collocarunt; cùm ſanctã in ſymbolo, quod quotidie in omnium ore verſatur, cunctis credendam eſſe communi conſilio decreuerunt: ita in ſymbolo ſcribentes: *Credo ſanctam Eccleſiam:* vt hoc veræ ſanctimoniæ ſigno, tanquam certiſsimo teſtimonio munitam, nobis probatam relinquerent.

Vides (Lector) non vulgarem, aut ignotam à nobis huius Regulæ probationem inſtitui: ſed quæ ab Apoſtolica doctrina orta, ſuo pondere tui ipſius animum iuſtè ad ſui admirationem, & amplexum pertrahere debeat.

Id igitur, cum ex Apoſtolis exploratum ſit; ſanctitatem certam, ac indubitatam eſſe veræ Eccleſiæ notam, quę ea ab ijs, quæ verę Eccleſiæ non ſunt, dignoſci debet, illud quoque tibi perſuaſum ſit, oportet, veram ſanctitatem, pręterquàm in vera Eccleſia reperiri non poſſe: Quod ipſi ſanè rationi conſentaneum eſt. Quæ enim ſanctitas ijs ineſſe poteſt, qui à Chriſto deſciſcunt? & à Catholicę Eccleſiæ gremio ſeparãtur? Hinc Fulgentius de Fide ad Petrum ait: *Firmiſsimè tene, & nullatenùs dubites, quemlibet hæreticum, vel ſchiſmaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggre-*

Fulg. de fid. ad Per. c. 39.

gatus,

gatus, quant aſcũque eleemoſynas fecerit; & ſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. Quæ cũ ita ſint, iam nobis exponendũ ſupereſt: quæ nam illa ſanctitas ſit, quæ & homines à fide exteros ad certam veræ Eccleſiæ agnitionem ducit, & fidei domeſticos in eiuſdem amplexu confirmat.

Nam, quod Caluinus, & Lutherus, quibus (vt arbitror) ipſi Proteſtantes ſuos calculos deferunt, Eccleſiam idcircò ſanctam appellari volunt, quòd ex ſolis Electis, ac Prædeſtinatis ſit collecta: tam ab Apoſtolico ſenſu diſſentaneum eſt, vt omnem etiam tum Apoſtolicarum, tum Euãgelicarum ſcripturarum veritatem euertat; quæ Eccleſiam, non ex Electis tantummodò, ſed etiam ex Reprobis conſtare præclariſsimè docent, vt in quinta Regula probatum fuit.

Expende (Lector) num hæc illorum explicatio ſubſiſtere valeat, quæ tam apertè cum ratione pugnat, vt contradictoria de eodem affirmet? Nam ſi Eccleſia propterea ſancta eſt, quia ex ſolis Sanctis, & Prædeſtinatis conſtatur: Dauid quandiù homicidij, & adulterij crimine obſtrictus fuit, profectò ſanctus non erat; (neque enim lethale peccatum, quod ſanctitatem expellit, ſimul cum ſanctitate in eadem ſede eſſe poteſt, niſi nouo, ac inaudito fœdere contraria ſimul conciliari poſſe ſentiant) quem tamen Prædeſtinatum fuiſſe nemo ignorat. Erat igitur in Eccleſia, quia erat Prædeſtinatus. Non erat in Eccleſia, quia non erat ſanctus. Erat ergo, & non erat in Eccleſia. Latro etiam cum Chriſto in cruce pendens, non erat in Eccleſia, dum latrocinijs operam daret. Erat in Eccleſia, cum ipſum fuiſſe de numero Prædeſtinatorum Chriſtus ipſe declarauerit, cum eidem dixit: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23. Fuit igitur, & non fuit in Eccleſia. Innumera huiuſmodi exempla proferri poſſent, quæ falſam ipſorum ſententiam demonſtrant; Eccleſiamq; nõ ea ratione, quòd ex ſanctis tãtùm, ac Prædeſtinatis collecta ſit; ſed alia, ac

Cc præ-

præſtantiori prorſus, ſanctam appellari apertè conuincunt.

Ijdem quoque, cum veram Eccleſiæ ſanctitatem prorſus, aut inuiſam, aut ignotam habeant, totam Chriſtiani hominis excellentiam, ac ſanctimoniam in fide collocant: atque inde Eccleſiam ſanctam appellari credunt; quòd in ea vera fides eluceat: præter quam nullam, aut legis diuinę obſeruantiam, aut cæleſtium virtutum ornamentum neceſſarium eſſe ducunt. At quamquàm Fides aliquam homini ſanctimoniam conferat, qua ſcilicet eum, vel à pollutis ſimulachrorum cultoribus, vt olim Dei populum, diſcernit; vel Eccleſiæ corpori per Baptiſmi Sacramentum connectit, & in membrorum Chriſti ſocietatem vocat: qua ratione ſcripturæ ſępę, tàm veteris, quàm noui Teſtamenti fideles ſanctos appellat. Hinc enim Tobias aiebat: *Filij*
Tob. 18. *Sanctorum ſumus*. Et Apoſtolus paſſim tum ad Romanos, tum ad Corinthios ſcribens: Fideles omnes ſacro Baptiſmate ablutos, abſq; diſcrimine ſanctos vocat: *Eccleſia Dei*
1. Cor. 1. (inquit) *quæ eſt Corinthi cum omnibus ſanctis, qui ſunt in vniuerſa Achaia*.

Hæc tamen ſanctitas, quæ à fide proficiſcitur, cum ſanctificationis tantum initium, ac fundamentum ſit; ſine quo nulla vera ſanctitas homini ineſſe poteſt: idq. tantùm homini præſtet, quòd eum ab Infidelibus diſcernit, & ad veram, ac perfectam ſanctimoniam parat: ſanè perfecta ſanctitas eſſe non poteſt, qualem in Eccleſia eſſe oportet, vt ſancta dicatur; atque hoc teſtimonio à ſectis diſcernatur: præſertim cum in eo tota ſcripturarum, & antiquorum Patrum fides apertè conſpiret: hominem non ſola fide, ſed operibus potiſſimùm iuſtificari: quid enim luculentiùs do-
Iacob. 2. cet Iacobus, cum ait: *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem dicat quis ſe habere, opera autem non habeat, nunquid fides poterit ſaluare eum? Videtis, quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm*. Quid frequentiùs clamat Apoſtolus, quàm fidem à charitatis operibus diſiunctam nihil homini
1. Cor. 13. ad ſalutem prodeſſe: *Si habuero* (inquit) *omnem fidem, ita*

vt

vt montes trãsferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: quàm eos dumtaxat apud Deum iuſtificari, qui non auditores tantùm, ſed factores ſunt legis? Quod ſi is ad Romanos ſcribens dixit aliquando: Hominem non ex operibus legis, ſed ex fide iuſtificari. Id planè eo ſenſu intelligendum eſt, quo idem ad Galatas ſcribens, ait. In Chriſto IESV, neque circumciſionem aliquid valere, neque præputium, ſed fidem, quæ per charitatem operatur. Nam & ex ipſo capitis contextu perſpicuum eſt, eum de operibus veteris legis, ac præſertim de Circumciſione agere; quę Chriſti Euangelio abroganda erat: vt etiam obſeruat Sedulius ita ſcribens: *Sine quibus operibus legis Apoſtolus iuſtificari hominem per fidem dixiſſe credendus eſt; ſcilicet, Circumciſionis, & Sabbathi, & cæterorum huiuſmodi: non abſque iuſtitiæ operibus, de quibus B. Iacobus dicit: Fides ſine operibus mortua eſt.*

Rom. 3. 8. 5.

Galat. 5.

Sedul. in c. 3. epiſt. ad Rom.

Quid verò magis ipſa Euangelica oracula inculcant: quàm nulli prorſus, quantumlibet Chriſtiana fide prædito, niſi per legis obſeruantiam, ac operum iuſtitiam ad vitam aditum patere? *Si vis* (inquit Chriſtus adoleſcenti) *ad Vitam ingredi, ſerua mandata:* neque vlli dubium eſt, hũc Adoleſcentem recta fide imbutum fuiſſe: cui tamen mandatorum opus velut neceſſarium prędicatur.

Matth. 19.

An non audis (Lector) Chriſtum ijs etiam, qui rectam fidem aſſecuti ſunt, æternum interitum minari, niſi fidem cum operibus coniungant? *Multi* (inquit) *dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? quibus cõfitebor, quia nunquam noui vos. Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Hos verè Fideles fuiſſe quis ambigat; cum Prophetiæ ſpiritu excellerent, dęmones eijcerent, & in Chriſti nomine miracula multa patrarent; quæ ſine Chriſti fide fieri non poſſunt? Porrò ſi hi, qui fidem habuerunt, ob eorum ſcelera è Chriſti Regno eijciendi ſunt; quis ſola fide hominem iuſtificari contendat?

Matth. 7.

Matth.25. An non decem Virgines fidei lampades geſtabant, quibus ad cęleſtis ſponſi nuptias properabant? Ex quibus tamen, quæ legis iuſtitia vacuas, ac ſine operibus extinctas gerebant, è ſponſi nuptijs expulſæ fuerunt. Sic Origenes:

Orig. tract. 32. in Mat. *Qui profitentur quidem* (inquit) *Fidem in IESVM, non autem præparant ſe bonis operibus ad ſalutem, aſsimilantur Virginibus fatuis.*

Quis ſine fide Chriſtum inuocat? cum apud Apoſtolū

Rom. 10. ſcriptum ſit. *Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt?* Etenim diuini nominis inuocatio, cum inter præcipuos Religionis actus annumeretur, ſine fide eſſe non po-

Matth. 7. teſt. At quandoquidem Chriſtus ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, ipſe intrabit in Regnum Cælorum.* Quo ſanè exploratum eſt; multos, qui diuini nominis inuocationem cum fide coniunctā habent, è cæleſti Regno expellendos fore. Quinam iſti ſunt, qui vniuerſos ſola fide iuſtificari autumant? pręterquam ij, de quibus Hierony-

Hieron. in c. 3. Mich. mus ita ſcribit: *Populum Dei errore decipiunt, & hoc faciunt, vt comedant eos, vel ſimpliciter in accipiendis muneribus, vel miſticè in occiſione animarum eorum; & promittunt eis pacem, & Regna cæleſtia; & dicunt: Non eſt neceſſe, vt viuas continenter, & ſanctè; habeto fidem, quam docemus, & omnia promiſſa Domini conſequeris: quæ loquentes, magis aduerſus eos irā Dei concitant, & prælium in illos ſanctificant.* Quapropter ſibi Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, &c. Magiſtri à Hieronymo, ſed magis à Deo caueant: cuius gloriam, quę ex operum luce in ipſum redundat, ipſis operibus ab hominis iuſtificatione ſublatis, conuellunt.

Hęc obiter attigiſse ſufficiat, vt ex his (Lector) agnoſcas; veram Eccleſiæ ſanctitatem in ſola fide reponendam non eſſe.

Vera igitur, ac perfecta Eccleſiæ ſanctitas, non ex Fide tantummodò; ſed magis ex integra diuinæ legis, & Euangeli-

gelicorum conſiliorũ obſeruantia, ac demum ex perfecta Chriſti imitatione venanda eſt: in qua vera Eccleſia ita ſuos fideles omni tempore exercet; vt nunquam viros ſanctimonia illuſtres, ac perfectiſsimos Chriſti imitatores alere deſinat, quibus ſe ipſam, & ſanctam, & veram Eccleſiam eſse demonſtret. Nam etſi in Eccleſia quoque mali ſint, haud ſecus (vt Auguſtinus ait) quã mali humores in corpore; ij tamen non ita Eccleſiam contaminant, quin ex nobiliori ſui parte ſancta ſit, & ſancta appellari debeat. Aug. tract. 3. in cano. Ioan.

Cęterum (Lector) ne hanc Eccleſię ſanctitatem, quam in ſtudioſa omnium virtutum exercitatione, omnium ſeculorum conſenſus ſemper conſtituit, tibi abſque teſtimonio perſuadere videar. Audi Apoſtolorum Principem, fideles his verbis admonentem: *Vos autem* (inquit) *curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem; in virtute autem ſcientiam; in ſcientia autem abſtinentiam; in abſtinentia autem patientiam; in patientia autem pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem.* 2. Pet. 1.

En præclara virtutum ornamenta, quibus hominum cõuerſatio poſt Fidem, ac Baptiſmum excellere debet; vt ſancti eſse, ac dici poſsint: Quàm verò hæc neceſſaria ſint his, qui Fidem Chriſtianam ſuſceperunt, protinus declarat: *Hæc enim* (inquit) *ſi vobiſcum adſint, & ſuperent; non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri* I E S V *Chriſti cognitione; cui enim non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans.*

Vide, quàm luculenter Apoſtolus illos vacuos, ac ſine fructu, quin etiam cæcos, & manu tentantes eſse doceat, qui ſolam fidei virtutem, nulla vitę probitate, ac morum ſanctimonia exornatam, apud homines iactant.

Id confirmat Paulus, cum ad Epheſios ſcribens, illos ad Dei imitationem hortatur: *Eſtote* (inquit) *imitatores Dei, ſicut filij chariſsimi, & ambulate in dilectione: ſicut & Chriſtus* Epheſ. 5.

di-

dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Si nulla, prçterquàm Fidei ſanctimonia homines indigerent (planè fideles erant Epheſij, ad quos ſcribit Apoſtolus: quod ex ipſo Epiſtolæ exordio exploratũ eſt, in quo ita ſcribit: *Paulus Apoſtolus I E S V Chriſti, omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, & Fidelibus in Chriſto I E S V*) quid igitur Apoſtolus eos ad Dei imitationem compellit? Cur Chriſti dilectionem, qua ad eum imitandum accendãtur, illis proponit? cur ad præſtantiorem vitæ ſanctimoniam, ſuo quoque exemplo prouocat, cum ait: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti?* At
1.Cor. 11. verò, cum non fidei, ſed dilectionis, ac cæterarum virtutũ, quibus Dei imitatio perficitur, illis perfectionem ſuadet; eò ſanè demonſtrat, aliam in Chriſtiano homine, præterquàm Fidei, excellentiorem ſanctimoniam requiri, quç in omniũ virtutum, præſertim verò dilectionis, ac charitatis perfectione ſita eſt; quamq. ipſa Fides per ſe, abſque aſſidua earũ exercitatione nequaquã in hominum animis gignere valet.

Quapropter idem Paulus Timotheum inſtituens, qua via ad Cælum pergere deberet: *Lab ra* (inquit) *ſicut bonus*
2.Tim. 2. *miles Chriſti I E S V, &c. Nam & qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certauerit*. Quid? an non his verbis Apoſtolus perfectam Chriſtiani hominis excellentiam in eo repoſitam eſſe docet; vt labore, & omnium virtutum exercitatione ad gloriæ coronam perueniat? Quòd ſi tota coronç Regni cæleſtis adipiſcendæ ſumma in eo poſita eſſet, vt fidei quiſque integritatem teneret: quodnam Chriſtianis poſt extinctos tyrannos bellum indiceretur? Quibuſnam cum hoſtibus nobis pugna ineunda eſſet; in qua tanto labore tantaq. vi, tam ſtrenuè à nobis decertandum ſit; vt nonniſi à legitimè pugnantibus victoriæ corona expectanda eſſet? Equidem, ſi nullum præterquàm fidei, prçſertim qualis à ſectarijs prædicatur, certamen obijcitur; nimis profectò leue certamen eſt, cuius triũpho ſatis ſit credere, ſibi eſſe remiſſa peccata, & ſe Prçdeſtinatorum numero

ro indelebiliter aſſociari. Imò nullum prorſus certamen eſt, cum nihil lubentiùs Tartareus hoſtis hominibus perſuadere curet; nec homines auidiùs amplecti ſoleant, quàm eam fidem, quæ illos, & remiſſionis peccatorum, & diuinę amicitiæ, necnon cæleſtis coronæ certos reddat. Grauius nobis certamen imminet (Lector) in quo nos maximè exercitatos vult Deus, de quo Paulus: *Caro enim* (inquit) *concupiſcit aduerſus ſpiritum: Spiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur; vt non quæcunque vultis, illa faciatis.* Galat. 5.

En generale, ac inteſtinum bellum, quod vniuerſis fidelibus poſt fidem, ac Baptiſmum indicitur; in quo maxima virtutum exercitatione, ac legitimo certamine opus eſt, vt quiſque ſpiritu deſideria carnis, quæ militant aduerſus animam, cohibeat: ac illorum victoriam aſſequatur. Neque quiſquam de adepta fide ſibi blandiatur: nam Catholica Pauli ſententia manet; Chriſti eſſe non poſſe, qui carnem ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs non crucifixerunt: neque vitæ æternæ vſura quemquam frui poſſe, qui ſpiritu facta carnis non mortificauerit. Atque hinc perfecta vitæ ſanctimonia oritur; cum caro aſsiduo virtutum, ac orationum ſtudio ſpiritu ſubijcitur: ſpiritus autem incendio in Deum transfertur; vt iam cum Apoſtolo homo non ſibi, ſed Chriſto viuat. Ibidem. Rom.8. Galat.2.

Hinc Chryſoſtomus ſumpta illius parabola, qui ſine veſte nuptiali inter diſcumbentes apparuit: *Nolumus* (inquit) *Fidem vobis ad ſalutem ſatis eſſe exiſtimare: nam niſi vitam puram exhibuerimus, & hac cæleſti vocatione digna nos induerimus veſtimenta, quibus ad nuptias admittamur; nihil nos eripiet, quin eodem, quo miſer ille, afficiamur ſupplicio.* Neque fruſtrà id dixit Chryſoſtomus. Nam cum fides quædam Dei vox ſit, quæ ad cæleſtes nuptias vocat ſola; vitæ ſanctimonia ornamenta adminiſtrat, & quaſi veſtibus ornat, quibus fideles tantis nuptijs digni efficiantur. Chryſ. homil.9. in Ioan.

Hoc igitur cum firmum, ac indubitatum ſit, Eccleſiæ ſan-

ſanctitatem nō ex fide dumtaxat; ſed etiam ex morum ſanctimonia, & perfecta Chriſti imitatione pendere. ſi (Lector) veram Dei Eccleſiam agnoſcere, atq; à ſectis diſcernere volueris, in huius ſanctimoniæ ſignum oculos intende; perpendeq., an in ea viros virtutibus eminentes, ac sáctitate illuſtres conſpicias, qui Chriſti Domini imitatione fulgeant: quibus parum ſit præceptorum operibus incumbere; niſi etiam ardentiori ſtudio ad perfectioris vitę normam, excellentioremque Conſiliorum viam, in qua perfecta Dei imitatio viget, ſeipſos transferant: his enim vera Eccleſia nunquam deſtituta eſt, ſed perpetuos in ſinu ſouet; vt poſthac demonſtrabimus.

Hoc ſymbolo vera tibi Eccleſia quærenda eſt: Hoc velut coccineo ſigno, quò olim domus Raab fidelis à Iudæis
Pſal 92. agnita fuit, veram Religionem à ſectis diſcernes. Hoc tandem teſtimonio domum Dei, quam decet ſanctitudo in longitudinem dierum, ab Hæreticorum tabernaculis dignoſces.

Hùc enim ſpectat, quod ait Chriſtus apud Matthæum:
Matth. 7. *Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit*. Vnde enim bonam, ac domeſticam arborem ſolo fructu à ſylueſtri dignoſcimus; atque eam dumtaxat boná, atque vtilem iudicamus, quę dulces, ac ſapidos fructus gignit, quos ſylueſtris omnino ferre non poteſt: inde etiam veram Eccleſiam à ſectis ſecernimus. Nam cum veræ Eccleſiæ fructus ſit ipſa ſanctimonia, omni virtutum genere referta; vt teſtatur Paulus, his verbis: *Fructus autem*
Epheſ. 5. *lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate; probātes, quid beneplacitum eſt Deo.* Sicubi eam velut oliuam vberem exoriri, & excreſcere videris: protinus bonam, ac optimam ibi veræ Eccleſiæ arborem ſatam eſſe exiſtima: neque ea te exiſtimatio fallet; cum nulla ſectarum planta, vtpotè ſylueſtris, huiuſmodi verę sáctimonię fructus germinare valeat.

Neque enim (vt Chriſtus ait) colliguntur de ſpinis vuę, aut de tribulis ficus. Quare cum ea bonæ arboris certa pro-

probatio ſit: cum fructus ſuauitatem reddit; ita certiſsimũ illud veræ Religionis argumentum eſse ne dubites; cum ex ea vberes ſanctimoniæ fructus erumpunt. Hoc enim teſtimonio B. Iacobus Religionem veram eſſe probat, cum ait: *Religio vera, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* Hi enim ſunt veræ Eccleſię, velut Dominicę arboris fructus, qui eam hominibus conſpicuam reddunt: ac tam efficaci argumento perſuadent; vt qui Dei Verbo ſæpenumero ad fidem minimè adduci poſſunt, ſola Eccleſiæ ſanctimonia perſpecta, atque altè animo concepta, vi quadam occulta ad ipſam impellantur. ſic Petrus: *Mulieres* (inquit) *ſubditæ ſint viris ſuis: vt & ſi qui non credunt Verbo, per mulierum conuerſationem, ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore ſanctam conuerſationem veſtram.* Matth. 7. Iacob. 1. 1. Pet. 3.

Mirum enim eſt, quàm liberis hominum animis præclara virtutum exempla altè inhæreant; & ad eorum, in quibus ea elucere cernunt, Religionem ſectandam, mentem accendunt. Dum enim irreprehenſibilem, & inculpatam fidelium vitam ſibi ante oculos poſitam vident; mox velut quodam mentis timore perculſi, diuinum quiddam in animo concipiunt, quod minimè contemnendum putāt: quo tandem ſibi perſuadent, eorum Fidem, ac Religionem, ſibi tutò amplexandam eſſe, quorum vitam tot pręclaris virtutum ornamentis illuſtratam cernunt. Idcircò Petrus his verbis Fideles hortabatur: *Obſecro vos, tanquam aduenas, & Peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem veſtram inter Gentes habentes bonam; vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deũ in die viſitationis.* 1. Pet. 2.

Hinc cum perfectos ſui imitatores Apoſtolos Chriſtus Soli comparaſſet, dicens: *Vos eſtis lux mundi.* Quod ſanè non abs re dictum fuit; cum voluntaria pauperies, rerum Matth. 5.

omnium temporalium abdicatio; ſui ipſorum abnegatio; cœlibatus, & alia quamplurima, quibus perfectam Chriſti imitationem homines aſſequuntur; illos orbis ſoles conſtituant; quibus illud à Deo collatum eſt, vt ſplendorem veræ Eccleſiæ addant. Statim poſt pauca addit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona; & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*. Vt veræ Religionis lucem errātibus affulgere indicaret, ſimul atque hęc Apoſtolicæ vitæ lineamenta conſpicerentur. Hæc enim ſunt, quę rectam fidem commendant; hęc veram Eccleſiam hominibus indigitant; hęc tandem Deum agnoſcendum, & glorificandum præbent.

Neque id grauiſſima ratione vacat. Nam cum ex his exploratum ſit, verę Eccleſiæ ſtatum, non ſolum fidei doctrina; ſed etiam charitate, ac omnium virtutum excellentia commendari, quippe qui perfectam Chriſti imitationē contineat: in qua omnium tàm humanarum, quàm diuinarum virtutum genera emicant: is ſanè tunc verus, ac perfectus agnoſcitur, cum viros, perfectos Chriſti imitatores, atque omni virtutum genere inſignes perpetuò alit, qui diuinam Chriſti ſanctimoniam inter homines referant. Nam quemadmodùm ſpeculum, ea ratione lucidum, ac perfectum probatur, cum obiectam hominis, vel alterius rei figuram veram, ac naturalem reddit: Hoc ſanè modo Eccleſia tunc maximè vera, ſancta, ac perfecta probatur, cū perfectas Chriſti Imagines, viros ſcilicet pietate, ac ſanctimonia illuſtres progignit, in quibus perfecta Chriſti imitatio enitet: eoſq. perpetuò in ſinu nutrit.

His igitur de vera Eccleſiæ ſanctitate explicatis; venio ad miracula, quæ diuina quædam teſtimonia ſunt, quibus Deus Opt. Max. dum vel illuſtriorem quorundam vitę ſanctimoniam probat, vel tandem antiquam Eccleſię fidem alicubi hæreſibus collapſam, opportunè confirmat: veram fidem, & Eccleſiam nobis teſtatam relinquit. Si enim veræ ſanctimonię teſtimonium, quod hominum eſt, ad veram

Eccleſiam cognoſcendam accipimus; quantò magis Dei teſtimonium, quod maius eſt: quoties veram ſanctimoniā, aut Eccleſię fidem è cęlo teſtatur, accipere debemus?

Equidem (Lector) nulla ratione dubitare potes, quin Deus Opt. Max. plerumq. ad declarandam aliquorum illuſtrium virorum ſanctimoniam, etiam nunc, dum hic viuunt: vel ad illorum, poſt deceſſum, gloriam explicādam, ſigna, ac miracula patrare ſoleat. Nam & Elias olim, & Apoſtoli adhuc ſuperſtites plurima Dei virtute ſigna patrarūt: Et Eliſeus, ac plurimi alij vita defuncti, ne dum viuentes, miraculis à Deo illuſtrati fuere. At verò in Eccleſia poſt Apoſtolos crebriora apud ſacros Hiſtoricos miracula legis, quorum Cathalogos deſcribunt, Gregorius Turonēnſis, Beda, Paulus Diaconus, Simeon Metaphraſtes, Surius, & alij: necnon quotidiana nos in dies fieri conſpicimus, tam à viuentibus notę ſanctitatis viris, quàm ad Sanctorum tumulos, quæ Auguſtinus ſuo tempore ad Martyrū reliquias creberrima facta fuiſſe teſtatur, his verbis: *Sed non ſic accipiendum eſt, quod dixi: Vt nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipſe, quando librum iſtum ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora Martyrum in eadem Ciuitate, cæcum illuminatum fuiſſe iam noueram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt; vt nec omnia cognoſcere, nec ea, quæ cognoſcimus, enumerare poſſimus.* Aug. retractat. lib. 1.

Neque ea noſtræ huic tempeſtati deſunt, cum innumera quotidie, ac illuſtriſſima, tum Mediolani ad D. Caroli Borromei memoriam, tum Romę ad S. Franciſcæ tumulum, ac alijs pleriſq. locis Deus miracula operetur: quæ eò potiſſimùm tendunt; vt eorum, dum viuerent, præclaram vitæ ſanctimoniam, ac illuſtrem deinde poſt obitum in Cælo gloriam teſtentur. Stabile enim Dei verbum manet: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: & qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Reg. 2.

Hinc eos (Lector) non benè de Dei Maieſtate ſentire cenſcimus; qui vel miracula poſt Apoſtolos in Eccleſia fu-

peruacanea eſſe ſentiunt; vel ea ad dæmonum præſtigias, & efficaces illuſiones relegant. Nam quòd ad primum attinet; ſi miracula poſt Apoſtolos in Eccleſia ſuperuacanea ſunt, quid Paulus donum miraculorum inter Spiritus Sancti chariſmata, quę in Eccleſia perpetuò aſſeruari debent, tam apertè enumerat, cum ait: *Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem ſpiritum; alij fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum*? Num ſuperuacanea Spiritus Sanctus in Eccleſia inſtituit; quæ nulli vtilitate prodeſſent? ſi ſapientiæ, ac ſcientiæ ſermo; ſi fides, ex Spiritus Sancti dono, Eccleſiam perpetuò comitari debent, quidni, & gratia ſanitatum; & operatio virtutum, hoc ipſum aſſequi debeant, quæ ab eodem ſpiritu manant? Neque obſtat, quod inter hæc Paulus donum linguarum recenſet, quod in Eccleſia videtur expiraſse: nam tametſi illud eatenùs ceſſauerit, quod ad Gentilium vocationem, ad quam olim inſtitutum fuerat, amplius neceſsarium non eſt: id tamen etiam nunc perfectiùs in Eccleſia manet; cum Eccleſia per totum orbem diffuſa, omnium populorum linguis loquitur; atque eodem Dei ſpiritu operante, Chriſti fidem omnium linguis prædicat.

1. Cor. 2.

Id quidem (Lector) negandum non eſt: Frequentia illa miracula, quæ ab Apoſtolis, ac cæteris fidelibus inter ipſa Eccleſiæ initia fiebant; vt Chriſti fidem hominibus perſuaderent; & pullulans Eccleſia, velut Domini ager, ijs irrigata, fœcundiores fidelium partus ederet: modò Eccleſia per totum orbem diffuſa, ac Chriſti fide vbique terrarum explicata, iam neceſsaria non eſse. At quis ea, quæ quotidie in Eccleſia, Dei virtute patrantur, inutilia, ac ſuperuacanea aſserere audeat? cum ea ad veræ Eccleſiæ gloriam declarandam à Deo inſtituta ſint.

Cæterum, alijs quoque grauiſſimis de cauſis miraculorum patrandorum chariſma in Eccleſia aſseruari, ipſe miraculorum vſus, ac finis non obſcurè demonſtrat. Quædam

dam enim miracula ad Dei tantùm Maieſtatem illuſtrandã tendunt; qualia ſunt, quæ illius diuinitatem, vel potẽtiam hominibus inſinuant. Hac ratione Deus tot ſigna in Aegypto patrauit, vt in ijs ſeipſum glorificaret: quamobrẽm cum Dei gloriam, ac maieſtatem ſemper in Eccleſia affulgere neceſsè ſit: atque eam non ſemel, vel dæmonum præſtigijs, vel hominum impietate proſcindi, ac labefactari contingat; ea etiam opportuno diuinorum miraculorum ſplendore indiget, quò ſuprema Dei maieſtas illuſtretur.

Quædam verò ad veræ fidei commendationem fiunt, vt ijs infideles, ac hæretici ad veræ Eccleſiæ ſinum reuocentur. Hac ratione ait Apoſtolus ſigna data eſse infidelibus. Porrò cum hac via olim Deus Gentiles à ſimulachrorum cultu ad Chriſti fidem perduxerit; eadem planè, & hęreticos à fide aberrantes plerumq. ab erroribus reuocare ſolet. Quapropter cum hęreſes Eccleſiam, quandiu incolumis erit, comitari debeant, teſtante Paulo: *Oportet hæreſes eſſe, vt, qui probati ſunt, manifeſti fiant*: neque vnquam hæreticorum zizania ab Eccleſiæ agro, ad extremam vſq; orbis meſsem, auellenda ſint; inde conſtat, miracula in vera Eccleſia nunquam defutura eſse; quibus hęreſes à vera Chriſti doctrina diſcerni, & hæretici ad veram Eccleſię fidem reuocari queant.

1. Cor. 14.

1. Cor. 11.

Quædam etiam miracula ad Sanctorum, tum pietatem, tum gloriam illuſtrandam patrantur: quæ idcircò perpetua in Eccleſia eſse debent, quòd ea piorum virorum ſanctitate perpetuò exornanda ſit.

Alia quoque ad fideles in ea Fide, ac Religione, quam ab initio acceperunt, ſtabiliendos, & confirmandos miracula nunc quoque à Deo exhiberi, exploratum eſt: præſertim cum hæreſum tempeſtas ingruit, qua imbecilles frequenter commoueri ſolent: atque inde multorum naufragium formidatur. Eo enim factum eſt, vt non pauca ad Crucis ſignaculum, plura ad ſacrarum Imaginum cultum, plurima ad Sãctorum inuocationem, innumera ad Euchariſtię

riſtię Sacramentum in dies miracula cernantur; vt Fideles in ea dogmatum fide eò magis fixi, ac ſtabiles permaneāt, quò acriùs à ſectarijs ea impugnari vident.

Ioan. 14. Poſtremò, cum Dominus id ſeriò Fidelibus promiſerit: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ad Patrem vado.* An non vides, veræ Eccleſiæ ad patranda miracula, nullo vnquam tempore occludendas, fores pateſieri; quibus vel ad Fidelium vtilitatem, vel etiam ad ſolatium vti poſſit?

Quid (Lector) An æquum eſt Dei potentiam intra ſolius neceſſitatis terminos occludere; vt tunc tantũmodò miracula exhibeat, cum neceſsaria ſunt; nullo modo, cum vtilia? Certè, cum plurimas in mortalium dumtaxat ſolatium rerum naturas condiderit; pleraq. etiam delectabilia tueatur; quàmplurima vtilia, quæ hominibus minimè neceſsaria ſunt; vt in rerum adminiſtratione magnificentiſsimus, ac liberaliſsimus appareat. Quid in Eccleſiæ gubernatione eum præſtare cenſendum eſt? An non omnes illius bonitatis, ac benignitatis theſauros ibi effundi æquum eſt; vnde ampliſsimam ſuę maieſtatis, ac gloriæ manifeſtationem expectat?

Hinc enim pleraq. ad Fidelium dumtaxat conſolationem miracula patrata legimus: An non Ioſue Solem in medio Cęlo conſiſtere iuſsit; vt inchoatam de hoſtibus victoriam proſequeretur? Nubes diurno tempore nonne Iſraelitico populo, ad illius tantùm ſolatium, ſe comitem in deſerto præbuit? Quid coturnicibus opus erat, vt ijs Hebræus populus in deſerto frueretur? An non Petrus Tabitam iam vita defunctam, in pauperum ſolatium à mortuis excitauit? Planè inficiari nemo poteſt, Dei benignitatem, quæ nullis terminis comprehenditur, plerumq. etiam vltrò, non rogatam, in amicorum cõſolationem ſeſe copioſè effundere; dum vel ijs ſæpiſsimè apparet, vel Angelos, ac Sanctos conſolatores mittit; vel cæleſtes Citharedos, quò defatigatos illorum animos recreet, è cælo deſtinat; ac

mi-

miranda quæque ad illorum vota operatur. Quid plura? Suorum amicorum Deus nullam petitionem vacuam nullum irritum votum eſſe patitur: vt veriſsimum eſse comprobet, quod olim Dauid prænunciauit. Oculos nimirum Domini eſse ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum; ac prætereà voluntatem timentium ſe facere, & deprecationem eorum exaudire. Pſal. 33.

Porrò quod ad ſecundum attinet; quo poſteriora poſt Apoſtolos miracula, dæmonum præſtigias, ac efficaces illuſiones appellant: certè in eo(Lector) ſe diuinorum miraculorum hoſtes declarant, cum diuinam virtutem dæmoni aſcribunt. Dicant, obſecro, an Fides, qua miracula patrantur, dæmonum operi tribuenda ſit, cum illam Apoſtolus inter Spiritus Sancti dona enumeret, quę in Eccleſia aſſeruantur? Id ſi hiſcere non audent; iã ex Fidelibus quiſquam eo fidei dono præditus miracula edat; num ea dęmonis præſtigia erunt? Quid Lector? An non apertè cum Chriſto pugnant, qui fideles omnes in Apoſtolis alloquẽs, ait: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, & dixeritis monti huic, tollere, & mittere in mare: amen dico vobis, fiet vobis.* Matth. 17.
An non ſtabiles Chriſti promiſſiones euacuant; qui credẽtibus miraculorum donum pollicitus eſt, dicens: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ad Patrem vado*: ac demum illis omnia è cælo daturum pollicetur, quæ ab eo, hac fide præeunte poſtulauerint? Ioan 14.

Planè intelligere deberẽt, ſicut ſuas ſathanæ præſtigias; ſic Deo ſua eſſe miracula; quæ ſi dæmonum præſtigijs tribuant, profectò omnem Dei gloriam, quæ ex miraculorum opere in eum redundat, depaſcunt. At caueant profectò, nedum diuina miracula diabolicæ artis inſimulant, Hæreticorum, ac præſertim Arrianorum ſe impietatis hæredes oſtendant, qui hoc modo Martyrum miracula calumniabãtur: de quibus ita Ambroſius ſcribit: *Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere neſciunt Arriani; quanta perpeſſi ſunt, & quemadmodum*

Amb. to. 3 tract de SS. Geruaſ. & Protaſ.

admodùm Pharao, malis ſuis indurantur. Dicebat diabolus (vt ſcriptum legimus) ſcio, tu quis ſis: Tu es Filius Dei viui. Dicebant Iudaei. Neſcimus, quis ſit. Dicebant hodie, & ſuperiori die, vel nocte dæmones, ſcimus, quia Martyres eſtis: Et Arriani dicunt: Neſcimus, nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt Martyribus dæmones: Veniſtis perdere nos. Arriani dicunt: Non ſunt dæmonum vera tormenta; ſed ficta, & compoſita ludibria. Quid illud, quòd ita agitari eos videmus, quibus manus imponitur? Vbi locus fraudi eſt? Vbi ſuſpicio ſimulandi? Hæc, & alia diſertè Ambroſius.

Vigilantius quoque Hieronymi tempeſtate, poſt Porphyrium, & Eunomium, miracula, quæ ad Martyrum memorias frequentiſſimè fiebant, velut dæmonum præſtigias inſectabatur. Quem Hieronymus graui cenſura perſtringit, his verbis: *Sentio* (inquit) *Sentio infælicißime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus eſt immundus, qui te cogit hæc ſcribere. Sæpè hoc viliſsimo tortus eſt puluere, immò hodieq. torquetur: & qui in te plagas diſsimulat, in cæteris confitetur: niſi fortè in morem Gentilium, impiorumq. Porphirij, & Eunomij, has præſtigias dæmonum eſſe confingas: & non verè clamare dæmones: ſed ſua ſimulare tormenta. Do conſilium. Ingredere Baſilicas Martyrum, & aliquãdo purgaberis: inuenies ibi multos ſocios, & nequaquàm cereis Martyrum, quæ tibi diſplicent; ſed flammis inuiſibilibus combureris: & tunc fateberis, quod nunc negas.*

Hiero. to. 2 cont. Vigilant. epiſt. 2.

Vide (Lector) quorum ſe hominum imitatores præbeat, qui miracula poſt Apoſtolos, vel ſuperuacanea, ac inutilia eſſe ſentiunt; vel quæ Dei virtute patrata ſunt, dæmonum præſtigijs tribuunt.

At illos obloquentes audio. Quidquid de horum miraculorum veritate ſentiendum ſit, ſuſpendere: his tamen miraculis, neque veram Fidem, neque veram Eccleſiam indicari: cum dæmon, & ſuas præſtigias exerat, Dei miraculis ſimillimas; quibus falſam hominibus fidem, & Eccleſiam perſuadere poteſt. At, quàm vana, ac ridicula hæc

eorum

eorum ratiocinatio ſit, hoc vel vnico argumento euincere licet. Nam ſi miracula idcircò certa veritatis teſtimonia eſſe non poſſunt, quòd ſathan, & ſuas pręſtigias proferat. Quomodò Chriſti, & Apoſtolorum miracula orbi certam Chriſtianæ Religionis fidem fecerunt? Si Proteſtantibus, atque alijs Nouatoribus credendum eſt: an non æquum erat, homines hac ratione ita à fide deterreri; vt miracula, quæ tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis ad eam confirmandam exhibebantur, meritò dæmonum pręſtigias eſſe ſuſpicarentur? Neque enim tunc ſathan ſuis pręſtigijs carebat; cum vbique mortalium genus oraculis deluderet: Et tamen crediſſe orbem diuino miraculorum teſtimonio permotum; & Chriſti fidem, eo teſtimonio munitam, tam cōſtanter amplexatum fuiſſe; vt ea vix hauſta, pleriq. vitam pro Chriſto fundere non pertimeſcerent, omnibus exploratum eſt. Quid igitur illos adeò in fide certos, ac intrepidos pręſtitit? pręterquàm quòd ex fine, vſu, ac modo, quo ea miracula patrata ſunt, ea vera Dei miracula, non dęmonum pręſtigias eſſe cognouerunt, vt teſtatur Auguſtinus de Ciuitate Dei, vbi verorum miraculorum naturam declarans, ait: *Porrò autem, quęcunque miracula, ſiue per Angelos, ſiue quocumque modo ita diuinitùs fiunt, vt Dei cultus, in quo ſolo beata vita eſt, cultum, Religionem q. commendent; ea verè ab eis, vel per eos, qui nos ſecundum veritatem, pietatemq. diligunt, fieri, ipſo Deo in illis operante, credendum eſt.* Aug. de Ciuit. Dei l. 10. c. 12.

Verùm & altera ratio accedat. Siquidem non ignoras (Lector) ad Eccleſiam ſpectare, vt de veris, ac falſis miraculis iudicet. Eſto igitur, quòd dęmon ſuas præſtigias obtrudat, num propterea pro veris miraculis habentur? cum illæ Eccleſiæ iudicium ſubire debeant: quod cum prorſus infallibile ſit, eas indubitanter à veris miraculis diſcernit: atque illas quidem (vt par eſt) ad dæmonum quiſquilias reijcit, hęc, vt diuina teſtimonia, probat, & commendat.

Hinc tibi perſuaſum eſſe debet (Lector) miracula non modò Eccleſiæ vtilia, ac proficua eſſe; ſed quoties ea à

Deo nobis in Eccleſia exhibentur, toties veram ipſius Fidem, ac Religionem declarari. Nam ſiue in teſtimonium doctrinæ fiant; quandoquidem ea fidei, ac proinde Eccleſiæ fundamentum eſt; nulli dubium eſſe poteſt, quin ijs vera fides, ac vera Eccleſia manifeſtè probentur: ſiue in ſanctimoniæ aliquorum teſtimonium exhibeantur; tunc quoque veritas Fidei, ac Religionis, in qua ij verſati ſunt, non obſcurè oſtenditur. Demum cum ad fidelium Dei amicorum dumtaxat conſolationem, ac poſtulantium fidem patrantur: quandoquidem ipſa fides miraculis Deo grata eſſe probatur: neque ea præterquàm in vera Eccleſia haberi poteſt; ſanè perſpectum eſt, ijs veram Eccleſiam demonſtrari. Ex quibus tandem id colligere debes: eam tantùm veram Eccleſiam agnoſci debere, quæ vera ſemper ſanctimonia ornatur, & veris miraculis à Deo opportunè illuſtratur.

Cum igitur, & morum ſanctimonia, & miraculorum fulgor ita cum Dei Eccleſia coniuncta ſint; vt vbicumque ea ſimul offendi contigerit, ibi veram Eccleſiam, ac veros fideles eſse nemini dubitandum ſit: quibus illud Propheticum occini poſsit: *Omnes, qui vident eos, cognoſcent illos, & dicent: Hi ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Ac proinde Eccleſia, quæ his velut vtroque oculo orbata fuerit, ad ſectas releganda ſit. Iam nobis examinandum ſupereſt (Lector) An Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, atque aliorum Nouatorum Religio gemino hoc teſtimonio ita munita ſit; vt eo ſe veram Eccleſiam eſſe probet.

Iſai. 6.

Id ſanè (vt arbitror) vehementer Proteſtantes, ac alios torquet: quum ſe omni, tum Euangelicæ ſanctimoniæ, tum miraculorum teſtimonio carere cernunt. Sed vtrumque ſingillatim perpendamus. Si (Lector) à Puritanis, ac alijs quæras: an eorum Religio eam vitæ ſanctimoniam pariat, quę à Chriſto in Euangelio tradita, tantoperè Deo placet, & ab Apoſtolis commendatur: ita vt aliquos ſaltem inſignis

gnis perfectionis viros proferre valeat; qui Chriſti imitatione fulgeant, & Chriſtianum orbem Euangelicæ ſanctimoniæ gloria illuſtrent. Planè eos obmuteſcere videas. Etenim, quo pacto vllam Euangelicæ vitę ſanctimoniam ij præſeferre valent, qui omnem in primis Euangelicę perfectionis normam, vnde omnis vitæ ſanctimonia oritur, deſpectam habent?

Voluntariam omnium rerum derelictionem Chriſtus in Euangelio fidelibus ſuadet, cum Adoleſcenti ait: *Si vis perfectus eſſe: vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; & veni, ſequere me, & habebis theſauros in Cælo.* & Petro ſciſcitanti: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te; quid ergo erit nobis?* Reſpondit: *Amen dico vobis,* &c. *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Quid ipſi? an non cum Luthero eam rapinam orbis terrarum appellant, & deridendam cenſent? Caſtitatem, & Cœlibatum, quàm mirificè Apoſtolus commendet, ex ipſius verbis licet colligere, quibus ait: *De Virginibus præceptum Domini non habeo; conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſequutus à Domino, vt ſim fidelis,* &c. *Qui matrimonio iungit Virginem ſuam, benefacit; & qui non iungit melius facit.* Quid illi? neminem hominum ad continentiam creatum; ſed omnes Dei pręcepto, & pluſquam præcepto ad generandam ſobolem conditos autumant. Obedientiam, ac ſui ipſius abnegationem Chriſtus fidelibus omnibus commendat, illis verbis: *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Quid Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani, ac reliqui? parum eſt, quòd eam rudem, ac puerilem nominant: at, quod peius eſt, velut rem impiam, ac ſacrilegam damnant. Denique quibuſnam conuicijs parcunt, quibus Monaſticæ vitæ, Euangelicæq. perfectionis profeſſores proſcindant? Virginum Monaſteria pro ſua honeſtate lupanaria appellāt. Vo-

Matth. 19.

Ibidem.

1. Cor. 7.

Digitized by Google

ta Monaſtica, quæ circa Euangelica Conſilia verſantur, ſatanæ retia vocant: Monachos Euangelicę perfectionis profeſſores, ac Chriſti imitatores, Sophiſtas cucullatos nuncupant. Monaſtica vota impia, Gentilica, Iudaica, ſacrilega, Hipocritica, Apoſtatica, atque alijs titulis cohoneſtant. Hæc apud omnes ita nota ſunt, vt nullo, prę terquàm communi voce, teſte indigeant. Quid igitur ab his vitæ Euangelicæ ſanctimoniam exquirimus; qui ipſam Euangelicam Conſiliorum Regulam, vnde purior ſanctimonia exoritur, à ſe quàm longè abijciunt, ac diris conuicijs perſequuntur? Quò fit, vt fruſtrà ab ipſis quæramus: vnde nam eorum Eccleſia Euangelicorum Conſiliorum obſeruatores exerat? Vnde Chriſti, & Apoſtolorum apud eos imitatores erumpant? vbi Virginum collegia? vbi voluntaria pro Chriſto pauperies? vbi mundi contemptus? vbi cęlibatus? vbi carnis macerationes? vbi quotidiana ieiunia? vbi veſtium aſperitas? vbi orationum aſſiduitas, atque alia Euangelicæ ſanctimonię teſtimonia apud ipſos cernantur: quibus ſuam Eccleſiam ſanctam eſſe demonſtrent? Cum enim Euangelica omnia Conſilia, velut obſeruatu impoſſibilia conuellant; non eſt cur vllos ab ijs Euangelicorum Conſiliorum ſectatores expectemus.

Sed quid Euangelica Conſilia vrgeo (Lector) vtinam ſaltem Chriſtianæ vitæ rationem, quæ ex diuinorum pręceptorum lege omnibus cōmunis eſſe debet, eorum ſibi Eccleſia vendicaret? At quæ nam ijs, non dicam vitæ ſanctimonia, ſed vel ſalus reliqua eſſe poteſt, qui legis diuinæ à ſe obſeruantiam expellunt? Quis diuina præcepta hominibus data non agnoſcat; vt non aliam, quàm per eorum obſeruationem ſibi ad cælum viam ſternant? Peſpicua enim eſt Saluatoris vox, qua Principi illi quærenti: *Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo?* Reſpondit: *Mandata noſti, non occides*, &c. An non ea prima Chriſtianę fidei rudiméta ſunt, quæ Chriſtus Apoſtolos in orbe diſſeminare

Luc. 18.

iuſſit; vt ijs homines ſimul cum Baptiſmo imbuerentur, cū

ijs

ijs imperauit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Denique totam legis diuinæ ſummam in Dei dilectione concludi, vbique Apoſtolus inculcat. At quæ vnquam ſine dilectione Dei, aut ſanctimonia, aut ſalus potuit ſalua conſiſtere? Ioanne præſertim atteſtante. *Qui non diligit, manet in morte.* Matth. 28. 1. Ioan. 3.

Si dilectionem Dei, velut impoſſibilem reijciunt, quo pacto ſe à Deo dilectos eſſe certa fide ſibi perſuadent? cum ij tantùm à Deo diligantur, qui perfecta dilectione, quę vniuerſam legis obſeruantiam perſtringit, Deo adhęrent; vt Chriſtus ipſe teſtatur, dum ait: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum.* Poſtremò cum omnem operum iuſtitiam, tanquam ſibi minus neceſſariam damnant; quid aliud præſtant, quàm quòd omnem à ſe, & à ſua Eccleſia ſanctimoniam excutiunt? Ioan. 14.

Porrò quod ſecundo loco diſcutiendum erat. Si à Lutheranis, Caluiniſtis, Proteſtantibus, Puritanis, ac reliquo Religioniſtarum vulgo miracula poſtulamus; quibus vel extraordinariam ſuorum Epiſcoporum miſſionem probēt: vel Eccleſiam ſuam hoc cæleſti teſtimonio veram eſſe demonſtrent; id eos non parùm cruciat, cum miraculis omnibus ita prorſus ſe deſtitutos vident; vt quemadmodùm Eraſmus de Lutheranis dixit: Nullus inter eos hactenus extiterit, qui vel equum claudum ſanare potuerit. Eraſm. in Diat. de liber. arbitr.

En (Lector) quàm hic ſe Dei prouidentia admirabilem pandit; quę veræ Eccleſiæ ita conſulere voluit; vt nulla præterquàm vera Eccleſia de veris miraculis gloriari queat. *Hæretici* (inquit Irenæus) *neque cæcis poſſunt donare viſum, neque ſurdis auditum, neque omnes dæmones effugare, pręter eos, qui ab ipſis immittuntur: ſi tamen, & hoc faciunt; neque debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, & alia quadam parte corporis vexatos. Tantum abſit, vt mortuum excitent.* Neque id fruſtrà. Nam cum vera miracula veræ, ac probatæ à Deo Religionis teſtimonia ſint: hoc ſymbolo Eccleſiam ſuam Iren. li. 2. c. 56.

Deus

Deus ab hæreticorum ſectis diſcerni voluit, ac velut ſigillo muniri; vt quicumque in eam oculos conijcerent, protinus diuinam agnoſcerent.

Calu. in Pręf. Inſt. At fortè in illum Caluini aſylum ſe recipient quòd recens Euangelium non cudunt; ſed illud ipſum retinent, cuius confirmandæ ueritati ſeruiunt omnia, quæ unquam, & Chriſtus, & Apoſtoli miracula ediderunt. At quamquàm iam à nobis demõſtratum fuerit; priora illa Chriſti,& Apoſtolorum miracula, quæ ad extraordinariam Apoſtolorum Miſſionem declarandam neceſſaria fuerunt, ad ueram Eccleſiam copioſiùs illuſtrandam non ſufficere, ſed alia quoque utilia opportunè requiri. Eſto tamen. Dictum accipio. Id igitur citrà controuerſiam ſit: quòd ubi recens Euangelium cuditur, ac noua Eccleſia inſtituitur, ibi ad eorum veritatem hominibus inſinuandam miracula, velut neceſſaria, exigantur.

Porrò, cum ſe nouum Euangelium non cudere affirmãt, quis eorum dictis fidem adhibeat (Lector) cum res ipſa oppoſitum apertè clamitet? Nunquid non recens Euangelium cudunt; quando nouas, ac inauditas priſco Euãgelio doctrinas prædicant? An non recens Euangelium cudunt; cum cuique fidelium certã ſuæ ſalutis expectationem promittunt; quod priſcum Euangelium nunquam docuit? Cũ filios fidelium in vtero ſanctos affirmant, quos priſcum Euangelium originali labe infectos,atque irę filios eſſe docet? Cum corporalem Chriſti præſentiam, quæ per panis, & vini tranſubſtantiationem fit, ab Euchariſtia expellunt; quam omnium Euangeliſtarum doctrina, tanquam indubitatam ſtatuit? Cum Baptiſmi neceſſitatem tollunt, quam Euangelium apertiſſimè decernit? Cũ Pœnitentriæ Sacramentum toto orbe expellunt, quod Euangelium in toto orbe prædicat? Cum diuinæ legis obſeruantiam hominibus impoſſibilem eſſe perſuadent, quam Euangelium leuem,ac ſuauem docet? Cum Euangelica Conſilia improbant; quæ Euangelium cunctis amplectenda proponit? Cum vota ho-

neſta, velut impia, reſcindunt, quæ Euangeliū Deo reddenda eſſe monet? Cum cælibatum, ac virginitatē oppugnant, quæ Euangelium paſſim mirificè extollit? Poſtremò (vt cętera omittam) cum bona opera ſaluti minimè neceſſaria eſſe volunt, quæ antiquum Euangelium, velut neceſſaria, commendat?

Sed quid multis opus eſt? An non ij, non dicam recens, ſed etiam corruptiſſimum Euangelium cudunt, qui non ſemel damnatam olim ab Eccleſia doctrinam, pro Euangelio obtrudunt; vt Superiori Capite demōſtratum eſt? Quo fit, vt nihil improbum, aut à ratione diſſentaneum à nobis agatur; cum miracula ab ipſis poſtulamus, quæ nobis noui huius Euangelij veritatem teſtatam relinquant.

Porrò, cum non antiquam Eccleſiam, quam erroribus corruptam, ac penitus deformatam docent: ſed reformatam colunt, & ſuis colendam proponunt: quid aliud præterquàm nouam Eccleſiam erigunt? Cuius confirmandæ veritati, Chriſti, & Apoſtolorum miracula non ſufficiant; ſed noua miraculorum probatione opus ſit. Ea enim in primis Dei conſuetudo eſt, vt nulla vnquam ipſe, aut nouam legem, aut nouam Eccleſiæ politiam in orbem introducat; quin eam miraculorum teſtimonijs probet: id ſanè omnibus perſpicuum eſt. Nam cum Iſraelitico populo nouos Religionis ritus, peculiarem legem, recens ſacerdotium, ſingularia quoque ſacrificia, ac tandē inauditas cæremonias; cuiuſmodi Patres eorum non acceperant, perſuadere vellet; planè innumera, tum in Aegypto, tum in deſerto, tum in Monte Sinai miracula edidit; quibus ea non humano ingenio parta, ſed, Deo docente, inſtituta eſſe teſtari voluit.

Veteri poſteà Sacerdotio translato; lege, ac cęremonijs abrogatis; cum noui ſacerdotij formam, legem, ſacrificia, cæremonias ſub Chriſto condidit: quis vberiora, ac ampliora miracula acceſsiſſe non videat; quæ nouam Chriſti doctrinam, ac inauditum Euangelium non ex hominibus, ſed ex Deo profectum eſſe probarent? Sic Paulus: *Conte-*

ſtante

Hebr. 2. *teſtante Deo* (inquit) *ſignis, ac portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundùm ſuam volũtatem.*

Quamobrèm id tibi (Lector) certum ſit: quoties aut noua Eccleſia inſtituitur; aut prior, quæ ex Proteſtantium, & aliorum ſententia dilapſa fuerat, noua doctrina, tot ſeculis inaudita inſtauratur: toties miraculorum teſtimonia exigi debere; quæ aut nouam illam Eccleſiam, aut Reformationem, non hominum conſilio excogitatam; ſed Deo inſtituente profectam eſſe demonſtrent. Cuius rei teſtis quoque eſt Chryſoſtomus, ita ſcribens: *Ingreſſus Chriſtus in ſynagogas, non modò prædicabat, verum etiam ſigna edebat. Quando enim nouum fit aliquid, aut inopinatum, aut Politiæ cuiuſdam introductio, ſigna Deus facere conſueuit, præſtãs quædam pignora potentiæ ſuæ ijs, qui legem eius accepturi ſunt. Iudæis cum legem eſſet daturus, priùs mirabilia illa, ac prodigia magna oſtendit, ac tum demum eis præcepta legis dedit: ita hìc quoque, cum ſublimem quandam viuendi introducturus eſſet diſciplinam, & quæ nunquam illis fuiſſet audita, mandatis ſuis præſtruxit claritate ſignorum.*

Chryſ. homil. 14. in Matth.

Dicant (Lector) qui nouos Apoſtolos à Deo extraordinariè ſibi excitatos eſſe contendunt; qui collapſam Eccleſiam inſtaurarent, & extinctum vbique Euangelium ad Apoſtolicam Regulam reuocarẽt: An non ſui ipſorum Apoſtolatus ſigna edere debuerint, quibus mundo teſtatum relinquerent; cum ijs Euangelium renatum fuiſſe, & intermortuam Eccleſiam eorum Apoſtolatu reuixiſſe? Quis, obſecro, Apoſtolorum vnquam fuit; qui cum ſe à Deo ad id munus extraordinariè electum perſuadere vellet: Apoſtolatus ſui ſigna, crebra prodigiorum, ac ſignorum operatione non exhibuerit? Paulo præſertim atteſtante: *Signa noſtri Apoſtolatus facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigijs, & virtutibus.* Certè Apoſtolis nouam Eccleſiam, ac nouum Euangelium prædicantibus; cum tot, ac tanta miracula ederentur, tunc vix creditum fuit. Quid igitur? Num his, qui nouas hac tempeſtate doctri-

2. Cor 12.

nas

nas Eccleſiæ inauditas, nouam Religionem, nouam, ac reformatam Eccleſiam, nouam Fidem diſſeminant, abſque vllo miraculorum teſtimonio credendum erit?

Proferant, ſi quæ habent, miracula; quibus Deus nouã ipſorum Religionem, & Eccleſiæ reformationem probauerit. Eadem enim, quæ primis illis Fidei ſatoribus, & poſterioribus Religionis inſtauratoribus miraculorum neceſsitas imminet; cum primùm mortuam Religionem, & ab hominum animis auulſam, rediuiuam in orbem reuocaſſe contendunt. Ea ſi nulla ratione oſtendere valent; Primùm quidem tuæ prudentiæ opus erit (Lector) in tanta, ac tam graui Fidei cauſa, ſummo conſilio vti: neque vſu, aut domeſticæ Religionis conſuetudine ita proripi; quin eam fidei, ac Religionis veritatem, quæ nouis, ac ingentibus quotidie miraculis à Deo commendatur, illi *pręferendam* ducas; quæ cum hactenus miracula ad ſui probationem à Deo expectauerit, illorum adhuc ſiti, ac cupiditate laborat.

Deinde Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, atque aliorum Religioniſtarum officij erit, rem profundiùs apud ſe reuoluere: & quandoquidem de ſalutis, qua nihil pretioſius eſt, diſcrimine agitur, ad eum ſe Religionis ſtatum conferre, qui antiquis, ac penè quotidianis miraculis probatus, cęleſte à Deo veræ Religionis teſtimonium ſibi vendicat.

ORTHODOXAE CONSVLTATIONIS.

De ratione veræ Fidei, & Religionis amplectendæ.

PARS SECVNDA.

PRAEFATIVNCVLA.

HACTENVS (Lector egregie) illas Catholicæ Fidei Regulas, quæ ad veram tum Fidem, tum Religionem agnoſcendam, & amplectendam ducerent; ex ipſis ſacrarum ſcripturarum, ac veterum Patrum fontibus depromptas tradidimus: ab ijsq. quàm Lutheriſtarum, Caluinianorum, Proteſtantium, Puritanorum, ac cęterorum Nouatorum Religio longiſſimè diſtet, non obſcurè (vt arbitror) indicauimus: vt eò faciliorem, ac expeditiorem, ad verã, quæ tibi proponenda eſt, Catholicam Fidem, & Religionem capeſſendam viam haberes: cum omni alia Religione pulſa, quæ his Regulis non comprehẽditur, nihil te ab illius amplexu detineret. Iam verò ad alteram huius Conſulta-

ſulta-

Digitized by Google

ſultationis partem ventum eſt: in qua Conſilia de vera Fide,ac Religione deliberanda, & amplectenda, fideliſſimè explicanda ſunt: ac diligentiús examinandum, num altera Fides, ac Religio, legitimis hiſce notis, ac ſymbolis ornata, quibus eam ſuperioribus Regulis exornãdam eſſe oſtendimus, in orbe reperiatur: cui ſe tutò quiſque credere, ac committere valeat. Hoc enim comperto, nulla ratione fieri poſſe exiſtimo; quin candidus animus, qui tibi ineſt, veritatis cupidus, & ſuæ cum primis ſalutis amantiſſimus, nulla prorſus interpoſita mora ad illius ſinum accurrat: cuius amplexu ſe perpetuò beandum ſperat.

CONSILIVM PRIMVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita.* (Quicumque veram Religionem noſſe optas) *Romanam Religionem, veræ Religionis vnitatem tam perfectè ſibi vendicare; vt qui eius vnitatem, ac veritatem non tenet, à vera Religione alienus, ſchiſmaticus, & hæreticus ſit, à vera Christi Eccleſia præciſus: ac proinde eam tantùm veram Religionem eſſe à cunctis amplectendam.*

Hoc Conſilium (ſuauiſsime Lector) haud leuiter, aut perperàm tibi amplexandum propono: ſed grauiſsimis, ijſdemq. cauſis ſuffultum, quas in prima prioris partis huius libelli Regula fusè admodùm explicauimus.

Caluinianæ quidem, ac Lutheranæ Religionis Doctores, cum de verę Religionis vnitate differunt, tametſi nobiſcum in Nicenæ Fidei profeſsione conſentiant, qua Eccleſiæ vnitas credenda proponitur; attamen non leuiter à nobis in ipſa vnitate aſsignanda diſſentiunt; cum ij Eccle-

Digitized by Google

ſiæ vnitatem (quæ eadem quoque Religionis vnitas eſt) in vno conſenſu de doctrina Euangelij, atque in vna Sacramentorum adminiſtratione conſentanea Chriſti Euangelio collocatam velint. Ita Caluinus Inſt. lib. 4. c. 1. §. 9. & Caluiniſtæ omnes: quam vnitatem ex duplici illa Eccleſiæ nota colligunt, quam in vera fidei doctrina, & recto Sacramentorum vſu conſtituunt: Neque tamen hanc vnitatem proſcindi putant; licèt in doctrina Eccleſiæ næui, ac ſtipulę aliquando reperiantur. Ita cęnſent Caluinus Inſt. lib. 4. c. 1. §. 17. 18. & 19: Melanchton in locis communibus tit. de Eccleſia.

Caluinus.

Caluinus. Melanchtó

Nos verò duplicem hanc Eccleſiæ vnitatem ab illis cōfectam velut inutilem, ac nugatoriam reijcientes, cū Paulo veram, ac perfectam Religionis vnitatem, ex ſolo ipſius ordine; tum in vnum Eccleſiæ corpus, tum in vnum illius viſibile caput: tum demum in vnum Fidei ſpiritum, & vnam Catholicæ Fidei doctrinam, ſuperiùs collegimus. Nam quum Paulus ad Rom. 12. Eccleſiæ, ac Religiònis ſtatum magno cuidam animanti cōparat; *Multi* (inquit) *vnū corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra*. Inde Eccleſię vnitatem non aliundè, quàm ex illius Animantis vnitate intelligendum docet. Porrò cum perfecta animātis vnitas ex triplici ordine pendeat; primò membrorum ad inuicem in vnum corpus coaleſcentium; ſecundò totius corporis ad vnum caput; tertiò omnium membrorum cum capite ad vnum ſpiritum ducem, ac rectorem; inde veræ Religionis vnitas vnde pendeat, agnoſcimus: nimirum ex hoc triplici ordine: tunc enim Religionis ſtatus proculdubio vnus eſſe dignoſcitur; cum omnia fidelium membra ſimul in vno Eccleſiæ corpore colligantur; vnius capitis, ac Paſtoris moderatione reguntur; & in ſolidam quandam fidei vnitatem ab vno Dei ſpiritu profectam conſpirant.

Rom 12.

Errant profectò Lutherani, & Caluiniſtę, ac cęteri eorum aſſeclæ; dum veræ Religionis vnitatem primùm in cōſenſu in doctrina Euangelij collocant: Nam cum vera, ac per-

perfecta Religionis vnitas eam ab Hæreticorum, ne dum Paganorum, ac Iudęorum ſectis diſcernere debeat: id planè conſenſus in doctrina Euangelij non præſtat; cum Euãgelium vniuerſę Hęreticorum ſectę recipiant: quin etiam ſi de qualicumque conſenſu in qualibet doctrina Euangelij id intelligant, veram Religionem apud Hęreticos collocant: qui inter ſe, tametſi erroneo ſenſu, in ea conſentiũt. Si verò Religionis vnitatem in ſolo cõſenſu in vera doctrina Euangelij ſitam velint: iam ſanè iudice aliquo opus eſt, qui rectè definiat, apud quos vera Euangelij doctrina repoſita ſit; cum prętertim quęlibet Hęreticorum ſecta veram Euangelij doctrinam apud ſe eſſe contendat: cum autem res alterius iudicio, ac ſententię definienda committitur, planè huiuſmodi conſenſus iam non ſe ipſo Religionis vnitatem valet cõſtituere, ſed ipſam ab alio expectare debet.

Neſcis (optime Lector) plurimas alias veteris paginę ſcripturas pręter Euangelium ad veram Religionem pertinere; ex quibus integra Eccleſię doctrina colligitur: igitur conſenſus in ſola doctrina Euangelij non ſufficit ad veræ Religionis vnitatem conſtituendam: nam ſi ſufficeret, ſequeretur cæteras ſcripturas (vna duntaxat Euangelica excepta) ſuperfluere, nec ad verę Religionis veritatẽ pertinere, quod tamen à fide diſſentaneum eſt, maximè teſte Paulo, qui Eccleſiã ſuperędificatam eſſe docet ſuprà fundamẽtum Apoſtolorum, & Prophetarum: quapropter tolerabiliùs dixiſſent, ſi Religionis vnitatem, ex conſenſu in doctrina totius ſcripturę collegiſſent.

Nam ut exemplo manifeſtiùs fiat. Si Manichęus quiſpiam accederet, qui Euangelicam quidem doctrinam recipiebat, Moiſis tamen Pentatheucum reijciebat (teſte Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum) accederent & innominati Hæretici, qui Euangeliorum codice retento, uniuerſa Salomonis ſcripta damnabant. Proferant conſenſum in doctrina Euangelij, in ea conſpirent omnes, Canonicos tamen ueteris Teſtamenti libros reſpuant. Num apud illos

uerę

veræ Religionis vnitas ſita cenſenda eſt, qui vniuerſa Canonicarum ſcripturarum volumina non amplectuntur, ex quibus potiſsimùm integra fidei doctrina condita eſt?

Verùm enimuerò neque hic conſenſus in totius ſcripturæ doctrina, perfectam Religionis vnitatem poteſt efficere; cum fidei doctrina non tantùm ex ſcripturis pendeat, ſed pleraq. etiam fidei præcepta nō ſcripta contineat, quæ tametſi in vnum omnia conſpirarent, cum de illorum veritate adhuc diſceptatio ſit, certa ex his Religionis vnitas haberi non poſſet.

At neque conſenſus in Sacramentorum adminiſtratione perfectam veræ Religionis vnitatem declarat. Quamquam enim certum omnibus ſit, veram Religionem abſque vera, ac legitima Sacramentorum adminiſtratione eſſe non poſſe: tamen quæ vera Sacramenta ſint, quæue recta ſit eorum adminiſtratio, adhuc apud eos in dubium reuocari ſolet. Nam inter noſtri temporis ſectarios maxima controuerſia eſt de numero, & vſu Sacramentorum. Nam Philippus Melanchton edit. vltima locorum comm. cap. de Sacramentis, quatuor Sacramenta enumerat, Baptiſmum, Cœnam Domini, Abſolutionem, quibus etiam addit ordinem. Lutherus de captiuitate Babilon. tria tantummodò ſtatuit, Baptiſmum, Cœnam Domini, & Abſolutionem. Caluinus Inſt. lib. 4. c. 14. §. 20. & c. 18. §. 20 duo tantum agnoſcit, Baptiſmum, & Cœnam Domini. Porrò in hoc opinionum diſſidio, quomodò certa Religionis vnitas ſtabiliri poteſt? exeāt enim Melanchtoniſtæ, qui quatuor Sacramenta ponunt, verumq. Sacramentorum vſum, ac adminiſtrationem ſibi vendicant. Prodeant Lutheriſtæ, qui tria tantùm eſſe volunt, in his Religionis vnitatem ſitam eſſe agnoſcant. Veniant demum Caluiniſtæ, qui à prioribus diſſentiunt, ac cæteris reiectis duo tantummodò ſtatuunt; atque in his verum Sacramentorum vſum repoſitū credunt. Horum adminiſtrationem maximo ſuorum conſenſu receptā, velut certam veræ Religionis notam ſibi ſtatuant.

Philippus Melancht.

Lutherus.

Caluinus.

tuant.

tuant. Quid? num omnibus vna occurret Religio; cuius vnitas adeò diſcrepantibus opinionibus diſciſſa apparet? Quòd ſi vna omnibus eſſe nō poteſt, reliquum eſt, vt quæque vnitas ſuam ſibi Religionem vendicet; verùm cum vna tantùm ſit Religio, reſtat vt hic conſenſus non vnam, ſed multiplicem, ac incertam potius Religionem præſtet.

Gemina itaque hac Religionis vnitate tanquam inutili expulſa: quo pacto veræ Religionis vnitas, quam ex Apoſtolo conſtituimus, ad ſolam Romanam Religionem pertineat, diſtinctè explicandum eſt. Primùm igitur Romanam Religionem illud Chriſti corpus eſſe, de quo Paulus ad Rom 12. *Multi* (inquit) *vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Et Epheſ.4. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis.* inde ſanè manifeſtum eſt: quòd Paulus cum hæc ſcriberet, illud tantùm Eccleſiæ corpus verum eſſe agnoſcebat, cuius regimen Chriſtus Petro, velut capiti ſubrogato, commiſerat, cum diceret. *Simon Ioannis diligis me plus his, Paſce oues meas.* & cuius tunc ipſe membrum erat. Quis verò iam tum Romanam Eccleſiam ſub Petro inſtitutam, ac velut Gregem ſuo Paſtori vnitam ignorat? quod fuſius infra in ſexto Conſilio demonſtrandum erit. Paulo ſuffragatur Matthęus, qui veram Eccleſiam illa Domini voce, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* in Petro fundandam confirmat. Ex quo id exploratum eſt: nullum aliud veræ Religionis corpus, præter id, quod in Petro poſtea fundatum fuit, agnoſcendum eſſe: Iam verò cum Romana Eccleſia ea ſit, quæ à Petro fundata, tàm priora illa Apoſtolorum tempora, quibus Apoſtolica fides vbique diſſeminabatur, quàm poſteriora poſt Apoſtolos complectitur: cui dubium eſſe poteſt, quin ea ſola veræ Religionis corpus haberi debeat?

Ioan.21.

Matth.16.

Neque te moueat (Lector) quod Lutheriſtæ omnes cũ Luthero Eccleſiam, iam ab ipſis Apoſtolorum temporibus,

to-

totam à Chriſto defeciſſe obtendant: quibus & Caluinus ipſe non ſemel aſſentit in Epiſt. ad Sadoletum ita ſcribens, *Palàm eſt, conſpicuumq. eruditis ſimul, & indoctis, proſtratum fuiſſe Chriſti regnum, cum erectus eſt Pontificis Romani principatus*; atque hoc ipſum cõfirmat lib.4. Inſt. c.7. his verbis. *Fuerit ſanè olim Roma omnium Eccleſiarum mater: Verùm ex quo Antichriſti ſedes fieri cœpit: deſiit eſſe id, quod erat.* Illatam à Caluino Romanæ Eccleſiæ contumeliam nõ moror: Eam ſiquidem S. Hieronymus pro nobis abſtergens, in Caluinum potius, ac cæteros ſectarios retorquet, ita contra Luciferianos ſcribens. *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti non à Domino IESV Chriſto; ſed à quoquam alio nuncupari: vtpote Marcioniſtas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campitas; ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam.* Neque vlli dubium, quin Hieronymus, ſi in hæc noſtra tempora incidiſſet; ac Caluiniſtarum, Lutheranorum, ac reliquorum Religioniſtarum uulgus conſpexiſſet, Marcioniſtis, ac Valentinianis Caluiniſtas, Lutheranos, ac cæteros addiſſet: ſed hæc miſſa facio.

S. Hieron. cont. Luciferianos in fin.

Cui uerò non horrendum uideri debeat, Eccleſiam uix genitam, ac infantem, cum iam adoleſcere, ac pubeſcere deberet, ut matura Chriſti ſpõſi amplexibus inhæreret, ab eo ita repudiatam, ac donis omnibus expoliatam fuiſſe: Vt eam ſine fide, ſine ſpe, ſine charitate, ſine religione, ſine uero Sacramentorum uſu, ſine legitima uerbi prædicatione, ſine peccatorum remiſſione, per mille quingentos, & amplius annos, omni ueræ Religionis forma orbatam, obſcuram, apoſtaticam deſeruerit.

Huc ſeriò (Lector) animum intende, ſi Romana Eccleſia, ſimul ac in Petro erectus eſt Romani Pontificis principatus, proſtrata fuit, atque Antichriſto ita miſerè copulata, ut turpiſſimè illius adulterio conſtrupraretur: quid perpetuum, ac indiſſolubile ipſius cum Chriſto connubium olim prænunciauit Oſeas illis uerbis: *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in Iuſtitia, & Iudicio; & in miſeri-*

Oſe.2.

ſericordia, & in miſerationibus: & ſponſabo te mihi in fide. Hæc cum de antiqua illa Hebręorum ſynagoga dici non potuerint: quæ nō longè poſt Oſeę tempora à Deo reprobata fuit: De Romana Eccleſia, quę Chriſto copulanda, atque in Petro fundanda erat, dicta fuiſſe, nemo iure in diſcrimen reuocare debet: quo fit, ut cum eam Deus indiſſolubili, ac perpetuo fidei coniugio ſibi copulandam polliceatur: Vt firmum Dei Verbum ſtet, ea neque in Apoſtolis, neque poſt Apoſtolos unquam à Chriſto fide diſiuncta fuerit. Quam ergo Deus ſibi coniunxit, cur Caluinus, & Lutherus ab eo ſeparant?

Plura alia Prophetarum oracula, ut breuitati conſulam, prętereo, qui Chriſti Eccleſiam ſtabilem, & immotam ſēper in orbe futuram olim prędixerunt, quę in ſecunda regula copiosè commemorata fuere: Chriſti dumtaxat teſtimonium urgeo, qui Matthęi c. 16. tam luculenter perpetuam Eccleſię ſtabilitatem demonſtrat. Vt nefas ſit omninò de ea dubitare: *Tu es Petrus* (inquit) *& ſuper hanc petrā ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Siue enim Petram, Petrum ipſum: ſiue Chriſtum iuxta Caluini ſenſum intelligas, in quo Eccleſia ædificanda ſit; an non perennem hic Chriſtus Eccleſiæ in fide conſtantiam pollicetur, cum ait: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam?* Quid his verbis præclarius? quæ nos alibi iuxta Sanctorum Patrum ſenſum explicuimus. Certè ſi hoc Lutheri, & Caluini placitum apud Chriſtianos, qui Euangelio credunt, quicquam obtinet: id profectò fieri neceſſe eſt, vt mendax, ac vana Chriſti promiſſio ab omnibus credatur? Quis verò tam horrendam perfidiam ferre queat.

Arrige aures Lector. Si verum eſt Lutheri, & Caluini aſſertum, quod, cum primum erectus eſt in Petro Romani Pontificis principatus, vera Eccleſię doctrina extincta, hęreſis, ac mendacium in Romanæ Eccleſiæ arcem irrupit: quid de tot Martyribus ſentiunt, qui tot poſt erectum Ro-

Digitized by Google

mani Pontificis principatum ſeculis pro Chriſti fide tuenda paſſi ſunt? An non eos pro hæreſi, quæ vbique graſſabatur, non autem pro vera Chriſti fide, quæ iam extincta erat, paſſos arbitrari ęquum eſt? Quid de tot priorum temporum Patribus Cypriano, Irenæo, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Athanaſio, Cyrillo, Chryſoſtomo, atque alijs, quos ij nobiſcum ſanctos, & Catholicos vocitant, ac veræ fidei aliquando Doctores appellant, ſecum iudicant? Num eos extra veram Eccleſiam, quæ nullibi extabat, ſanctitate floruiſſe exiſtimant? cum extra Eccleſiam nulla vera, neque fides, neque ſanctitas eſſe poſſit? Quò nam tot generalia Concilia aduerſus Hæreticos celebrata euaſere, quæ nec ipſi audent reſpuere? Tot Pôtifices, qui pro Chriſto ſanguinem fuderunt? Tot Epiſcopi, qui poſt Apoſtolos admirabili vitæ ſanctimonia in Eccleſia præluxerunt? His ne hæreſis, aut Apoſtaſiæ maculam inurent, quorum ſanguine, fide, & doctrina Chriſtiana Religio in orbe aucta, & propugnata fuit?

Si Romana Eccleſia poſt Apoſtolos Apoſtatica fuit, ac Antichriſti ſedes euaſit, quomodò, cum eſſet errorum Magiſtra, aduerſus hęreſes omnes, quæ poſt Apoſtolos in Eccleſia ebullierunt, tam acriter decertauit, vt eas ab Eccleſia expulerit? Quis Nouatianos, Sabellianos, Manichæos, Donatiſtas, Arrianos, Eunomianos, Neſtorianos, Eutichianos, ac innumeros ferè alios hæreſum auctores, quos ipſi nobiſcum velut Hæreticos damnãt, verbo, ſcripto, auctoritate profligauit? An non vna Romana Eccleſia? de qua olim antiquiſſimus Pater ita ſcripſit. *Eccleſiam vnam ſolam, Catholicam, & Apoſtolicam agnoſcimus; quæ ſicut nunquam expugnari poteſt, et iam ſi totus mundus eam oppugnare inſtituat: ſic omnem impiam Hæreticorum incurſionem euincit, & profligat.* Hæreſes verò cum non niſi veræ Eccleſiæ doctrina expelli queant: an non inde explicatum eſt, Romanam Eccleſiam in fide ſemper incolumem fuiſſe?

Alex. Epiſ. Alexand. ep. ad Ep. Cõſtantin.

Poſtremò cum Chriſtus perpetuam ſui ipſius præſentiã,

quæ

quę non niſi vera fide haberi poteſt, Eccleſiæ promiſerit illis verbis. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*. cum eum Gabriel Angelus in domo Iacob, nempe in Chriſtiana Eccleſia, vti Patres exponunt, in æternum regnaturum eſſe autumet. *Et regnabit in domo Iacob in æternum*. Cum Eccleſiæ ſuæ Chriſtus ſpiritum veritatis perpetuum comitem fore affirmauerit. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis*. Denique cum Apoſtolus Eccleſiam firmamentum, & columnam veritatis eſſe prædicet. *Vt ſcias, quomodò te oporteat ambulare in domo Dei, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis*. Qua ratione ij Romanam Eccleſiam, quæ ipſa Eccleſia Apoſtolica eſt, in Petro extructa, vel ſtatim poſt Chriſti tempora, vel, vt Caluinus aliquando ſenſit, poſt quingentos ab Apoſtolis annos toto orbe perijſſe, atque horrenda Apoſtaſia à Chriſto defeciſſe, effutiunt? Quod ſi Romana Eccleſia, tota acclamante ſcriptura, inocciduam fidei veritatem nullo vnquam tempore, aut temporũ iniuria delendam à Domino accepit: vt perpetuò florens, inuicta, firma contra omnes hæreſes ſtaret, ac de omnibus triumpharet. Vt teſtatur Auguſtinus de fide ad Cathecum. his verbis. *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam inutilia ſarmenta de vite præciſa: ipſa autem manet in radice ſua, in charitate ſua: portæ inferi non vincent eam*. Iam tecum perpende (Lector prudentiſſime) quid de nouitijs Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, atque aliorum Eccleſijs tibi ſentiendum ſit: quibus Romana Eccleſia ab initio bellum indixit, vt veram, & Apoſtolicam fidem, cuius ea ſola legitima hęres eſt, à Petro inſtituta, ab eorum erroribus vindicaret.

Ioan. 15. Luc. 1. Ioan. 14. Aug. de fid ad cat. c. 5.

Sed vt eò redeat, vnde noſtra deflexit, oratio. Ex his tibi perſpicuum eſſe poteſt: In Romana Eccleſia perfectam

corporis vnitatem, quam verę Religioni ex Apoſtolo neceſſariam eſſe docuimus, non obſcurè elucere. Quam etiam alio argumento ex ipſa corporis natura, & conſtitutione ducto, proſequi lubet: Nemo enim ignorat, corpus tunc vnum, ac ſimplex appellari, cum in plura corpora nõ diſcinditur, ſed vnius duntaxat naturam, ac vnitatem retinet: Hoc modo & de veræ Religionis corpore ſentiendũ eſt: vt ſcilicet illud tantummodò veræ Religionis corpus habeatur, quod in ſectas, tanquam in diuerſa corpora, nunquam aut olim, aut hoc quoque tempore diſsectum ſit.

Porrò hęc Romanæ Eccleſiæ perpetua dignitas fuit, ex qua vera, & Apoſtolica demonſtratur; quòd ea nullo vnquam tempore in ſectas, aut varia Religionum corpora diſſecta fuit. Quamquam enim ea ſæpe hæreſes in ſe inſurgentes, non raro ſchiſmata paſsa fuerit, nunquam tamen ijs conſenſit; ſed tandiù cum illis pugnauit, quòad de illis triumphum reuexerit: quod ſanè omnibus exploratum eſt, qui illius victorias aduerſus Manichęos, Arrianos, Donatiſtas, Eutichianos, Sabellianos, Pelagianos, ac cęteros Hæreticos non ignorant.

Equidem meminiſse debent, cũ Arriana hęreſis (vt cęteras taceam) velut altera Bellona vbique furias deſpumaret, & vna Alexandria non contenta, Regum arces, ac Imperatorum aulas obtinuiſset, & quamplurimas Chriſtianas Eccleſias ſuo furore occupaſset, ac demum ita omnia ferè Eccleſię membra inuaſiſset, vt nullus Catholicę fidei locus penè relictus videretur: nunquam tamen id à Romana Eccleſia conſequi potuiſſe, vt cũ ea fœdus iniret, aut breui aliquo tempore illam in communionem reciperet. Diu quidem illius furores, ac perſequutiones perpeſsa fuit, ac innumeris modis contuſa; at ſcindi, ac in ſectas diuidi non potuit: id verò ſua conſtantia obtinuit, vt non tam armis, & exercitu, quàm Chriſti potentia, ac proprię vnitatis robore, diſsectam hęreſim, cęſam denique repulerit, ac fugauerit: vt vel hoc facto perſpectum ſit, ſolam Romanam

Eccleſiam, vnum, ac inuictum illud regnum eſse, quod non corrumpitur: ſed vniuerſa hæreticorum, ac ſchiſmaticorum regna comminuit. Dan.2.

Et quidem ſi de hæreſibus rectè iudicandum eſt, nullum fuit vnquam hæreſis regnum, quod in plures formas non abiret, ac in multiplices ſectas non diſcinderetur; quod de Marcioniſtis, ac Valentinianis olim teſtatus eſt Tertullianus de præſcriptionibus aduerſus Hæreticos, cap. 42. vbi non ſolum id Hæreticorum proprium eſse agnoſcit, vt in partes ſcindantur, verum etiam vt quæque pars à ſe ipſa diſsentiat. *Mentior* (inquit) *ſi non etiam regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodùm de ſuo arbitrio ea compoſuit ille, qui tradidit*. Id quoque de Arriana ſecta tradunt Athanaſius oratione prima contra Arrianos. Baſilius epiſt. 82. & Socrates Eccleſiaſticæ hiſt. lib. 5. cap. 10. ita ſcribit. *Diuerſa erat cuiuſque de veterum libris ſententia, & mens inter ipſos diſcrepãs: ac non ſolum variarum ſectarum varia fuit opinio; ſed qui vnã, eandemq. ſectam ſequebantur, hi inter ipſos diſſenſerunt*. Idem & poſterioribus hæreticis accidiſſe certum eſt, qui nunquam integro ſuarum hæreſum regno potiti ſunt; ſed tanquam ſcopæ diſsolutæ in varias ſectarum formas abeuntes, non niſi lacerum, ac diſperſum regnum obtinuerunt. An verò hac noſtra tempeſtate id ipſum de Lutherana, & Caluiniana Religione conſpicere liceat, quam vix genitam in multiplices ſectas ebulijſse cernimus, tu (Lector) Iudex eſto.

Tertullian. Athan. Baſilius. Socrat. eccle. hiſtor. lib. 5. c. 10.

Ad capitis uiſibilis unitatem uenio, quam Apoſtolus ad ueram Religionem declarandam prorſus neceſsariam ſtatuit: Ne uiſibile Chriſti corpus acephalum conſtituatur, Grex ſine Paſtore incedat, Domus abſque Patrefamilias, Ciuitas abſque Gubernatore, Regnum abſque Rege, Nauis abſque Rectore, Exercitus abſque Imperatore, quæ cũ ipſo naturę ordine pugnant, aſſeratur; quemadmodùm fuſè in 5. Regula diſseruimus.

Iam

Iam uerò quod in ſola Romana Religione, hęc uiſibilis capitis unitas effulgeat. Res tam extra omnem controuerſiam eſt, ut Lutherani, Caluiniſtæ, Puritani, Proteſtantes, Anabaptiſtę, & quotquot Religionis ſibi nomen imponũt, Romani Pontificis primatum utraque manu oppugnent; neque id dumtaxat: ſed ante eos quoque Donatiſtę, Manichęi, VValdenſes, Huſſitæ, & alij nouorum dogmatum auctores, aciem in Romanum Pontificem direxerunt,ut eũ ab Eccleſiæ ſolio deturbarent. Verum id fruſtra enixi, quandoquidem in lapidem illum Apoſtolicum impegerunt: De quo dici poteſt id, quod de ſe Saluator ipſe apud Lucam. *Omnis,qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet eum*.

Luc.20.

Nititur quidem Caluinus cũ aſſeclis, ubi omnibus machinis admotis Petri in Eccleſia principatum fruſtra conatus eſt diruere, eum ſaltem à Romanis Pontificibus auellere: quaſi Petrus, hanc neque Romano Pontifici, neque Romanæ Eccleſiæ capitis dignitatem acquirere potuerit: hocq. nos præſertim argumento urget Inſt. lib.4 c.6. ſibique reſponderi poſtulat. Sit ne priuilegium hoc perſonale, an reale, an mixtum. *Si dixerint* (inquit) *perſonale nihil igitur ad locum: ſi reale, ergo vbi ſemel datum eſt loco, non adimitur, propter perſonæ vel mortem, vel diſceſſum: ſupereſt igitur, vt mixtum eſſe dicant: tunc autem non ſimplex erit loci conſideratio, niſi perſona ſimul reſpondeat.* Hoc uelut ingenti aliquo argumenti nodo Caluinus nos obſtrictos exiſtimat, quaſi omninò diſſolui nequeat. At certè non Gordianus, ſed Caluiniſticus nodus eſt, qui nullo negotio diſſoluitur. Optimè uerò illum ſoluit Bellarminus de Rom. Pontif. lib.2. c.12. Dignitatem Pontificalem ex prima Chriſti inſtitutione fuiſse perſonalem, non quidem priuatam, aut priuato homini collocatam; ſed publicam pro Petro, ac ſuis ſucceſsoribus datam: Attamen ex facto Petri (addo, & ex ſecundaria Chriſti inſtitutione) factam eſſe poſtea localem, ſeu mixtam: ita vt non tam Petri, ac ſucceſſorum Pontifi-

cum

cum perſonas includeret, verum & ipſam Romani Epiſcopatus ſedem complecteretur.

Declaro. Quòd Petrus pro ſe, ac ſuis ſucceſſoribus Eccleſiæ principatũ à Chriſto acceperit, priuilegium fuit perſonale publicum. Nam priuilegia perſonalia priuata ea dicuntur, quæ vnius tantùm perſonam reſpiciunt; publica verò, quæ etiam ad ſucceſsores ſeſe extendunt: Quòd verò Romanus Epiſcopus, non Antiochenus, aut Alexandrinus Petro in Pontificatus dignitate ſuccedat, id ex priuilegio locali effluxit, quod partim ex facto Petri emanauit, qui Romanam ſibi, inter cęteras, ſedem delegit; partim ex ſecundaria Chriſti inſtitutione, qui eam ſedem Petro deligẽdam mandauit: Hoc pacto mixtum dicimus eſſe Romanæ Eccleſiæ priuilegium, quo primatum in omnes alias Eccleſias gerit: non quidem ex perſonali priuato, ſed publico: ex quo Caluini illatio proſternitur, cum illud arguit non dari loco, niſi pro tempore, quo in eo eſt talis perſona, ideſt, Petrus: Nos verò dicimus dari loco pro tempore, quo in eo Petri in Romanis Pontificibus ſucceſſio viget. At certè mihi videtur faciliùs Caluinicum hunc nodum explicari poſſe, ſi dicamus tunc primùm reale priuilegium Eccleſiæ Romanę à Deo fuiſſe conceſſum, vt Apoſtolica ſedes cæteris Eccleſijs prælata fieret, cum ad eam regẽdam Petrus Apoſtolorum Princeps Deo iubente ſe contulit, ac perſonale, Pontificiumq. priuilegium cum reali coniunxit.

Hac itaque Caluini, atque aliorum cauillatione diſſoluta: cum Petri poteſtatem in Romanum Põtificem legitimè transfuſam in prima huius Libelli parte Reg. 7. latè demõſtrauerimus: Ex quo illum Apoſtolicum, ac viſibile Eccleſiæ caput eſse euicimus. Nemo eſt, qui ex hac viſibilis capitis vnitate, quæ in ſola Romana Eccleſia ex Chriſti inſtitutione florere cernitur: ſolam quoque veram Religionem eſse non agnoſcat?

Quamobrèm ad tertiam, ac poſtremam verę Religionis vnitatem accedo, quæ ex fidei vnitate manat: quæ in Romana

Digitized by Google

mana Eccleſia tam pręclarè nitet; Vt Romanæ Religionis fides, vbi ſemel in orbe propagata fuit, adeò ſemper vna, & conſtans in fidelium, ac Orthodoxorum omnium mentibus permanſerit: Vt quamuis locis exciderit, & perſonas quãdoque effugerit, quas hęreticus furor occupauit, ſententiã tamen nunquam mutauerit: ſed eadem ſemper, ac vniformis, tanquàm ab ipſa veritate genita, quæ vna ſemper, ac ſibi conſona eſt, vbicunque ſemel ſedem fixit, perſeuerauerit: ex quo non immeritò Catholicę, ideſt Vniuerſalis nomen iã olim ſortita fuit: ita vt Auguſtinus de Romana Eccleſia diſſerens contra Ep. Manichęi, quã fundamentũ vocant, ſolam Catholicam appellatam fuiſse commemoret, vt eo nomine ab Hęreticorum ſectis diſcerneretur, ita ſcribens. *Non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic ſola Catholica Eccleſia obtinuit, vt cum omnes Hæretici ſe Catholicos dici velint: quærenti tamen Peregrino alicui; Vbi ad Catholicam conueniatur: nullus Hæreticus, vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere* Atque hoc tandem nomine Romanam Eccleſiam veram agnouiſse, & ad ipſius ſinum adductum, in eoq. confirmatum fuiſse tradit in eadem Epiſtola, cum ait. *Multa ſunt, quæ me in Catholicæ Eccleſiæ gremio iuſtiſſimè tenent* &c. *Tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen*. Denique cum veram Religionem certo ſymbolo agnoſcendam tradit lib. de vera Religione. Non aliam quàm Romanam, quæ Catholica nuncupatur, indigitat his verbis. *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quę Catholica eſt, & Catholica nominatur: non ſolum à ſuis, verum etiam ab omnibus inimicis.*

S. Aug. cõt. ep. fidam. c. 4.

De vera re lig. c. 7.

Id luculentiùs confirmat Ambroſius, oratione Funebri de exceſsu Satyri, vbi Romanam Eccleſiam diſertis verbis Catholicã appellat, ita ſcribens. *Aduocauit ad ſe Satyrus Epiſcopum: Nec vllam veram putauit, niſi veræ fidei gratiam: percunctatuſq. eſt ex eo, vtrumnàm cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia communicaret.* Denique quotquot ex antiquis Patribus de Romana Eccleſia ſcripſerunt,

Ambr. ora. de exceſs. Satyri.

ſerunt, eam omnes Catholicam nuncuparunt, ea præſertim ratione, quòd vnam, & Catholicam fidem, omnium temporum, locorum, ac perſonarum cõſenſione firmatam prædicaret: Romana etenim Fides fuit, quæ ab Athanaſio in ſymbolo Catholica nominatur. *Hęc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterq. crediderit, ſaluus eſſe non poterit*. Romana fuit Niceni Concilij, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis fides, quam vbique Catholicam Patres vocitant, eamque Gregorius lib. 1. ep. 74. ſicut ſancti Euangelij quatuor Libros, ſic eam venerari, & amplecti fatetur. Romana fuit Pontificum Romanorum Fides, quam Catholicam Orthodoxi Imperatores appellant, ac ſuis legibus muniunt, vt conſtat ex Epiſtola Conſtantini ad Silueſtrum Papam, & ex Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio lib. 1. c. de ſummaTrinit. & Fide Catholica: tum ex Ep. Martiani Imperatoris ad Leonem Papam; ex Iuſtiniani Ep. ad Ioannem PP. Cod. de ſumm. Trin. & Fide Catholica, ac pleriſque alijs. Denique quotquot ex Orthodoxis Patribus Romanę Religionis fidem ſcriptis illuſtrarunt. Cyprianus, de Vnitate Eccleſiæ. Epiphanius in Ancorato Ioannes Chryſoſtomus ſerm. ex Apoſtolo de Fide, Spe, & Charitate, & ſerm. de Fide, & lege naturæ. Ioannes Damaſcenus de Fide Orthodoxa. Ruffinus in explicatione Symboli. Fulgentius de Fide ad Petrum. Ambroſius, & alij Catholicam, ac vniuerſalem agnouerunt. Ex quo id tandem (Lector) tibi perſpicuum eſſe debet, quod cum Romana Eccleſia ante tempora Athanaſij, Auguſtini, ac cæterorum Patrum, quos ſupra commemoraui, Catholica fide, Catholicæ cognomen acceperit; non modò perfectam fidei vnitatem ſibi ab initio vendicauerit, verùm etiam id ab Apoſtolis agnomen tuliſſe credendum ſit, vt eo titulo ab Hæreticorum ſectis, quæ ab ipſo Apoſtolorum tempore pullulare cœperunt, diſcerneretur; ac vera Religio agnoſceretur. Atque vt hęc tibi luculentiora fiãt.

Lib. 1. c. de ſum. Trin. & fid. Cat.

Cyprianus Epiphan. Chryſoſto. Damaſcen Ruffinus. Ambroſ.

Id tibi (Lector) velut certiſſimum perſuaſum ſit, ſingu-

larem fidem ſemper Hæreticorum fuiſse. Hi namq. cum à communi Catholicæ Eccleſiæ fide ſe ipſos diſsuāt; nouam ac ſingularem ſemper fidem ſibi quærunt, qua ſingulares videri volunt. Nam vt teſtis eſt Lirinenſis adu. hæreſes c.43. *Profanas nouitates recipere, aut ſectari, nunquam Catholicorum, ſemper verò Hæreticorum fuit*. Et reuera quæ vnquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? quis vnquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe prius ab Eccleſiæ vniuerſitate, & antiquitatis conſenſione diſcreuit? quod ita eſse luce clariùs exempla demonſtrant; tandem hoc apud omnes ferè hæreſes quaſi ſolenne eſt, atque legitimum; vt ſemper profanis nouitatibus gaudeant, & ſingulares videri velint. Hinc etiam Hilarius ad Conſtantium ſcribens, *Miſerabile* (ait) *apud Hæreticos tot eſſe fides, quot voluntates*. Verùm Romana Religio, cum ab exordio ad hæc uſque tempora, unam, ac Catholicam ſemper fidem docuerit; atque inde perpetuum Hæreticis bellum ſemper indixerit: in hiſq. ſingularem fidem perſequuta fuerit; hoc planè titulo ſe ueram, & Apoſtolicam Religionem nullo diſcrimine amplectendam demonſtrat.

Vincentius Lirinenſis ad hereſe.

Hilarius.

Sed quoniam de hoc Argumento plura in ſecundo, & tertio Conſilio dicturi ſumus, hæc ad huius Conſilij grauitatem, ac ſynceritatem tibi confirmandam dicta ſufficiant.

CONSILIVM SECVNDVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (quiſquis erga veram Fidem, ac Religionem ſtudio afficeris) *Romanam Fidem, ac Religionem ſolam eſſe antiquam, Apoſtolicam, & omnium temporum Vniuerſalem: Idcircò præter eam nullam Fidem, ac Religionem amplectendam eſſe.*

Hoc Conſilium ei potiſſimùm Regulæ innititur, qua in prioris Libelli parte varijs argumentis probauimus; eam dumtaxat veram Fidem, ac Religionem cenſendam eſſe, quæ omnia tempora, loca, ac perſonas ſua vniuerſalitate com-

complectitur. Et quidem quo ad illius probationem ſpe-ctat; ea nec difficilis, nec longè à nobis petenda eſt. Ipſum enim Catholicæ agnomen, quod iam ab Apoſtolorum tempeſtate illi inditum fuit; quo etiam apud omnes appellari ſolet, non leue tibi huius rei argumentum præſtat; cum antiqua hac Catholici nominis appellatione, ius ſibi in veram tum Fidem, tum Religionem ſola vendicauerit. Huc enim ſpectat, quod de Romanæ Eccleſiæ fide olim inquit Apoſtolus ad Romanos ſcribens: *Primùm quidem gratias ago Deo meo per IESVM Chriſtum, pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* Rom. 1. Vbi id obſeruat Chryſoſtomus. Apoſtolum non dixiſſe, Fides veſtra manifeſtatur, ſed annunciatur; καταγγέλλεται: eò namque inſinuat, Romanæ Eccleſiæ fidem, non modo velut Catholicam per totum orbem diffundendam eſſe; ſed totius Catholicæ fidei perennem Magiſtram, ac Matricem eſſe futuram: atque hoc ſenſu Cyprianus in quoſdam Hæreticos inuectus, qui ſe cum Romana Eccleſia communicare falsò aſſeuerabant, ait: *Nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt: ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.* Cypr. epiſ. 55. Quod etiam luculentioribus verbis in alia Epiſtola confirmat, ita ſcribens: *Claruit, fratres chariſſimi, Fides, quam de vobis Apoſtolus prædicauit: hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem iam tunc in ſpiritu præuidebat, & præconio futurorum merita veſtra conteſtans, dum parentes laudat, filios prouocabat.*

Hinc profectò manifeſtum eſt, Romanam Fidē illud Catholicæ agnomen, quo vniuerſalis omnium temporum, locorum, ac perſonarum fides comprehenditur, neque ab hominibus, neq; pro vna, vel altera orbis ætate; ſed à Deo, per Apoſtolum docente, per omnia Eccleſiæ tempora propagandum accepiſſe. Quamobrèm Auguſtinus, cū de vera Religione agit, eam hoc potiſſimùm Apoſtolico titulo agnoſcendam tradit, his verbis: *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt,* Aug. de vera Relig. c. 7.

& Catholica nominatur non ſolùm à ſuis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolintue, ipſi quoque hæretici, & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur; Catholicam, nihil aliud quàm Catholicam vocant: non enim poſſunt intelligi, niſi hoc nomine eam diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur.

Hoc itaque primum Argumentum ſit, quo Romana Fides, ac Religio ſe omnium temporum, locorum, ac perſonarum Catholicam eſſe declarat. Cui duplex ratio, ab ipſa rei experientia petita adſtipulatur. Prima eſt, quod ſola Romana Religio à noua, ac ſingulari fide ſemper ſummoperè abhorruit. Cuius rei in primis teſtis eſt Baſilius ad Antiochenam Eccleſiam ſcribens, his verbis: *Fidem verò Nos, neque recentiorem ab alijs conſcriptam ſuſcipimus, neque ipſi mentis noſtræ germina alijs tradere audemus: ne humana commenta exiſtimentur eſſe verba Religionis: ſed quæ à Sanctis Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus vobis annunciamus.* Quæ omnium quoque Catholicorum Patrum vox eſt, qui cum Baſilio Catholicam Romanæ Eccleſiæ Fidem coluerunt: de quibus Auguſtinus ait: *Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt.*

Baſil ep. ad Eccle. Antioch.

Aug. cont. Iul. Pelag. lib. 2

Enimuerò, cum exploratum ſit (teſte Lirinenſi) ſingularem fidem, ac profanas nouitates recipere, aut ſectari, nunquam Catholicorum; ſemper verò hæreticorum fuiſſe, qui ſe ipſos à Catholicæ Eccleſiæ fide diſſuunt: omnibus æquè perſpectum eſt, Romanam Eccleſiam perpetuum hæreticis bellum indixiſſe, ac in eis ſingularem fidem nullo nunquam tempore perſecutam fuiſſe.

Vinc. Lirinen. aduer. hęreſes c. 43.

Neque enim (Lector) tibi ignotum eſſe poteſt, non aliã præterquàm Romanam Eccleſiam Marcioniſtas, Cathaphryges, Archonticos, Gnoſticos prima illa Eccleſiæ ætate ebullientes, inſtructa aduerſus illos Catholicorum ſcriptorum, Clementis, Martialis, Ignatij, Tertulliani, Papiæ, atque aliorum acie, effugaſſe. Hæc ſola ſecundo ſeculo

Mon-

Digitized by Google

Montaniſtas, Encratitas, Aſcodrogitas, Elceſaitas, immiſſa in eos Orthodoxorum Doctorum cohorte, Iuſtino, Theophilo Antiocheno, Athenagora, Irenæo, Clemente Alexandrino, & cæteris Romanæ Eccleſiæ ſcriptoribus, obtruncauit. Hęc tertio ſeculo exurgentes Nouatianos, Origeniſtas, Sabellianos, Hierarchitas, Manichęos, Arrianos, coacta Nicena Synodo à Silueſtro Romanę Sedis Antiſtite, velut Catholico enſe, confodit. Hęc quarto ſeculo, erumpentes in Africa Donatiſtas, Antropomorphitas, Luciferianos, Eunomianos, Apollinariſtas, Seleucianos, Pelagianos, excitatis aduerſus illos Sanctorum Patrum caſtris, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, altero Nyſseno, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Fulgentio, Proſpero, atque alijs, extinxit.

Sed quoniam, ad hanc vſque Eccleſię ætatem Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani, &c. Romanæ Eccleſiæ Fidem veram, & Catholicam fuiſſe, cum Caluino nobis facilè dabunt; audiant poſteriores quoque Hæreticos, qui poſt Gregorij Magni tempora Eccleſiam perturbarunt, nō alia, quàm Romanæ Eccleſiæ fide proſtratos fuiſse.

Etenim, poſt Gregorium, Iacobitarū hæreſis ſurrexit, qui pręter Eutychianā hæreſim, quam colebant, paruulòs quoque ſuos in vtroque ſexu more Sarracenorum circumcidebant: vt teſtantur Vitriacus Guido, & Bernardus Lutzemburgus. Poſt Iacobitas Armenij pullularunt: qui, ijſdem teſtibus, vniuerſos homines ante Chriſti paſſionem damnatos aſserebant; cultu Iudaico boues, & oues ſacrificabant, atque alia quàmplurima aduerſus Catholicam fidem docebant. Pauliciani poſt hos Manichæorum, ac Valentinianorum hęreſes coluerunt. Græci hos ſequuti ſunt, qui à Photio ſeducti, & à Romana Eccleſia ſeparati, tradūt Spiritum Sanctum à ſolo Patre, non autem à Filio procedere. Planè inficiari non poſsunt, hos omnes, qui vſque ad Millenarium peruenerunt, inter hæreticos cenſendos eſse: quos tamen ſola Romana Eccleſia Catholicæ fidei verita-

te,

te, & Conciliorum auctoritate profligauit.

Poſt Millenarium, Bogomili à Baſilio eorum Duce orti, Perſonarum Trinitatem negarunt; Moyſen reiecerunt; Deum humana forma prӕditum putarunt, atque alia his ſimilia à fide diſsentanea diſseminarunt. Petrobruſiani nuptias damnarunt. Albigenſes duo principia, ac duos Deos Manichӕorum more, vnum bonum, & alterum malum ſtatuerunt; Baptiſmum ſuſtulerunt; tranſmigrationem animarum de corpore in corpus approbarunt; Chriſtum, nec verum Deum, nec verum hominem aſseruerunt. Lollardi, Luciferum perperàm è cælo exturbatũ; Michaelem, ac cӕteros Angelos æternis cruciatibus mancipandos affirmarunt; Virginis Deiparӕ Virginitatem negarunt; Baptiſmũ abiecerunt. VVicheſuiſtӕ tãdem inter cӕteras hӕreſes docuerunt, Deum debere obedire diabolo: nullũq. eſse Regẽ, Principem, Dominum ciuilem, quandiù eſt mortali peccato obnoxius; Iuramenta omnia, velut illicita condemnarunt. An non hӕ doctrinӕ ſunt toto orbe damnatӕ, quӕ ſuos Auctores proculdubio hӕreticos oſtendunt?

Dicant Lutherani, Caluiniſtӕ, Proteſtantes, ac Puritani (Lector) Quӕnam, prӕter vnam Romanam Eccleſiam, has hӕreſes aggreſsus fuerit, trucidauerit, extinxerit? Denique quotquot Hӕretici, ac nouorum dogmatum cultores erumpere viſi ſunt, ijs indicto bello Romana Religio Catholicӕ fidei telo ita confodit, vt tandem expirare coegerit. Quò fit, vt ſanè mirandum non ſit, ſi ea hoc quoque tempore cum Lutheranis, Caluiniſtis, Zuuinglianis, Anabaptiſtis, ac cӕteris huius tempeſtatis ſectarijs bellum ſanctificet: cum illud ſibi à ſuo ortu inditum habeat, vt cũ omni noua, ac ſingulari fide, quӕ omnium temporũ, locorum, & perſonarum Catholica non eſt, inimicitias gerat.

Altera ratio eſt. Quòd ſola Romana Religio, fidem Catholicam, ac Vniuerſalem ſemper docuit: quod ex communi fidei tradendӕ ratione, qua illa ſemper vſa eſt, facilè perſpici poteſt. Id enim te ignorare non oportet, quòd om-

omnibus exploratum eſt; Romanam ſcilicet Eccleſiam, in tradendis fidei rebus, eo ſemper conſilio vſam fuiſſe, vt eã tantùm doctrinam probaret, quæ aliquo Generali, ac legitimo Concilio tradita fuiſſet. Cum enim generalia Concilia (quibus vera, ac Catholica ſemper docere à Deo datũ eſt) ea ratione colligantur, vt Catholicam Eccleſiæ fidem aduerſus ſingulares, ac profanas hæreticorum nouitates tueantur: planè eam fidem tantummodò docent, quæ cõmuni totius Eccleſiæ, quam repræſentant, conſenſu, vera, & Catholica eſſe definitur: vt teſtatur Synodus octaua generalis, his verbis: *Regulas, quæ ſanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, tàm à ſanctiſſimis Apoſtolis, quàm ab Orthodoxorum vniuerſalibus, necnon & localibus Concilijs ſunt traditæ, ſeruare, & cuſtodire profitemur*. Quo fit, vt cum Romana Religio eam tantummodò fidem doceat, & alijs ſequendã proponat, quę olim à legitimis Concilijs approbata, ac definita fuit, & quæ omnium ſeculorum, & Gentium conſenſione iamdudùm roborata, ad nos vſque peruenit; nullam præterquàm Catholicam, & vniuerſalem fidem tradat.

Quamobrèm ſicut olim Auguſt. hoc argumento Donatiſtas fugauit, qui nouitias doctrinas, præter Catholicam, nullo Concilio terminatas obtrudebant, ita ſcribens: *Nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quę nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sũt: id autem fiducia ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri, & Saluatoris IESV Chriſti, vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt*. Ita nos quoque eoſdem Lutheranos, Caluiniſtas, Proteſtãtes, Puritanos, atque alios ſectarios prouocamus, qui cum ſingulares, ac prioribus ſeculis inauditas doctrinas proferant: neque veterum Conciliorum auctoritatem, neque Gentiũ, aut Populorum conſenſum, neque Vniuerſalis Eccleſiæ definitionem, neque vllum prorſus antiquitatis teſtimonium ſibi vendicant.

Aug. lib. 7. cont. Donat. c. 53.

Atque hęc quidem de Catholica Romanæ Religionis fi-

de

de in genere dicta ſint. Supereſt, vt ex propoſitis veræ fidei conditionibus ſingillatim diſcutiamus: An Romanæ Eccleſiæ fides omnium temporum, omnium locorum, omniumq. perſonarum conſenſionem ſibi vendicet: ita vt id tantùm credat, ac doceat, quod ſemper, quod vbique, quod ab omnibus creditum, ac traditum eſt.

Quod ad primum attinet (Lector) de quo in hoc Conſilio potiſſimùm quæritur: Romanæ Eccleſiæ fides cum Apoſtolica fide, ipſa antiquitate, ita ſe coniunctiſſimam, ac veluti conſanguineam declarat, vt niſi Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani &c. eam fidem damnare audeãt, quæ prioribus illis Eccleſiæ ſeculis, tot Martyres cælo peperit, tot Doctores Eccleſiæ genuit, tot ſanctos Pontifices, ac Patres Chriſtiano orbi dedit, totum denique orbẽ Chriſtianum reddidit: omninò fateri cogantur, Romanæ Religionis fidem ſolam, veram, antiquam, & Apoſtolicam eſſe: quæ cum antiqua illa, & Apoſtolica fide, fidei prorſus, ac dogmatum vnitate conſpirat.

Huius rei probationem, quoad aliqua tantùm fidei dogmata, quæ inter Catholicos, & Lutheranos, Caluiniſtas, Proteſtantes, Puritanos &c. ſunt controuerſa, in tertia Regula attigimus: vbi illorum fidem ad antiquam prouocantes, veteres priorum quinque ſeculorum Patres Romanæ fidei aſſertores protulimus: ex quo perſpicuum eſt, Romanam fidem in ea fidei doctrina, cum antiqua, & Apoſtolica proculdubiò conſpirare. Quapropter ea dogmatum probatione hoc loco ſuppoſita (ne dicta repeti contingat) grauiora tantùm, quæ ſuperſunt, fidei capita, in quibus nobiſcum Lutherani, Caluiniſtæ, Puritani, ac Proteſtantes pugnant, cum antiqua fide comparabimus: (neque enim alia examinari opus eſt, in quibus ipſi nobiſcum, & cum Apoſtolica fide conſentiunt.) Vt inde, an Romana Religio Catholicam omnium temporum fidem, iure poſſideat, perſpicere queas. In quo, vt Lutheriſtis, Caluiniſtis, Proteſtantibus, & Puritanis morem geram; qui cum Caluino veræ

fidei

fidei quingentos tantùm priores annos, poſtquàm ea ab Apoſtolis in orbe diſſeminata fuit, incontaminatos relinquunt; nimirum vſque ad Gregorij tempora: poſt quę Caluinus, in Romanæ Religionis arce, pro fide mendacium irrupiſſe, & neceſſariam doctrinæ ſummam inuerſam fuiſſe tradit. Veteres tantùm illorum ſeculorum Patres, Romanę fidei teſtes proferre lubet; vt inde (Lector) addiſcas, quàm facilè, ac lubenter noſtro etiam iuri cedimus, dummodò veritati, ipſi quoque tranſuerſi animi lucrifiant. Verumtamèn, quia vniuerſa Patrum teſtimonia proſequi nimis moleſtum eſſet, atque inſtitutam breuitatem excederet; vnius, vel alterius Patris teſtimonio explicato, ſat erit aliorum tantummodò loca fideliter indicare, vt ea veritatis ſtudioſi conſulere valeant.

Primùm igitur docet Romana Eccleſia, ac cõſtanter tradit: Originalem culpam, non ſolum in Prædeſtinatis, ſed etiam in Reprobis, ac demum in omnibus per Baptiſmum deleri: quod olim Origeniſtæ, Meſſaliani, Manichæi, Pelagiani; nunc verò Lutherani, Caluiniani, Puritani, ac Proteſtantes oppugnant; qui originalem culpã in omnibus poſt Baptiſmum manere contendunt: quamquàm ipſius damnatio Electis non imputetur. Porrò cum Romana doctrina omnium veterum Patrum doctrina collimat: Concilium Nicenum primum, de perfecta expiatione tam originalis, quàm actualis peccati, per Baptiſmum hominibus collata agens ita ſcribit: *Deſcendit, qui baptizatur reus peccatorum, & obnoxius ſeruituti corruptionis; & aſcendit liberatus ab hac ſeruitute, & peccato, factus filius Dei, & hæres eius gratiæ; cohæres autem Chriſti, indutus ipſum Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt: Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Mirum ſanè eſt (Lector) quo pacto aduerſus Apoſtolum id Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, ac Puritani aſſerere audeant: cum certum ſit, neminem, niſi à peccato originali ablutum, ac ſanctificatum, Chriſtum induere poſſe. Cũ Niceno, Concilium quoque Conſtantinopolitanum pri-

Cõfeſſ. fid. art. 11.

Conc. Nicen. 1. lib. 3 de ſacr. Baptiſm.

nium idem tradit, dum in Symbolo illa verba addit: Confiteor vnum Baptiſma, in remiſſionem peccatorum. At Auguſtinum audiant nobiſcum docentem: *A paruulo* (inquit) *recens nato, vſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibendus eſt à Baptiſmo: ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in Baptiſmo; ſed paruuli tãtùm originali: maiores autem ijs omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addiderunt ad illud, quod naſcendo traxerunt.* Id quoque luculentiùs confirmat alibi his verbis: *Aqua exhibens forinſecùs ſacramẽtum gratiæ, & ſpiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ: ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in vno Chriſto, ex vno Adam generatum.* Cum Auguſtino, & cum Romana Eccleſia idipſum tradunt Origenes homil 14. in Luc. Iuſtinus Martyr, orat. ad Antoninum Pium. Irenæus lib.3. c. 19. Tertullianus de Baptiſmo c.4.5.& 13. Gregorius Neocæſar. orat. in Epiphanium. Hieronymus ep. ad Oceanum 83. & dial. 3. contr. Pelag. c.6. Cyprianus epiſt. 59. Chryſoſtomus hom ad Neophytos. Concilium Mileuitanum cap.2. Concil. Aphrican. cap. 77. Leo I. epiſt.86. ad Nicetam. Cęſarius Arelat. homil.5. Paſch. Gregorius Nyſſenus orat. de Baptiſmo. Hilarius in Pſal. 65. & contra Arrianos: Ambroſius ſerm. 31. & de Sacrament. lib.1. c.4. Optat. contr. Parmen. lib.5. cęteros prętereo.

Aug. in Enchir. c.43.

Id. ep. 23. ad Bonifac.

Docet Romana Eccleſia. Nullum originalis culpę reatum, ſeu damnationem, neque in reprobis, neque in Prędeſtinatis poſt Baptiſmum manere; ſed Baptiſmo pœnitus auferri: cũ eo cęleſtis Regni fores omnibus pateſiãt: quod Lutherani, Caluiniſtę, Puritani, ac Proteſtantes, in Electis tantùm, non autem in Reprobis admittunt. At Romanæ Eccleſię Dogma, velut Apoſtolicum, docent ijdem planè Patres, quos modo retulimus, ac præſertim Auguſtinus, cuius hæc ſunt verba: *Lauacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit natiuitas, & contraxit iniquitas.* At præter Auguſtinum, ac cæteros, Cyrillus

Auguſt. Retract. lib. 1 c. 7.

rillus Hieroſolym.his verbis: *Magnum*(inquit) *eſt ſanè propoſitum hoc Baptiſma, captiuitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum ſanctum, & indelebile, currus ad cælum, deliciæ Paradiſi, Regni cæleſtis conciliatio, & chariſma adoptionis filiorum*. Iiſdem ferè Encomijs ſanctum Baptiſmum proſequitur Gregorius Nazianzenus, ita ſcribens: *Baptiſmus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Chriſto, fidei adminiculum, mentis perfectio, cæleſtis Regni clauis, vitæ commutatio, ſeruitutis depulſio, vinculorum ſolutio*. En, quàm apertè vterque doceat, nullam Baptiſmo regeneratis poſt Baptiſmum ob præteritas culpas, damnationem timendam eſſe, cum Baptiſmo omnia vincula diſſolui, Regnum cœleſte conciliari, ac ipſius fores baptizatis aperiri volunt. His per omnia conſentiunt Clemens Romanus epiſt.4. Clemens Alexan. lib.1. Pędag. cap.6. Euſebius Cęſarienſis vitæ Conſtantini lib.4. cap.61. Athanaſius, vel quis ſit auctor, quęſt.134. Epiphanius in Ancorato. Iſidorus Peluſiota lib.3. epiſto. 195. Theodoretus in Epitome diuin. inſtitut. cap. de Baptiſmo: Gaudentius de Exodo tractatu primo: Innocent.I. epiſt.22. Maximus Taurinenſis homil. 2. de Elemoſ. cuius egregia verba ſunt hæc: *Quænam eſt illa aqua, quæ conſumit flammas, nec ipſa conſumitur à peccatoribus? quæ dum per Baptiſmum infunditur, & ipſa in hominibus, & Tartari reſtinguit ardorem &c. hic fluunt aquæ, & illic tepeſcit incendium: hic in fonte homo mergitur, & illic de Tartaro liberatur. Sed nec mirum, ſi in Baptiſmi Sacramento aperiatur infernum, cum tunc quoque reſeretur, & cælum*.

Cyril. Hieroſol. Pręfat. I catec.

Greg. Naziāz. orat. 40. quę eſt ī S. Baptiſ.

S. Maxi. homil. 2. de Elemoſ.

Docet Romana Eccleſia: Neminem ante Baptiſmum ſanctificari; cui ex aduerſo ſtant, Lutherani, Caluiniſtæ, Puritani, & Proteſtantes: qui filios Fidelium in vtero ante Baptiſmum ſanctos eſſe autumāt. Sed cum Romana Eccleſia ſtat tota Patrum antiquitas; qui primam hominis ſanctificationem Baptiſmo deferunt. Sic Auguſtinus, certum, ac indubitatum hoc ſemper fuiſſe Chriſtianæ Religionis dog-

Aug. lib. 1. de nupt. & concup. c. 20.

ma verbis diſertiſſimis teſtatur. *Fides Chriſtiana* (inquit) *nō dubitat eos, qui lauacro regenerationis abluuntur, redimi de poteſtate diaboli: & eos, qui nondum tali regeneratione redempti ſunt, etiam paruulos filios redemptorum, ſub eiuſdem diaboli eſſe poteſtate captiuos*. Vides (Lector) Auguſtinum, cum tota Chriſtiana Fide, non modo apertum, Lutheranorum, Caluiniſtarum, Puritanorum, ac Proteſtantium ſe hoſtem prodere; ſed etiam Romanę fidei propugnatorem ſe exhibere: dum, & cum eorum ſententia tam aperto Marte pugnat, & Romanam doctrinam ad Chriſtianam fidem pertinere affirmat. Neque id ſemel, ſed ſæpè confirmat lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum cap. 13. ſerm. 6. de verbis Apoſtoli: & in Enchiridio ad Laur. cap. 64. Auguſtino adſtipulatur Chryſoſtomus, qui vniuerſalis Eccleſiæ ſenſum, in infantibus baptizandis, eūm ſemper fuiſſe tradit, vt primam in Baptiſmo ab originali peccato ſanctificationem acciperent: *Hac de cauſa* (inquit) *infantulos baptizamus, vt non ſint coinquinati peccato: vt his addatur ſanctitas, iuſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, vt eius membra ſint omnes; vt ſpiritus habitatio fiat*. Atque cum Auguſtino, & Chryſoſtomo, cæteri quoque Patres in hanc doctrinam coeunt. Clemens I. epiſt. 4. Dionyſius Areop. Eccleſ. Hierarch. c. 3. Iuſtin. orat. ad Antonin. Pium, & quæſt. 36. Irenæus lib. 3. c. 19. Origenes hom. 4. in Cant. & hom. 14. in Lucam. Concilium Nicenum 1. lib. 3 de ſancto Baptiſmate. Concil. Conſtantinop. in ſymbolo. Cyrillus Hieroſol. cathecheſi 3. Gregorius Nazianzenus orat. 40. Gregorius Nyſſenus orat. de Baptiſmo. Cyrillus Alexandrin. in Apolog. ad Imperat. Theodoſium. Cyprian. epiſ. 76. Melchiades epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Lactantius lib. 7. diu. inſtit. c. 5. Hilarius in pſal. 63. & 65. Ambroſius de Sacram. lib. 1. c. 4. Hieronymus cōt. Luciferianos c. 3. alij innumeri.

Doctrina eſt Romanæ Eccleſiæ, aduerſus antiquos Donatiſtas, Surianos, Cotorellos, Beguardos; ac noſtra tempeſtate aduerſus Lutheranos, Caluiniſtas, Puritanos, &

Pro-

Proteſtantes. Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramento adorandum eſſe: Cuius antiquiſſimi teſtes ſunt, in primis Chryſoſtomus, qui de Euchariſtiæ adoratione agens, ita ſcribit: *Conſidera, quæſo, menſa regalis eſt appoſita; Angeli menſæ miniſtrantes; Ipſe Rex adeſt, & tu aſtas oſcitans? ſordeſcunt tibi veſtimenta, & non eſt tibi curæ? at pura ſunt, igitur adora, & communica*. Egregiè quidem Chryſoſtomus; at luculentiùs Auguſtinus, dum ait: *Inuenio quomodò ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit: Et quia in ipſa carne hìc ambulauit, & ipſam carnem manducandam nobis ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit: inuentū eſt, quemadmodùm adoretur ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando; ſed peccemus non adorando*. Quid præclariùs? idem reliqui Patres. Dionyſius de Eccleſiaſt. Hierarch. c. 3. Origenes hom. 5. in diu. Euang. loca. Alexand. I. epiſt. 1. c. 4. Cyprianus de Cœna Domini. Cyrillus Hieroſol. myſtag. catheceſi 5. Gregorius Nazianzenus orat. 11. de Gorgonia ſorore. Ambroſ. lib. 5. de Sacram. c. 4. & de Spiritu S. lib. 3 cap. 12. Hieron. in pſal. 98. Theodoretus dial. 2. Iuſtinianus in authentica, de Priuilegijs dotis hæreticis mulieribus non præſtandis.

Chryſoſt. homil. 61. ad popul. Antioch.

Aug. in pſ. 98.

Doctrina eſt Romanæ Eccleſiæ, olim Meſſalianis, nunc verò Lutheranis, Caluiniſtis, Puritanis, ac Proteſtantibus infeſta: Ordinem eſſe nouæ legis Sacramentum: quam antiquiſſimam approbat Cyprianus de Cardinalibus Chriſti operibus; vbi inter Sacramenta (receptiſſima toto orbe Chriſtiano doctrina) ordinem ſacrum recenſet, his verbis: *Docemur, quæ ſit Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum ſtabilitas: nam Baptiſmum repeti Eccleſiaſticæ prohibent Regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere. Nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renouat*. At præclarè (vt ſolet) Auguſtinus, quæ fuerit omnium temporum fides de Ordinis Sacramento, his verbis exarat;

Cypr. de Card. Chriſti, oper. t. d abiu. ped vel quis ſit auctor,

Quem-

Aug. de bono coniug. c 24. *Quemadmodùm ſi fiat ordinatio Clcri ad plebem congregandã, etiam ſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis: & ſi aliqua culpa, quis ab officio remoueatur, ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.* His ſuffragatur tota Patrum vetuſtas Tertull. exhort. ad caſtitatem cap.7. Zephyrin I. epiſt.2. Ambroſ. de dignitate Sacerdotali c.4. Hieronymus cõtra Luciferianos. Clem. Rom. conſt. Apoſt. lib.3.c.10. Dionyſius Eccleſiaſt. Hierarch. c.5. Baſilius in Anaphora Syriaca, & lib.2. de Baptiſ. c.8. Gregor. Nazian. orat.21. alter Nyſſen. orat. de S. Baptiſm. Theophil. Alex. can.6. Chryſoſt. lib.3. de ſacerdotio. Theodotetus in c.5. prioris ad Timotheum Innocent. I. epiſt. 11. Leo Magnus epiſto. 81. ad Dioſcorum: Concilium Ancyranum c. 13. Conc. Bracar.2. c.3.

Doctrina eſt Romanæ Eccleſiæ, quam cum Armenijs, & VValdenſibus, Albigenſibus, Lollardis, ac Flagellantibus negant Lutherani, Caluiniſtæ, Puritani, ac Proteſtantes; Extremam vnctionem eſſe nouæ legis Sacramentum, & gratiam conferre. Quam velut ab Apoſtolo Iacobo traditã, veterum omnium Patrũ auctoritas cõmendat. Hanc enim, tanquam Eccleſiæ communem, pauciſſimis verbis ſtatuit

Conc. Nicen.1. c.69 Ara. Concilium Nicenum 1. his verbis: *Tranſacto anno debet Sacerdos benedicere aquam, & oleum: non ſicut in Baptiſmo, neque ſicut benedicitur Chriſma; ſed ſicut oleum Infirmorum.* Eandẽ quoque, velut Apoſtolicam tradit Auguſtinus, ita ſcribens:

Aug. lib. 2. de Viſitat. Infirm. c.4 *Nec prætermittendum eſt illud Apoſtoli Iacobi præceptũ. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, vt orẽt ſuper eum, vngentes eum Oleo ſancto in nomine IESV; & oratio fidei ſaluabit Infirmum. Ergo ſic roges de te, & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Iacobus; imò per Apoſtolum ſuum Dominus. Ipſa videlicet Olei ſacrati delibutio intelligitur Spiritus Sancti typicalis vnctio.* His conſentiunt Ambroſ. in Miſſali. Innocentius I. ep. 1. ad Decentinm Augubinũ. Ephrem de Vita ſpirituali cap. 75. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio.

Vi-

Victor Antiochenus in c. 6. Marci. Gregorius Magnus lib. Sacramentorum de Feria 5. in benedictione Olei: & alij.

Doctrina eſt Romanæ Eccleſię contra Lutheranos, Caluiniſtas, Puritanos, & Proteſtantes: Matrimonium eſſe nouæ legis Sacramentum; quam velut cum tota antiquitate conſpirantem approbat in primis, Clemens Alexandrinus his verbis: *Sanctificatur itaque, quod per verbum perficitur Matrimonium; ſi coniugium ſe Deo ſubmittat, & cum vero corde adminiſtretur in fidei certitudine*. At egregiè, vt ſemper Auguſtinus. *In Eccleſia* (ait) *Nuptiarum, non modò vinculum; verùm etiam Sacramentum ita commendatur: vt non liceat viro vxorem alteri tradere*: & de bono coniugali: *Vſque adeò* (inquit) *illud fœdus initum nuptiale cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritum fiat*. Hanc ipſam fidei doctrinam, velut ſacram, confirmant Martialis epiſt. ad Tholoſanos, cap. 9. Tertullianus de Monogamia cap. 5. Cyprianus de diſciplina, & dono pudicitiæ. Lactantius in epiſt. diu inſtit. cap. 8. Ambroſius de Abraham Patriarcha l. 1. c. 7. Hieronymus in c. 19. Matthæi. Baſil. de vera Virginitate cap. 8. Chryſoſt. in pſal. 43. Cyrillus Alex. lib 2. in Ioan. c. 22. Theodoretus in epiſt. diu. decret. cap. de Matrimonio. Innocentius I. epiſt. 9. Fulgent. de fide ad Petrum cap. 3. & alij plerique.

Clem. Alex lib. 4. ſtrõ.

Aug de fid & operib. l. 1. c. 7.

Doctrina eſt Romanæ Eccleſiæ, quam poſt Montaniſtas, Nouatianos, Audæanos, Meſſalianos, Iacobitas, Armenios, Albigenſes, atque alios priſcos ſectarios, Lutherani, Caluiniſtæ, Puritani, ac Proteſtantes improbant: Peccatorum confeſſionem coram Sacerdote faciẽdam eſſe: quam tamen antiquiſſimam eſſe probat Clemens I. his verbis: *Si fortè in alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepſerit; non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præeſt, vt ab ipſo per verbum Dei, & conſilium ſalubre curetur*. En ſingularem peccatorum confeſſionem, quæ Sacerdoti in auribus fieri debet, vt per abſolutionis remedium peccata curentur. His conſentanea

Clemen. I. ep. 1.

tra-

Digitized by Google

tradit Cyprianus in libro de Lapſis, vbi inter alia, hæc verba habet: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum; dum adhuc qui deliquit, in ſeculo eſt; dum admitti eius confeſſio potest; dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata eſt.* Huic doctrinæ velut antiquiſſimæ, & ab Apoſtolis traditæ, ſubſcribunt alij quoque vetuſtiſſimi Patres. Dionyſius ep 8. ad Demophilum. Irenęus lib. 1. c. 9. Origenes cap. 2. in Leuit. Athanaſius ſermone in illa verba, Profecti in pagum, &c. Baſilius in quæſtionibus breuioribus interrogat. 229. Cyrillus Hieroſolym. cathecheſi 1. Chryſoſt. hom. 33. in Ioann. Lactant. l. 4. inſtit. c. 17. Ambroſius, exhortatione ad pęnit. agendam. Pacianus, Paræneſi ad pęnitentiam. Hieronymus in c. 10. Eccleſiaſt. Leo Magnus epiſt. 80. Cæſarius Arelaten. homil. 7. Gregorius Magnus homil. 6. ſuper Euangelia: At omnium præclariſsimè Auguſt. in lib. 2. de Viſitatione Infirmorum; cuius ſunt iſta verba: *Sunt quidam, qui ſibi ad ſalutem ſufficere autumant, ſi ſ[o]li Deo, cui nihil occultum eſt, ſua confiteantur crimina: Nolunt enim, aut erubeſcunt, ſiue dedignantur oſtendere ſe Sacerdotibus, quos tamen inter lepram diſcernere per legiſlatorem Dominus conſtituit. Sed nolo, vt ipſa decipiaris opinione, quatenùs confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabeſceas præ rubore, vel ceruicoſus præ indignatione. Nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participem.*

At, ne Lutherani, Caluiniani, Puritani, ac Proteſtantes eò diffugiant, quòd ſe non ſoli Deo, ſed etiam Sacerdoti ſua peccata confiteri dicant: nam cum ea tantùm in genere, non autem in ſpecie aperienda exiſtimant, ab antiqua doctrina recedunt: quos idem Auguſt. poſteriori capite redarguit: vbi poſtquã puræ, ac integræ Confeſſionis conficiendæ modum docuit, tum concludit his verbis: *Confitere igitur, chare mi, nomine tenus, quæ te remordent, flagitia: detege ſpecialiter, quæ ſcis ſpecialia.*

Cyprianus lib. de lapſis.

Aug. lib. 2. de viſit. Infir. c. 4.

Idem ibid. c. 5.

Do-

Doctrina eſt Romanæ Eccleſiæ. Chriſti, & Sanctorum Imagines, pia religione à Chriſtianis colendas eſſe; quam poſt Manichæos, Arrianos, Bogomilos, & VValdenſes Idololatriæ damnant, Lutherani, Caluiniſtæ, Puritani, & Proteſtantes. Attamen eam, non modò ab omni Idololatriæ vitio liberam, ſed orthodoxam, antiquam, ac ſacroſanctam eſſe, antiquiſſimi Patres tradiderunt. In quibus eſt Athanaſius ſtrenuus Catholicæ Fidei propugnator, qui ad Antiochum Principem ſcribens de Imaginum cultu, ex totius Eccleſiæ conſenſu, his verbis diſſerit. *Abſit* (inquit) *vt quemadmodùm Græci faciunt, nos Chriſtiani tanquam Deos imagines adoremus. Affectionem duntaxat, & charitatis noſtræ ſtudium erga figuram perſonæ, per Imaginem expreſſæ, declaramus. Itaque lignum ſæpè, quod iam erat Imago, ſi figura deleta ſit, tanquam inutile comburimus. Quemadmodùm igitur Iacob, cum eſſet è vita diſceſſurus, faſtigium virgæ Ioſeph, adorauit, non virgam ipſam honorans, ſed eum, qui virgam tenebat; ita nos Chriſtiani, non alia ratione Imagines colimus.* En quo ſenſu Romana Eccleſia, Chriſti, ac Sanctorum Imagines colendas docet. Eodem planè, & Baſilius, antiquam Eccleſiam eas religioſo cultu proſequutam fuiſſe, contra Iulianum tuetur his verbis: *Hiſtorias Imaginum Sanctorum honoro, & palàm adoro: hoc enim à ſanctis Patribus nõ eſt prohibitum: ſed in omnibus Eccleſiis noſtris eorũ hiſtorias erigimus.* Vides (Lector) quàm diſpari affectu antiqua, & Apoſtolica Eccleſia erga res ſacras ferretur, ab eo, quo Lutheranorum, Caluiniſtarum, Puritanorum, & Proteſtãtium Eccleſia hac tempeſtate afficitur. Quod ſi Imaginum cultus à ſanctis Patribus (vt teſtatur Baſilius) non eſt prohibitus; quid eſt; quòd illum Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, ac Puritani prohibent, ac Idololatriæ inſimulant, niſi quòd antiquam fidem euacuant?

Athan. inter & Reſpõſ. ad Antioch. Principem c. 38.

Baſil. cont. Iul.

Cæterum, quod cum Athanaſio, ac Baſilio cæteri quoque Patres in eadem doctrina conueniunt. Euſebius Cæſar. Eccleſ. hiſt. lib. 7. c. 14. Gregor. Nazianz. de Laudi-

Digitized by Google

bus S. Theodori: Chryſoſt. in liturgia: Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionem cap. 22. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtochium: Auguſtinus, vel Auctor librorum de viſitat. Infirmorum inter opera Auguſtini l. 2. c. 3. Gregor. Turonenſ. de gloria Martyrum l. 1. c. 22. Gregor. Magnus l. 7. epi. 54. Damaſus in Pōtificali de S. Silueſtro: & alij quamplurimi.

Doctrina eſt Romanæ Eccleſiæ, Traditiones Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas, quæ in Eccleſia ab ipſis Apoſtolorum temporibus cuſtoditæ ſunt, ſumma Religione ab omnibus ſeruandas eſſe: quam conuellere nituntur Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, & Puritani: ſed eam antiquiſſimam eſſe Eccleſiæ diſciplinam, teſtatur in primis Baſilius his verbis: *Dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus; quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè, vel tenuiter expertus eſt, quę ſint iura Eccleſiaſtica.*

Baſil. de Spiritu S. c. 27.

Vides (Lector) quàm antiquæ ſint in Eccleſia traditiones, & qualem vim, atque auctoritatem ſibi apud veteres illos Patres vendicauerint, cum eas cum ipſo Dei verbo compararunt. Alterum quoque huius doctrinæ antiquitatis teſtem Chryſoſtomum accipe: qui explicans illa Apoſtoli verba: *State, & tenete traditiones* (ait) *Hinc perſpicuum eſt, quod non omnia per Epiſtolam tradiderunt: ſed multa etiā ſine ſcriptis, & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt traditio, nihil quæras amplius.* Hinc Auguſtinus celebrem illam Regulam toto Chriſtiano orbe decantatam deprompſit. *Quod vniuerſa* (inquit) *tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum; ſed ſemper retentum eſt: non niſi auctoritate Apoſtolica traditū rectiſſimè creditur.* Ex quo (Lector) tibi facilè perſpectum eſſe poteſt, quàm ſacra illa Patrum antiquitas Eccleſiæ auctoritatem ſemper religioſè ſuſpexerit: ita vt quæ ab ea traduntur, ex Apoſtolica doctrina, abſque vllo diſcrimine ma-

Chryſ. in 2. ad Theſſal. orat. 4.

Aug. de Baptiſ. cont. Donatiſt. l. 4. c. 24

manare crediderit: quam tamen noſtri temporis ſectarij ita floccipendunt; vt nec vlla fide dignam eſſe cenſeant.

His aliorum quoque Patrum teſtimonia accedunt. Tertulliani de corona milit. c. 2. 3. 4. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. cap. 1. Papiæ lib. 4. Clementis Alexand. lib. 5. ſtrom. Athanaſij ep. ad omnes Orthodoxos. Irenæi lib. 3. c. 4. Origen. lib. 1. de principijs. Epiphanij hæreſ. 61. & 75. Cyrill. Alexandr. homil. 8. Ambroſij de fide l. 3. c. 7. Hieron. Dial. aduer. Lucifer. Leonis I. ſerm. 2. de Ieiunio; Gregorij lib. 9. epiſt. 61 & aliorum, quos prætereo.

Doctrina eſt Romanæ Eccleſiæ, aduerſus Marcioniſtas, & Manichæos, atque hac noſtra tempeſtate contra Lutheranos, Caluiniſtas, Puritanos, ac Proteſtantes; ſanctorum Reliquias piè ſeruandas, ac religiosè colendas eſſe: quam olim vetus Eccleſia, non tam ſcripto, quàm vſu ipſo Apoſtolicam eſſe declarauit, vt teſtatur Cyrillus Alexandr. his verbis: *Sanctorum Vrnas honoramus; ac velut in præclariſſimę ipſorum virtutis, magnitudiniſq. animi præmium, ac mercedem nunquam intermorientem ipſis memoriam rependimus.* Cyril. Alexand. apud Damaſc. li. 2. Paral. 17 Eam verò, tam ſtrenuè, ac luculenter Hieronymus aduerſus Vigilantium tuetur; vt mirum ſit, quo pacto Lutherani, Caluiniſtæ, Puritani, ac Proteſtantes contra Hieronymum antiquæ doctrinæ propugnatorem pugnare audeant. Audi (Lector) Hieronymum cum Vigilantio dimicantem: *Ais* (inquit) *Vigilantium os fœtidum rurſum aperire, & putorem ſpurciſsimum, contra Sanctorum Martyrum proferre Reliquias: & nos, qui eas ſuſcipimus, appellare Cinerarios, & Idololatras, qui hominum mortuorũ oſſa veneramur. O infelicem hominem, & omni lacbrymarum fonte plangendum; qui hæc dicens, non intelligat ſe eſſe Samaritanum, & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent.* Hiero. epi. 53. ad Riparium.

Vtinam (Lector) hæc tantum Vigilantio, non autem Lutheranis, Caluiniſtis, Proteſtantibus, ac Puritanis à Hieronymo dicta eſſent. At ſi cauſam expetas, cur ſanctorum Reliquijs honor habendus ſit, eam paulò poſt his verbis

Digitized by Google

explicat: *Honoramus autem Reliquias Martyrum, vt eum, cuius ſunt Martyres, adoremus: honoramus ſeruos, vt bonos ſeruorum redundet ad Dominum, qui ait: qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit. Si non honorandæ ſunt Reliquiæ Martyrum, quomodo legimus: Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius?* Cum Hieronymo pro hac doctrinæ antiquitate pugnant, Clemens Rom. cōſt. Apoſt. lib. 6. c. 29. Euſebius Cæſarien. Eccleſ. hiſt. lib. 7. c. 14. Magnes contra Theoſthenem lib. 4. Baſil. homil. in pſal. 135. Cyrillus Hieroſol. cathecheſi 18. Gregor. Naziāz. orat. 3. & 4. Chryſoſt. laudat. in martyrem Ignatium, & hom. 66. ad Pop. Antioch. Pius I. ep. 2. ad Iuſtum. Ambroſius lib. 9. epiſt. 85. & lib. 10. epiſt. 85. Prudentius, hymno de S. Eulalia. Ruffin. Eccleſ. hiſt. lib. 2. c. 28. Auguſt. de Ciuit. Dei, lib. 1. c. 13. & lib. 22. c. 8. Paulinus Nolanus, natali 6. S. Felicis: Eucherius hom. de S. Blandina Lugdunēſi. Gennadius de eccleſiaſt. dogmatibus c. 73.

Atque vt huic tandem probationi finem imponam. Docet Romana Eccleſia aduerſus Lutheranos, Caluiniſtas, Puritanos, ac Proteſtantes; Monaſticam vitam, tanquam Euangelicorum Conſiliorum obſeruantia præſtantem, & perfecta Chriſti imitatione fulgentem, apud homines ſacram, ac venerandam eſſe: quæ doctrina, vt antiquiſſima eſt, ita omnium ferè veterum Patrum ore laudata. Huius primus Encomiaſtes eſt Dionyſius, qui Monachorum inſtitutum miris laudibus effert, his verbis. *Initiandorum omnium* (inquit) *excellentior, ac ſublimior ordo, Monachorum eſt ſancta diſtinctio; expiatione omni, tota virtute, atque exactiſsima ſuarum operationum caſtitate mundata: omnis item ſacræ operationis ſpiritualiter ſpeculatrix, & particeps facta.*

Dionyſ. Eccleſ. Hierarch. c. 6.

Chryſoſtomus aduerſus Monaſticæ vitæ vituperatores integros libros ſcripſit, in quibus mirificè Monachorum vitam commendat. In his hæc inter alia habet: *Monachi conuerſationem planè cæleſtem elegerunt, nihilq. deterius Angelis effecti ſunt. Vt enim illis nulla ineſt inæqualitas, nec alij ſucceſſibus, ſecundisq. rebus glorientur elati, alij extremis malis, & in-*

Chryſ. lib. 3. aduer. vitup. vit. monaſt.

incommodis oppreſsi gemunt: ſed omnes pariter in gaudio, & quiete; ſummaq. illa, & cæleſti gloria exultant: ita fieri quoque perſpicias in Monaſterys. Denique Monaſticum inſtitutum adeò antiquum, atque Apoſtolicum eſſe, vt non aliunde, quam ab Apoſtolis originem traxerit, tradit Caſſianus his verbis: *Itaque* (ait) *Cænobitarum diſciplina à tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium. Nam talis extitit Hieroſolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actis Apoſtolorum ita deſcribitur: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat.* Cum his cæteri quoque Patres in eandem doctrinam conſpirant. Euſebius Cæſarienſ. Eccleſ. hiſt. lib. 2. cap. 16. Athanaſius in Vita S. Antonij. Baſil. de inſtit. Monachorum, ſerm. 2. Ephrem Parænesi 49. Gregorius Nazianz. orat. 1. in Apolegitico: Epiphanius hęreſi 80. Oreſieſis de inſtitutis Monaſticis: Ambr. epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem: Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam cap. 6. & 22. ad Euſtochium cap. 15. & aduerſus Vigilantium cap. 6. Auguſt. in pſal 132. & lib de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 31. Paulinus Nolanus epiſt. 3. Paulus Oroſius lib. 7. cap. 33. Hilarius Arelat. in Vita S. Honorati: Leo Magnus epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem cap. 12. Cæſar. Arelat. hom. 28 Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 129. & 278. & alij quamplurimi.

Io. Caſſian collat. 18. c. 5.

Act. 4.

At quid pluribus opus eſt (Lector?) Si Romana fides omnes hæreſes in orbe graſſantes anteceſſit; ac tunc iam in Eccleſia erat, cum nedum hæreſes exiſterent; quod inde potiſſimùm manifeſtum eſt, quòd vniuerſæ hæreſes cum ea ipſa fide, quam modò Romana Eccleſia colit, aperto Marte pugnarunt; vt ex his, quæ dicta ſunt, facilè colligere vales. Rurſus, ſi à Romana fide cunctæ hæreſes, velut ex pingui oliua oleaſtri, & de vite ſarmenta inutilia exierunt, vt teſtatur Auguſtinus; quod ipſa res quoque clamitat: Dicant Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, & Puritani quænam tunc Eccleſia vigeret, cum antiquæ hæreſes

Auguſ. de ſymbol. ad Cathecu. Lib. 1. c. 5

Ec-

Eccleſiam inuaderent? Num fortè tunc, aut Lutherani, aut Caluiniſtæ, aut Proteſtantes, aut Puritani aderant, ex quibus illæ diſceſſerint. An non tunc Apoſtolica, ac Romana Eccleſia florebat, à cuius doctrina Cherinthus, Ebion, Nicolaus, Marcion exciderunt, ac cæteri quoque poſteriores Hæretici, qui hos ſucceſſu temporum ſequuti ſunt, exorbitarunt?

Iterum, ſi Romana fides vniuerſas hæreſes, quacunque Eccleſiæ tempeſtate erũpentes perſecuta eſt, peremit, extinxit, vt ſuperiùs demonſtratum fuit: ex quo omnibus hæreſibus ſuperiorem, & antiquiorem ſe apertiſſimè oſtendit. Denique ſi Romana fides, vel eo ſolo titulo, quo Catholilica eſt, & Catholica nuncupatur, ſola eſt, quæ veræ fidei antiquitatem poſſidet. Quid dubitas (Lector) veram illã, & Apoſtolicam agnoſcere, atque eidem te ipſum tutò cõmittere? Nã ſi ex Tertulliano conſtat; id verius eſſe, quod prius, id prius quod ab initio; id ab initio, quod ab Apoſtolis, omnium veterum Patrum conſenſione, traditum eſt. Illud quoque tibi exploratum eſſe debet; Romanę Religionis fidem ſolam veram, atque Apoſtolicam eſſe, quæ omnibus hæreſum ſectis antiquior, cum Apoſtolica fide, ſumma doctrinæ conſanguinitate coniungitur.

Neque vllum commutatæ Religionis periculum pertimeſcere debes: neque enim ſine Dei conſilio ad Catholicæ, ac Romanæ fidei amplexum vocaris: cum in hac via Duces habeas Apoſtolos, Euangeliſtas, Doctores, Eccleſiam Catholicam, qui cum erroris Magiſtri eſſe nõ poſſint, veræ tantùm fidei ſua ſuffragia ferunt. Quò fit, vt cum nullam, præter quàm Romanæ Eccleſiæ, fidem commendent: eam tutò tibi amplectendam proponant. Poſtremò, hic quoque prudens Conſiliarius, nedum Comes, ac familiaris tibi Auguſtinus adiungitur, qui dum in Manichæorum ſecta verſaretur, hoc ſacræ antiquitatis vinculo olim ad Romanam, & Catholicam Eccleſiam adduci, atque in in ea alligari lubentiſsimè tulit, ita ſcribens: *Multa ſunt,*

Aug. cont. epi. Fund. c. 4.

quæ

quæ me in Catholicæ Eccleſia gremio iuſtiſsimè tenent. Tenet conſenſio populorum, & Gentium; tenet auctoritas vetuſtate firmata.

CONSILIVM TERTIVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (Falſæ Religionis oſor) *Romanam fidem, ac Religionem, ex quo ea in orbe diſſeminata fuit, ita omnium locorum, ac Gentium cõſenſionem, vbicunque ea diffuſa eſt, ſibi vendicaſſe; vt abſque vlla prorſus ſui mutatione, aut dogmatum variatione, eadem vbique, & in omnibus ſemper extiterit, & exiſtat: ac proinde ſolam veram, & Catholicam eſſe.*

Si huius Regulæ probationem quæras (Lector) nihil ea luculentiùs eſſe poteſt his, qui Romanæ fidei naturam, ac conditionem non ignorant. Quæ ſanè ea eſt, vt à primo ſuæ natiuitatis exordio, ad hæc vſque tempora, nulla vnquam locorum intercapedine diſſuta, nulla Gentium, ac populorum diſſenſione conciſa; ita ſemper vbique in omnes totius ferè orbis terræ plagas, ac gentes, vna, eademque diffuſa fuerit; vt idem ſemper vbique docuerit, idem prædicauerit; idemq. ab omnibus, ea docente, creditum fuerit: ac proinde non immeritò Catholicæ nomen iam olim ſortita fuerit, vt eo ſe nomine, & veram eſſe declararet, & ab hæreticorum ſectis, quæ fidem non vniuerſalem, ſed ſingularem locis, ac perſonis alligatam habent, ſeipſam diſcerneret.

At, quamquam ipſa rei experientia, quæ à nemine negari, aut diſsimulari poteſt, ampliſsimus huius Regulæ teſtis eſſe poſſet; eam tamen præclara quoque argumenta probant Nam in primis, quod ad vniuerſalitatem locorũ ſpectat; Fidem Romanæ Religionis eamdem ſemper vbiq; locorum diffuſam eſſe, ac ſemper in poſterum eſſe diffundendam, probat Hieronymus, ex teſtimonio Apoſtoli, qui ad Romanos ſcribens, eorum fidem tanquam vniuerſalem, Rom. 1.

&.

Hiero.cõt. Rufin. Apolog 3. & Catholicam laudat: *Scito* (inquit) *Romanam Fidem Apoſtolica voce laudatam huiuſmodi preſtigias non recipere; etiamſi Angelus aliter annunciet, quàm ſemel prædicatum eſt: Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari.*

En(Lector)quàm preclaro argumento Hieronymus Romanam fidem proſequitur; dum eam, & in ſana doctrina perpetuò integram, & eandem vbique immutabilem futuram affirmat: neque id fruſtra. Cum enim fides Romanæ Eccleſiæ ea ſit, quã Saluator Petro Romanæ Eccleſiæ Antiſtiti perpetuò incolumem pollicetur, eaq. veræ fidei natura ſit, vt vna, eademq. per omnia Chriſtiani orbis loca diffundatur: quis dubitare queat, Romanam fidem, vbicunque ea diffuſa fuerit, ſemper immutabilẽ futuram eſſe?

Sed alterum huius rei argumentum proſequamur. Certum eſt (Lector)cunctas orthodoxas Eccleſias, per orbem longè, lateq. diſperſas, cũ Romana fide hactenus communicaſſe, & ab ea veræ fidei regulas accepiſſe. Cuius rei innumeri penè teſtes afferri poſſent: ſed vnus, vel alter ſatis ſit. Id Irenæus in primis diſertè teſtatur, his verbis: *Sed quoniam valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones: Maximæ, & antiquiſsimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſsimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annũciatam hominibus fidem, per ſucceſsiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præter quàm quod oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam: hoc eſt eos, qui ſunt vndique, Fideles; in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.*

Iren.lib. 3 c.3.

Perpende (Lector) quot ad Romanæ fidei excellentiam declarandam antiquiſſimus Pater, ſimul in hoc teſtimonio coniungat. Primum eſt. Ad veram tum fidem, tum Religionem

Digitized by Google

gionem demonſtrandam, ſucceſſionis Eccleſiaſticæ, præſertim Pontificum, in Romana Eccleſia, rationem habendam eſſe, quod prioribus verbis explicat. Secundùm, Romanam Eccleſiam à Petro fundatam fuiſſe: quod Lutherani, & Caluiniani inficiari conantur. Tertium, in Romana Eccleſia ſucceſſionem Pontificum integram, ac nunquam interruptam, ad illa vſque tempora ſeruatam fuiſſe. Quartum, ex vi huius ſucceſſionis Romanorum Pontificum, hæreſes omnes confundi, ac proſterni. Quintum, in Romana Eccleſia tantummodò Apoſtolicas traditiones ſartatectas ſeruari. Sextum, à Romana Religione Fidem vbique gentium diſſeminatam fuiſſe; ac proinde eam cæterarum Eccleſiarum ſemper Matrem, ac Magiſtram agnitam fuiſſe. Poſtremum, quod ad rem noſtram attinet. Orthodoxas totius orbis Eccleſias, ſemper cum Romana Eccleſia neceſsariò communicaſſe. Quod apertè illis verbis indicat, cum ait: *Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem Principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam.* Vt inde tibi perſpectum ſit. Primùm, nullam vnquã fidem veram agnitam fuiſse, quæ Romanæ Fidei Diſcipula non fuerit. Deinde, Fidem Romanæ Eccleſiæ, eam, ac ſolam eſse, quæ vna, & eadem per omnes orbis Eccleſias peragratur.

Huius quoque rei teſtis eſt Optatus, qui aduerſus Parmenianum, hoc argumento probat, Romanæ Eccleſiæ fidem ſolam legitimam eſſe; eò quòd in ea totus Chriſtianus orbis conſentiat: *Negare* (inquit) *non potes ſcire te, in Vrbe Roma, Petro primùm Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam; in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt: in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, &c. Iulio ſucceſſit Liberius: Liberio Damaſus: Damaſo Siricius hodie, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vna communionis ſocietate concordat.* Optat. lib. 2. cõt. Parmen.

Vides (Lector) Romanam fidem, eſſe fidem totius orbis; neque vllam veram fidem olim à Patribus agnitam fuiſſe, niſi quæ Romanam fidem, vel Matrem agnoſceret; vel ab ea

quadam communionis ſocietate conſoueretur. Quod Hieronymus tam fixum, ac ſtabile, apud omnes ſemper fuiſſe docet; vt eum, & profanum, & verę fidei perduellem eſſe ſentiat, qui à Romana fide quoquo modo diſiungitur, ita ad Damaſcum ſcribens: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comedit, profanus eſt.*

Hiero. ep. ad Dam. 7.

Porrò, vt olim, ita nunc quoque eundem eſſe omnium orthodoxarum Eccleſiarum cum Romana fide conſenſum: Teſtis eſt Synodus Tridentina, in qua (vt cunctis exploratũ eſt) Vniuerſus Chriſtianus orbis Romanæ Fidei acquieuit, ac velut à Magiſtra, quid ſibi ſequendum eſſet, accepit.

Quæ cum ita ſint; Agnoſce (Lector) Romanæ Religionis fidem ſolam Catholicam eſſe, quæ cunctas orbis Eccleſias vna fidei ſocietate ſibi colligat.

Porrò, tertium huius rei argumentum, ex perpetuo vſu, ac conſuetudine ducitur; qua vniuerſæ Chriſtiani orbis Eccleſiæ in dubijs fidei rebus ſemper Romanam Eccleſiam conſuluerunt; & quicquid Romana fides ſequendum dictaret, velut legitimum ſuſceperunt: quod apertè demonſtrat, Romanæ Religionis fidem omnium locorum ſemper fuiſſe vniuerſalem. Id verò tibi facilè (Lector) exploratum erit, ſi antiqua Eccleſiarum exempla reuoluas. Nam Aphricana Eccleſia, cum in eo dubio verſaretur: An hæretici ad Eccleſiam confugientes iterum baptizandi eſſent? diúq. in ea controuerſia diſſoluenda laboraſſet; res tandem ad Stephanum Papam delata fuit: cuius ſententia protinus lis omnis ſublata eſt; vt teſtis eſt Vincentius Lirinenſis. Smirnenſis quoque Eccleſia (teſte Hieronymo de Viris Illuſtribus) Policarpo viro Apoſtolico, Romam adeunte, Romanam fidem, quid de Paſchatis celebrationis die ſentiendũ eſſet, conſuluit. Quæ controuerſia cum omnes Aſiæ Eccleſias diu exagitaſſet, tandem Romanæ Religionis fide, ac iudicio obtruncata eſt.

Vinc. Lirinen. de profan. hęreſ. nouit.

Hieronym.

Ar-

Arriana hæreſi in Aegypto, ac finitimis Prouincijs furente, Epiſcopi Aegyptij, Thebaidarum, ac Lybicarum Eccleſiarum ad Felicem Papam ſcribunt, his verbis, vt apud Athanaſium legitur: *Pater Beatiſsime: quia ſemper Anteceſſores noſtri, & nos à veſtra Apoſtolica ſancta Sede auxilium hauſimus, & noſtri vos curam habere agnouimus: præfatam Apoſtolicam, & ſummam expetimus, iuxta Canonũ decreta, Sedem; vt inde auxilium capiamus, vnde Prædeceſſores noſtri ordinationes, & dogmata, atque ſubleuationes ceperunt: ad eam quoque quaſi ad Matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur.* Apud Athanaſ. epiſt.2. ad Felicem Papam.

Ad hæc, cum Orientales Eccleſiæ de Trinitatis conſubſtantialitate non leuiter inter ſe altercarentur; Romani Pōtificis iudicium expectatum fuit; quo (vt ſcribit Sozomenus) altercatio omnis ſedata eſt. Denique, vt plurima huiuſmodi exempla miſsa faciam, eam ſemper omnibus Eccleſijs legem, ac conſuetudinem fuiſse; vt in dubijs fidei rebus ad Romanam fidem, velut Matricem cōfugerent; ab eaq. quid ſpurium, quid legitimum cenſendum eſſet, addiſcerent; declarat Epiſtola à Tarraconenſibus Eccleſijs ad Pontificem ſcripta, quæ habetur inter Epiſtolas Pontificũ: in qua hæc verba leguntur: *Ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali tantùm deliberatione præcipitur.* Denique teſtantur plurima Pontificũ reſcripta, ac decreta. Euariſti epiſt.1. Alexandri I. epiſt.1. Aniceti ad Epiſcopos Galliæ c.3. Sixti I. epiſt.2. Caliſti ep.1. Fabiani epiſt.2 ad oēs Orientales Epiſcopos. Felicis I. epiſt.3. cuius hęc ſunt verba: *Semper enim dubia, & maiora negotia terminũ ab hac ſancta Sede, à tempore Apoſtolorum, qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, accipere conſueuerunt:* quod ad hæc vſque tēpora obſeruatum fuiſse, vſus ipſe, ac conſuetudo indicant; quibus receptum eſt, vt emergentia vndique fidei dubia ad Romanam fidem, tanquam ad lidium lapidem iudicanda referantur. Ex quo illud tandem euincimus: Romanam fidem ita omnium locorum eſse vniuerſalem; vt vbicunque

Sozom lib. 6. c.22.

Felix I. epiſt. 1.

ea diffuſa eſt, vna, & eadem vbique colatur.

Quare (Lector) omni ſtudio, ac diligentia (ſi placet) inueſtiga; Quid de fide vniuerſæ Catholicorum Eccleſiæ, longè, lateq. per orbem diſperſæ ſentiant. Quid Italicæ, quid Hiſpanicæ, quid Gallicæ, quid Gallobelgicæ, quid Germanicæ, quid Polonicæ, quid Indicę, quid Orientales, quid Occidentales credant, doceant, prædicent. Nihil ſanè, præter vnam Romanam, ac Catholicam fidem ab omnibus coli, doceri, ac prædicari conſpicies.

Quid tale, vel apud Lutheranos, vel apud Caluiniſtas, vel alios huius tempeſtatis ſectarios reperies? Quibus fides adeò anguſta eſt, vt plerumq. vix Vrbem, nedum integrum Regnum capere valeant. De Lutheranis aperta res eſt; cum eorum fides adeò diſciſsa ſit; vt de ipſa Martinus Chromerus Epiſcopus VVarmienſis: ita ſcribat: *Certè non dabis mihi duos tractus, nec ſcio an duas Ciuitates in Germania, per omnia conſentientes inter ſe de Religione, & dogmatibus. Aliter Vvittembergæ multa ſeruantur, & creduntur; aliter Ienę, aliter Norimbergæ, aliter Auguſtæ, aliter Lypſiæ, aliter Tubingæ Magdeburgi, aliter in Vandalicis, & maritimis Ciuitatibus, aliter in Pruſſia. Hæc, & alia Chromerus.*

Chromer. colloq. l. 1.

De Caluiniſtis, Proteſtantibus, ac Puritanis quid opus eſt dicere? Cum hi Angliæ Regnum, ac Ciuitates ita inter ſe diſpertiantur; vt nec omnes Lutheranorum, nec omnes Caluiniſtarum, nec omnes Puritanorum, nec omnes Proteſtantium Fidem recipiant: quaſi totius Regni amplitudo breuiſſimæ illorum fidei nimis anguſta eſset. Sed de his ſatis ſuperiùs egimus.

Altera Romanæ fidei vniuerſalitas, qua Catholica nuncupatur, ea eſt; quæ ſe per omniũ Gentium conſenſionem diffundit, quæ, vel vnquã Chriſto nomina dedere; vel Catholicæ fidei vinculo inter ſe colligatæ in eandem Eccleſiam Catholicam conceſsere. Neque enim ſatis eſt (Lector) ad Catholicam fidem declarandam; vnam, eandemque dogmatum fidem per orbem diſſeminari: niſi in ea om-

Digitized by Google

omnes orthodoxi communi ſenſu conſpirent: in quo ſanè maximum Dei conſilium admirari licet; quo in detegendis hæreſibus, ac vera fide declaranda, illum paſſim vti conſpicimus. Nam etſi Hæretici vnam, eandemq. fidem vbique obtruderent (quod vix vnquam viſum fuit; cum illam ſæpenumerò mutent, ac iuxta temporum varietatem variẽt:) eandem tamen inter ſe ita digladiantur, ac dilacerant, vt nihil prorſus vnitatis eidem relinquant, qua Catholici nominis ſpecie illam obtegere valeant.

Porrò, Romanæ Religionis fidem omnium Gentium, ac Populorum conſenſione Catholicam, ac vniuerſalem eſse, ac nuncupari, quamquàm ipſa rerum experientia doceat: id tamen duplici argumento confirmare lubet, quò res ipſa magis tibi perſpecta fiat.

Primum argumentum ex communi omnium Orthodoxarum vſu ducitur, quæ cum Romana fide vno conſenſu conſpirarunt. Quod maximè vrgentibus hæreſibus exploratum fuit: quo tempore maximus ſemper cum Romano Pontifice omnium conſenſus enituit. Nam (vt aliquod ex multis exemplum proferam) cum Arriana lues compluri mas Orbis partes ſua tabe infecisset; Eccleſiæ, quæ tunc temporis ſe ab ea peſte liberas ſeruarũt, ad Romanam Eccleſiam, velut veræ fidei Matrem confugerunt: illęq. dumtaxat orthodoxæ agnoſcebantur, quæ cum illius fide communicarent; atque eo fiebat, vt vel hoc ſolo titulo, quo Romanæ fidei aſſociabantur, Catholicum nomen, ac titulum ſibi vendicarent, & ab hæreticis Eccleſijs diſtinguerẽtur. Hinc enim factum eſt, vt Arrianorum furore per Orientales plagas debacchante Athanaſius, ſimul cum vniuerſis Libyorum, Thebaidorum, ac Aegyptiorum Eccleſijs, ad Felicem Secundum literas dederint: quibus ſe cum Romana fide conſpirare declararunt.

Quàm verò ingens tunc Epiſcoporum, & Eccleſiarum numerus, ſimul cum Athanaſio in vnam Romanam fidem collimarent: Idem Athanaſius præclarè tradit his verbis:

Quis

Digitized by Google

Athan. ep. ad Ioit vit agent.

Quis igitur (ait) *ita, & tantam Eccleſiæ pacem non admiratus eſt? quis non gauiſus de tanta, & tot Epiſcoporum inter ſe concordia? &c. Deinde cum viderent tantum cum Athanaſio animorum conſenſum, & pacem agitari; erant enim plures in hoc numero, quàm quadringenti tum è Magna Roma, atque Vniuerſa Italia, Calabria, Apulia, Campania, Prutia, Sicilia, Sardinia, Corſica, tum ex vniuerſa Aphrica, Gallijs, Britannia, Hiſpanijs, cum magno illo Confeſſore Hoſio; à Pannonijs item, & Norico, Scithia, Dalmatia, Dacia, Miſia, Macedonia, Theſſalia, & vniuerſa Achaia: Creta item, & Licia: plurimique item ex Paleſtina, Iſauria, Aegypto, Thebaide, & vniuerſa Lybia, & Pentapole. Hæc inquam cum viderent, metu, inuidiaq. anxij fuere, et eò quòd tot Epiſcopi, cum Athanaſio communionem fouerent.*

En (Lector) præclarum Athanaſij, ac totius ferè orbis Epiſcoporum, cum Romana fide conſenſum, à quo ſemper Hæretici ſummoperè abhorruerunt: quem etiam prior Athanaſio Cyprianus, velut orthodoxę fidei teſſeram commēdauerat: cū ſuę tempeſtatis, hęreticos Nouatianos hortaretur, vt Romanæ Eccleſiæ fidem, velut Matricem, ac radicem tenerent: *Scimus* (inquit) *nos hortatos eſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ Matricem, & radicem agnoſcerent, & tenerent.* Ambroſius quoque Satyrū fratrem laudat, quòd cum alijs Epiſcopis, præter quàm ijs, qui cum Romana Eccleſia cōmunicarent, conſortium nunquam habere voluerit. *Rogauit* (inquit) *ſi cum Epiſcopis Catholicis, ideſt, ſi cum Eccleſia Romana conſentiret:* atque ipſe adeò ſe Romanæ fidei cultorem præbuit; vt nihil ſe aut docere, aut tradere profiteretur, niſi quod à Romana fide didiciſſet. *In omnibus* (inquit) *Romanæ Eccleſiæ typum, & formam ſequimur.*

Cypr. li. 4. epiſt 8.
Ambro. de obitu Satyri.
Idem de ſacram. l. 3 c. 1.

Neque ab Ambroſio diſcrepat Baſilius, qui poſt Ariminenſe Conciliabulum ab Arrianis coactum, ad Athanaſiū ſcribit, vt quid de illo ſentiendum ſit, Romanus Pontifex conſulatur. Denique illud ſemper in Catholica Eccleſia vſu receptum fuiſſe; vt qui Catholici, ac Orthodoxi haberi

Baſil. epiſt. 52. ad Athanaſ.

ri

ri vellent, Romanæ ſe fidei per omnia ſubijcerent: & ab ea, quid ſequendum eſſet, addiſcerent; vnus pro omnibus teſtis Hieronymus ſufficiat, qui ad Damaſum ſcribit his verbis: *Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, mihi cenſui conſulendam: inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi.* Hiero. ep. 57. ad Damaſ.

En (Lector) quid de Romana fide, olim antiquiſſimi, ac ſanctiſſimi Patres ſenſerint; quorum ſanè erga ipſam tanta fuit Religio, vt non modò ab ea veræ fidei Regulam haurirent; ſed nec vllum vnquam inter Catholicos, & Orthodoxos enumerandum; nullum in Eccleſia inter Fideles habēdum exiſtimarent; niſi qui Romanæ Eccleſiæ fidem conſtantiſſimè coleret; ea præſertim ratione, quòd ex Romana fide, veram, & Apoſtolicam fidem, velut ex fonte, in omnia Eccleſiæ membra diffluentem agnoſcerent: atque inde Catholicam probarent, dum cuncti orbis populi, eodem fidei ſpiritu potati, in vnam Romanam fidem coaleſcerent.

Alterum argumentum, ex Conciliorum, præſertim Generalium, in vnam Romanam fidem conſenſu deſumitur: quæ cum vniuerſalem Eccleſiam repræſentent, proculdubio totum Chriſtianum orbem, in Romana fide olim conſpiraſſe, ac etiam nunc conſpirare declarant. An non mirabile eſt Lector (quòd ſanè manifeſtiſſimum eſt veræ, ac diuinæ fidei teſtimonium) Quòd cum tot Patres abhinc mille ſexingentis annis numerentur, qui Oecumenicis Concilijs interfuerunt; nulla ratione vnquam effici potuerit, vt illorum quiſquam à Romana fide, vel latum vnguem diſcederet; vt ipſorum ſubſcriptiones Cōcilijs adhibitæ, & præclara ſcripta teſtantur: quibus non aliam, præter quàm Romanam fidem, docent, tradunt, tuentur.

Quot verò, ex his pro ea tuenda ab hęreticis damna pertulerint; quot exilia, quot bonorum iacturas, quot carceres, quot gladios, quot vulnera perpeſſi fuerint; quot mortem vltro pro illa oppetierint, facilius eſt admirari, quàm verbis comprehendere.

Illud

Illud verò mirabiliùs: quòd cum tot ab orbe redempto Concilia diuerſis locis, ac diuerſis temporibus celebrata fuerint; omnia tamen inter ſe in vna Romana fide, tum explicanda, tum aſſerenda; perinde ac ſi vnum os, & vna omnium vox eſſet, ita ſemper conſenſerint; vt nec inter ſe, nec à Romana fide vnquã diſcrepauerint. Decem & octo Generalia Concilia (vt Prouincialia, ac Regionalia interim taceam) varijs locis, ac diuerſis Eccleſiæ temporibus, tum ex Chronico Genebrardi, tum ex Baronio coacta legimus: in quibus ex omnibus terræ partibus Patres conuenere. Primum fuit Concilium Nicenum 1. circa annum Domini 327. celebratum. Secundum Conſtantinopolitanum primum anno 383. Tertium, Epheſinum anno 434. Quartum, Chalcedonenſe anno 454. Quintum, Conſtantinopolitanum 2. anno 553. Sextum, Conſtantinopolitanum 3. anno 681. vel ex aliorum ſupputatione 685. Septimum, Nicenum 2. anno 781. Octauum, Conſtantinopolitanum 4. anno 870. Nonum, Lateranenſe 1. anno 1123. Decimum, Lateranenſe 2. anno 1174. Vndecimũ, Lateranenſe 3. anno 1180. Duodecimum, Lateranenſe 4. anno 1215. Tertium ſupra decimum, Lugdunenſe 1. anno 1245. Quartumdecimum, Lugdunenſe 2. anno 1274. Quintumdecimum, Viennenſe anno 1311. Decimumſupra ſextum, Florentinum, anno 1439. Decimum ſupra ſeptimum, Lateranenſe 5. anno 1512. Decimum ſupra octauum, & poſtremum, Tridentinum, anno 1545.

Vniuerſa hæc Concilia intuere (Lector) ſcrutare, perpende. Quid in his, niſi ſummam in Romana fide aſſerenda, tuenda, propugnanda, concordiam reperies? An non mirabile, quòd omnia tàm priora, quàm poſteriora Concilia, maximo conſenſu, eadem de tot fidei dogmatibus, quę ab hæreticis tàm variè impugnata ſunt, ſemper ſenſerint, dixerint, ſtatuerint.

At illud planè mirabiliſſimum: quòd cum Epiſcopi ad Concilium coacti, viri eſſent omnes eruditiſſimi, atque exi-

eximiæ doctrinæ ;ac plerique ſpectatæ vitæ, ac ſanctimoniæ, in quibus & ingenij acumen, & veræ fidei zelus vigere ſolet; quibus res fidei diligentiſſimè examinādæ, ac perpendendæ commiſſæ erant : nec non tam diuerſarum Nationum, Regnorum, morum exiſterent, quæ facillimè diſcrepantiam gignunt. (Notum quippe eſt, quàm apertè Hiſpani, & Galli; Scoti,& Angli; Poloni,& Germani; Græci, & Latini, in cæteris rebus naturali quadam antipathia inter ſe diſsentiant.) Hi tamen ex tam varijs orbis gentibus collecti, iam per ſexdecim ſecula in tot Concilijs, neque in vnam, neque in alteram fidem declinantes, ſumma omnium concordia in vnam Romanam fidem, vno ſemper ore conſenſerint. Planè negare non potes (Lector æquiſſime) quin hoc irrefragabile prorſus argumentum ſit; Romanam fidem ſolam veram, ac Catholicam eſse. Auguſtinum teipſum compellentem audi. *Audis* (inquit) *omnes vno corde, vno ore, vna fide idipſum dicere: & hanc eſſe Catholicam fidem non diſſonante conteſtatione firmatam.* Aug. cont. Iulian. Pelag. lib. 1.

Id poſtremò tibi perſuaſum ſit (Lector) hanc tam antiquam, tam diuturnam, tam conſtantem, tam conſonam omnium gentium, ac Populorum in Romana fide concordiam, certum verę fidei ſymbolum à Patribus ſemper agnitam fuiſſe. Cuius rei vnum, inſtar omnium, Auguſtinum tibi teſtem profero, qui inter alia veræ Religionis ſigna, quibus ſe ad Catholicæ Eccleſiæ gremium adductum, & in eo immobilem fuiſſe profitetur; hoc vnum primo loco commemorat, ita ſcribens: *Multa ſunt, quæ me in gremio Catholicæ Eccleſiæ tenent iuſtiſſimè: tenet conſenſio populorum, atque Gentium, etc.* Aug cont. ep. Fund. c. 4. Neque id fruſtrà: nam cum ab Apoſtolo ea nobis veræ, & Apoſtolicæ fidei cognoſcendæ Regula tradita ſit, vt quod ab initio creditum, ac traditum eſt, idipſum omnes credant, dicant, ſentiant. Profectò, vbi ſumma in antiqua fide, gentium, ac populorum conſenſio animaduertitur; ibi veram, & Apoſtolicā fidem eſſe nulli du-

bitandum eſt: quod hactenus in Romanæ Eccleſiæ fide reperiri, non obſcurè demonſtrauimus.

Neque te moueat (Lector) quòd nonnulli Romanę fidei æmuli potiùs, ac detractores, quàm æqui æſtimatores, ac Cenſores, aduerſus illam leuiſſimè obijciunt: nimirum, Romanam fidem, aut Eccleſiam, Catholicam, aut Vniuerſalem eſſe non poſſe; cum ſit particularis, ac Romani tantùm Epiſcopatus terminis occluſa: niſi Romanam Eccleſiam, ac Epiſcopatū vbique diffuſum eſſe doceamus: quod planè diſſentaneum eſt credere. At, quamquam id facilè, ex his, quæ hactenus de Romana fide explicata ſunt, diſſolui poſſet: attamen, quid de eadem Romana fide ſentiendum ſit, luculentiùs accipe.

Romanam fidem, aut Eccleſiam, non ea ratione Catholicam, ac Vniuerſalem nuncupamus, quòd vel Romanus populus, vel Romanus Epiſcopatus vbique diffuſus à nobis aſſeratur: id enim à ratione diſſentaneum eſt. Neque enim Romana Eccleſia, quę ex Romano populo colligitur, cuncta terrarum ſpatia occupat; aut Romanus Epiſcopatus cunctos orbis Epiſcopatus abſorbet: ſed Romanam Eccleſiam idcircò Catholicam, ac Vniuerſalem appellamus. Primò, quòd ea ſit caput, radix, & origo omnium Eccleſiarum; ex qua cæteræ orbis Eccleſię, ſeminis traducem accipiunt, nomen, remq. ſortiuntur, vt ſint ſoboles Eccleſiæ Catholicæ. Nam, vt Tertullianus ait: *Omne genus ad originem ſuam cenſeri debet. Erunt itaque tot, et tantæ Eccleſię: Vna illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes.*

Tertull. de preſ. hęr. lib. 1.

Secundò, Quia in Romana Eccleſia, Apoſtolica fides ſemper integra, ac ſartatecta ſeruata fuit, ex qua in cæteras Eccleſias vera fidei doctrina emanauit; vt teſtes ſunt, Cyrillus Alex. lib. 4. Dial. de Trinit. Hieron ad cap. 9. Amos, & Ruffinus in explicatione ſymboli. Tertiò, quia Romana Eccleſia tum ob Apoſtolicam fidem, cuius fidelis ſemper cuſtos, ac depoſitaria fuit: tum etiā ob pręeminentiā, quam in

in omnes orbis Eccleſias, velut Caput, ac Magiſtra, ſemper exercuit; apud veteres Catholicæ ſemper cognomen ſortita fuit; ita vt apud illos Romana Eccleſia, pro Eccleſia Catholica, ac vniuerſali haberetur: vt teſtatur Hieronymus, contra Ruffinum, his verbis: *Si Romanam fidem ſuam dicit, ergo Catholici ſumus*. Proinde, ac ſi idem eſset Romanam fidem tenere, & Catholicum eſse: idipſum quoque docet Ambroſius, in orat. funebri de exceſsu fratris ſui Satyri, vbi ait: Satyrum à quodam Epiſcopo percontatũ fuiſſe; Vtrumnàm cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia conueniret? ex quo liquet apud Ambróſiũ, ac cæteros Patres tantundèm fuiſse Romanam, ac Catholicam Eccleſiam: quod ea potiſſimùm ratione factum eſt: quòd Patres vniuerſi Romanam Eccleſiam, tanquam omnium Eccleſiarum Matrem, & caput ſuſpicerent, vt ex Irenæo, ac Cypriano demonſtratum fuit. Hier. cont. Ruffin. Apol. 1.

Ita etiam de Romana fide dicendum eſt: quæ non propterea Vniuerſalis appellatur, quod ea in Romano Epiſcopatu tantum vigeat; quaſi Romanus Epiſcopatus vbique diffuſus eſset, aut vbique diffundatur, ſed quòd omnes totius orbis Epiſcopi fidem à Romana Eccleſia hauriant, & Romanam Eccleſiam eam eſse agnoſcant: in quam (vt ait Irenæus) Apoſtoli, velut in repoſitorium diues, omnia, quę ſunt veritatis, contulerunt. Ex quo ſanè manifeſtum ſit, Romanam fidem iure meritò Catholicam, ac vniuerſalem nuncupari; quãdo ea totius veræ, ac Apoſtolicæ fidei fons eſt, à qua in omnes totius orbis Eccleſias Catholicæ fidei riuuli diffunduntur.

Quarta ratio eſt; quia ſicut Eccleſia propterea Chriſtiana dicta fuit, vt vera Eccleſia ab Infidelium turmis diſcerneretur: Ita etiam Romana cognominata fuit, vt ab hæreſibus, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ ſibi nomen arripiunt, velut certo ſymbolo dignoſceretur: Is quippe mos olim fuit, cũ hæreſes in Eccleſiam graſsarentur, vt Epiſcopi viciſsim communicatorias literas mitterent, quibus ſe cum Roma-

næ Eccleſiæ fide, ac communione conſpirare profiterentur: (vt aliàs declarauimus) atque inde Catholica Eccleſia Romana cognominari cœpit.

Poſtrema tandem ratio eſt. Quia Romana Eccleſia ſola eſt omnium temporum vniuerſalis, vt patet ex integra, neque vnquam incorrupta ſucceſsione Romanorum Pontificum, ex qua Irenæus, Tertullianus, Auguſtinus, & cæteri Patres veram, ac Catholicam Eccleſiam collegerunt. Igitur ſaltem ex hac vniuerſalitate Catholica Eccleſia Romana appellari debet.

At neque quod affirmant, intelligunt: cum exiſtimant Romanam Eccleſiam, quaſi vnã ex alijs, particularem tantùm eſſe: nam etſi Romanus Epiſcopus ſingularem tantùm Eccleſiam, quæ Romæ eſt, complectatur: attamen, quia Romanæ Vrbis Epiſcopus à Chriſto etiam Epiſcopus Orbis inſtitutus fuit; ideſt, omnium Eccleſiarum, quæ in toto orbe ſunt, Caput: inde quoque Eccleſia Romana Catholicæ agnomen nacta eſt; vt quoties Romanam Eccleſiam, abſque diſcrimine appellamus, Catholicam, ac vniuerſalem intelligamus.

Habes itaque (Lector) quo ſenſu, tam Romana Eccleſia, quàm Romanæ Eccleſiæ fides Catholica dici debeat. Habes Romanam Fidem, ac Religionem; ex quo à Chriſto in Petro fundata, & ab Apoſtolis diſſeminata fuit; eãdem per omnia Eccleſiæ tempora, loca, ac perſonas diffuſam: & Domini luce perfuſam (vt Cyprianus ait) inſtar ſolis, per orbem quidem totum Catholicæ fidei radios porrigere: vnum tamen fidei lumen eſse, quod ab ea manans vbique, ac per omnes diffunditur: quæ verã proculdubio, ac Apoſtolicam eam fidem, ac Religionem eſse oſtendunt. Reliquum eſt, vt quod ſolerti illo tuo ingenio non obſcurè cõprehendis, animi quoque ſinu altè reponas; atque auidiùs (vt par eſt) amplexeris. Siquidem fortiſsima veritas eſt, quæ ipſos etiam reluctantes animos ad ſui amorem, & amplexum trahit.

Cypr. de vnit. Eccl.

CON-

CONSILIVM QVARTVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (qui errores, ac corruptam fidem auerſatis) *Romanam fidem, ac Religionem, ex quo Apoſtolico ſemine ſata fuit; integram ſemper, et incorruptam ad hæc vſque tempora permanſiſſe: ac propterea vt veram, et Apoſtolicam amplexandam eſſe.*

Non meum (Lector) ſed Apoſtoli hoc olim conſilium fuit, cum ad Corinthios ſcribens, ait: *Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri I. E S V. Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, et non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, et in eadem ſcientia.* His enim verbis Apoſtolus fidei vnitatem, quæ ex perfecta illius integritate conſtat, magnoperè cunctis veram fidem, ac Religionem quærentibus commendat: Maximèq. cauendum monet: ne aliud dicant, aut loquãtur, quàm quæ Spiritu Sancto afflati, loquuti ſunt Prophetæ, Apoſtoli, atque alij ſancti Dei homines. Inſuper ne aliud in fide, ac Religione ſentiant, quàm quod antiqua Patrum fide, ac populorum conſenſione receptum eſt: neque aliud ſciant, quàm quod ab omnibus ſemper ſcitum, ac creditum fuit: denique fidem ita integram, ac ſartamtectam ſeruent, vt eam in ſectas non diſrumpant, aut ſchiſmatibus dilacerent. Denique ſi quęras, quid ſit idipſum dicere, à ſchiſmatibus cauere: ac in eodem ſenſu, & ſcientia perfectos eſse: id eſt vnanimes in eadem fidei doctrina permanere; idem ſemper cum antiqua fide ſentire: Neque ex ea quicquam vnquàm præſcindere, aut immutare: Nũquam enim apertius veram Religionem demonſtramus: quàm quum illam cum ea Religione, quæ tum Apoſtolorum, tum ſanctiſſimorum hominum tempeſtate colebatur, conſpirare oſtẽdimus: Neque vnquam Catholicæ Religionis fidem tutius aduerſus paſsim graſsãtes hæreſes tuemur, quàm cum integrum, atque vnanimem in doctrina fidei conſenſum, antiquitate roboratum, Gentiũ, 1. Cor. 1.

ac populorum conſenſione firmatum, nunquam nouis doctrinis interruptum, nunquam in partes diſsectum, nunquam immutatum proferimus.

Id facilè ex antiquarum ſectarum caſu (Lector) tibi perſpectum eſse poteſt, quæ ſimulatq. ab vna, ac Catholica fide diuulſę in varias fidei doctrinas diſcindi cœpere: mox earum interitus ſequutus eſt: *Diuiſum eſt cor eorum* (inquit Vates) *nunc interibunt*. Nam quemadmodùm cor, quandiù integrũ permanet, hominis incolumitatem fouet: quod ſi in plures partes diſpertiri contigerit, protinus ad interitum ducit. Non ſecus Religioni accidit: in ea ſiquidem quandiù vna doctrinæ pax, vnus ſenſus viget, neque in his, quæ ad fidem ſpectant, alter ab altero diſcrepat; ſed omnes inuicem inter ſe, & cum antiquitate cõſpirant: profectò nulli dubium eſse poteſt, quin hoc conſenſu, tanquã veræ fidei nutritione, vniuersũ Religionis corpus incolume ſeruetur. At vix in fidei doctrinam ſchiſmata irrumpunt, doctrinarum diſſenſiones, dogmatum bella, immortalia cum antiqua fide diſſidia Religionis arcem occupant, mox veluti diſrupto, ac conciſo corde, fides ad interitum rapitur; ſectæ in veræ Religionis locum ſuccedunt, mendacium veritatem expellit, vera fidei doctrina iugulatur, ac tãdem vera Religio expirat.

Oſe. 10.

Neque ſecus euenire poteſt, cum Dei ſententia ratũ ſit. *Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolari*. Quod ſi quotidiana experientia admonet, tunc maximè regna, ac imperia florere, cum pacis, ac concordiæ bono potiuntur; vniuerſi namq. tunc ad publicam Regni vtilitatem; conſpirãt; & eo celeriùs ad caſum properare, cum ciuilibus, ac inteſtinis bellis diſcinduntur. Hoc ipſum & in Religionis ſtatu licet intueri, in quo dum fidei pax mutuo fidei conſenſu, ac doctrinæ concordia foueri conſpicitur, ſumma Chriſtianis rebus tranquillitas exoritur, & Religionis ſplendor, ſupernæ veritatis luce affulgente, per orbem longè latèque diffunditur: quod ſi eam fidei altercationibus, doctrinarũ

iurgijs, dogmatum diſſidijs diuexari, ac lacerari cõtingat: mox velut offuſis tenebris Religionis ſplendorem euaneſcere, veritatem exulare, fidem obtruncari, ſacrumq. Religionis regnum, velut in partes diſſectu, mdeſolari, ac tandem ruere neceſſe eſt.

Atque hinc primum (Lector) tibi argumentum ducere licet: quod Romana Religio, integram ſemper fidei vnitatem apud ſe ſartamtectam ſeruauerit; quandoquidem ab orbe redempto ad hęc vſque tempora immota, conſtans, inconcuſſa aduerſus tot ingruentes hæreſes permãſit: quod ſanè vnquam aſſequi non potuiſſet; niſi eam fidem, in qua vera Religio fundata eſt, apud ſe integram retinuiſſet.

Porrò hæc fidei integritas, quæ Romana Religio, tanquam illuſtriſſimo quodam vinculo, veræ, & Catholicę Religioni copulatur, ita omnibus perſpicua eſt: vt eam nec ipſi aduerſarij inficiari audeant; qui cum vniuerſa penè Romanæ Religionis dogmata aggrediantur, vbi ex praua ſacrarum ſcripturarum interpretatione aditum ſibi ad ea impugnanda patefactum inueniunt: cum tamen huc peruenerint, velut aperta veritate conuicti, ora comprimunt, & garrulę loquacitati ſilentium indicunt: neque aduerſus maniſeſtiſsimam veritatem toto orbi illuſtrem, atque conſpicuam effutire audent. Ampliſsima quippe, ac propria Romanæ Religionis dignitas, atque excellẽtia hæc eſſe agnoſcitur: vt fidem non ſolùm vniuerſalem doceat; ſed etiam ita integram ſeruet, vt neque vlla ex parte mutilatam, neque temporum lapſu immutatam proferat.

Id vero (Lector) vt tibi luculentiùs pateat: Haud ignorare debes: Ea, quæ nobis credenda proponuntur, duplici in ordine conſtituta eſſe. Primus eſt earum rerum, quæ apertum in ſcripturis fidei teſtimonium habent, atque ex expreſſo Dei verbo nobis innoteſcunt, quibus eo ipſo, quod à Deo credendæ præcipiuntur, ſumma fidei neceſsitas coniuncta eſt. Alter vero earum, quæ non expreſſo, ſed tacito Dei Verbo Apoſtolica traditionē nobis inſinuantur,

quæ

quæ cum à Deo (tametſi tacitè) præceptæ ſint, parem cum cęteris dogmatibus fidei auctoritatem ſibi vendicant: atque hę ſunt, quas Apoſtoli à Domino ſingillatim acceperunt, ac traditione nobis reliquerunt: quas Eccleſia, velut earum fideliſsima cuſtos, ac repoſitaria paſsim nobis credendas proponit. Hæc enim ſunt tanquam quædam Euágelicæ fidei fragmēta, quæ maioribus fidei articulis palàm orbi diſpenſatis, Chriſtus Apoſtolis colligenda mandauit, ne pœnitùs interirent. His plenos cophinos Eccleſia ſtudioſè ſeruat, ex quibus fidei dogmata Apoſtolica traditione collecta, ac ſibi commiſsa, fidelibus aperit; nec vlla interire ſinit.

Porro vniuerſa hæc fidei dogmata, quæ nobis partim ex ſcripto Dei Verbo, partim ex tacito credenda proponuntur. Romanæ Religionis fides ita integra ſeruat, vt ex his nihil vnquam minui, nihil detrahi paſsa fuerit: quod ipſa rei euidentia loquitur. Nam hęc ſunt, quæ iam à priſcis temporibus Romana Eccleſia ſumma religione cuſtodienda curauit, vt teſtis eſt Baſilius de Spiritu Sancto cap. 27.

Baſilius. *Dogmata* (inquit) *quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorũ traditione in myſterio, ideſt in occulto tradita recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec ijs quiſquam contradicit*. Qua vero pietate ac integritate ea à Romana Religione ſeruentur, declarat Agatho Romanus Pontif. Ep. ad Conſtant. Imp. Heracl. & Tiberium. *Hæc eſt* (in-

Agatho. quit) *perfecta noſtra ſcientia, vt terminos Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei, quos vſque hactenus Apoſtolica Sedes nobiſcum, & tenet, & tradit, tota mentis cuſtodia conſeruemus*. (Tum poſt pauca.) *Hæc nos Apoſtolica, & Euangelica traditio, Sanctorumq Patrum Magiſterium, quæ ſancta Apoſtolica, atque Catholica Eccleſia, & venerabiles Synodi ſuſcipiunt, inſtituiſſe monſtrantur. Ex quorum doctrinis hæc recolligentes ea breuitate perſtrinximus. Hoc enim credimus, quod per traditionem Apoſtolicam accepimus, cuius auctoritatem in omnibus ſequimur:*

mur: à qua & inſtitutos hoc ipſum noſtræ humilitatis prædeceſſores cognouimus: quam & vſque ad finem ſeruari nobis ſiue per vitam, ſiue per mortem optamus. Hæc Agatho: ex quo perſpicuum eſt, quàm ardens fuerit ſemper totius Romanę Religionis in Euangelica, ac Apoſtolica fide integrè ſeruanda ſtudium: Nam cum omnibus hęreſibus id commune ſit, vt fidem ita inter ſe diſpertiantur; vt integram nunquam retineant: quod ſuis olim temporibus Auguſtinus lib. de vnit. Eccleſ. c. 6. hæreticorum ſectis exprobrauit. *O hæretica inſania* (ait) *quod non vides, credis mecum, quod vides, non credis mecum: credis mecum exaltatum Chriſtum ſuper cęlos, quod non vidimus, & negas gloriam eius ſuper omnem terram, quod vidimus.* Vbi hoc argumento agit Auguſtinus, vt diſciſſam eorum fidem eſſe demonſtret. Noſtra verò hac tempeſtate adeò apertę inter Lutheranos fidei ſectiones vigent, vt nec integra, nec conſtans vnius articuli fides apud illos inueniatur, vt teſtis eſt Nicolaus SelnecKerus Lutheriſta ad Pſal. 131. vbi de Lutheranorum diſcordia hæc ſcribit. *De publica diſcordia in Eccleſia (Lutherana) non eſt, quòd interroges. Loquor autem non de ea diſcordia, quæ nobis neceſſariò de fidei doctrina cum Papiſtis, atque alijs hæreticis intercedit; ſed de ea, quæ inter nos ipſos eſt, qui puram nos Euangelij doctrinam habere gloriamur. Mota etenim ſunt certamina, atque rixæ de rebus adiaphoris, de bonis operibus, de iuſtitia coram Deo, de libero arbitrio, de præſentia, & participatione corporis, & ſanguinis Chriſti in Cœna, de humanitate Chriſti, de eius aſcenſione, de ſeſſione ad dexteram Dei, de vbiquitate, deq. rebus alijs. Ibi rixandi, atque contendendi, neque finis eſt, neque vllus modus.*

Auguſt.

Nicolaus SelnecKerus.

De Caluinianis quid opus eſt dicere, cum fidem inter ſe ita dilacerent, vt nō modò Apoſtolicas traditiones reijciant, neque tantum ipſos expreſſos fidei articulos mutilent, obtruncent, corrumpant, vt ſuperiori Conſilio demonſtratum fuit: ſed etiam ipſos fidei fontes exſiccent, ac ipſos canonicos libros ita dilanient, vt hos quidem pro li-

Digitized by Google

bito recipiant, illos explodant: vnius partem canonicam cenſeant, alteram velut apocrypham damnent: ſed de his aliàs ſatis.

Inter hos Romana Religio integra, ac conſtantiſſima fide, velut regio itinere, ac diuina quadam ſemita incedit, dum ea, quæ ſemel accepit, fidei dogmata, non mutila, non trunca, non clauda, ſed integra ac inuiolata cuſtodit. Atque ob eam ſanè cauſam D. Auguſtinus de vera Religione lib. 1. cap. 5. apud eam tantummodò veram fidem, ac Religionem quærendam eſſe docet, quòd ea fidei tum vniuerſalitatem, tum integritatem fideliſſimè conſeruet. *Religio* (ait) *non in confuſione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum quærenda eſt, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, & Orthodoxi nominantur, ideſt integritatis cuſtodes.*

Auguſt.

Altero quoque argumento tibi (Lector) perſuaſum eſſe debet, perfectam hanc fidei integritatem in Romana tantùm Religione elucere: eò quòd ea ſemel acceptam fidem nullo vnquam tempore immutauit: ſed eandem ſemper per omnes Chriſtiani orbis ętates incorruptam conſtantiſſimè ſeruauerit, in quo apertè ab hæreticorum ſectis dignoſcitur, quæ fidem ſæpiſſimè mutant; id enim de Arrianis teſtatur Athanaſius in decretis Synodi Nicenæ contra hæreſim Arrianam. *Homines* (inquit) *ſunt tales, quales Diuus Iacobus duplices corde, & inſtabiles in omnibus ſuis vijs appellat; nunquam vnam, eandemq. ſententiam, ſed aliàs, aliam fouentes, dictaq. ſua nunc laude, nunc vituperio proſequuntur, vt quòd iam probarint, è veſtigio damnent.* De his quoque Hilarius ad Conſtantium tradit, eos ſemper fidei nouas confeſsiones conſcribere, ac nouas fides cudere, vt tandem nulla apud eos eſſe incipiat. Hoc ipſum de Lutheranis, & Caluiniſtis res ipſa per ſe loquitur: neque enim facilè explicari poteſt, quoties inter Lutheranos Auguſtana confeſsio immutata fuerit: quot etiam inter Caluiniſtas Gallica illa fidei confeſsio caſtigationes, mutationes, additiones pertulerit: ita vt qui priores, ac poſteriores viderit, ſummum in-

Athanaſ.

Hilarius.

inter eas diſcrimen animaduertat.

Porrò tanta ſemper Romanæ fidei ſtabilitas fuit, vt quãuis ſæpiſsimè ab Hæreticis oppugnata fuerit, nunquam tamen à cócepta veritate moueri, aut mutari potuerit: quod ſanè cum omnibus exploratum ſit; tum neque ipſos aduerſarios latet, qui non leuiter propterea excruciantur, cum Romanæ Religionis fidem ſibi impugnandam proponunt, quod ſibi priùs cum antiqua, ac vniuerſali tot ſeculorum, ac Sãctorum Patrũ fide pugnandum eſſe videant: Hac enim ratione Romana Religio fidem ſuã integram, atque incorruptam demonſtrat, dum eam cum antiquiſsima Apoſtolorum, ac Sanctorum Patrum fide collatam, nunquam immutatam oſtendit.

Quid quæſo in Romana fide aduerſarij immutatũ agnoſcunt, quo eam corruptam, ac violatam fuiſſe accuſare audeant? Num aliam fidem, aut fidei partem modò Romana Religio profitetur, quam olim profeſſa fuerit? aut aliquo dogmate exciſo aliud inſeruit? Planè Apoſtolicæ Regulæ à Sanctis Patribus conſcriptæ, atque antiquiſsimorum Patrum monumenta, quæ omni ex parte Romanam fidem confirmant, apertè teſtantur, eandem eſſe noſtram, atque antiquiſsimæ Eccleſiæ fidem, in nullo prorſus immutatam. Pergant aduerſarij Romanæ Religionis fidem diligentiſsimè, ac linceis oculis explorare; velint, nolintue, ſuo ipſo teſtimonio reuincuntur, in ea nihil ab antiqua fide detractum, nihil imminutum, nihil additum, nihil tandem immutatum fuiſſe. Incorrupta eſt Romana Religio, integra eſt, atque, vt Cypriani verbis vtar, pudica eſt, adulterari nunquam potuit ſponſa Chriſti, vnam Chriſtianæ, ac Catholicæ Religionis domum nouit, vnius fidei cubile caſto timore cuſtodit. Furent licet in eam aduerſarij, obmurmurent, obtrectent: omnes tãdem mox victos, victori cedant, ac colla ſubmittant, neceſſe eſt; cum eam fidem illi adiudicare coguntur, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto acceptam conſignarunt: hoc enim telo vni- Cypr. de vnit. Eccl.

uerſas hæreſes iugular, cum eandem fidem, ac Religionem inuiolatam illis obijcit, quam Eccleſia ab Apoſtolis incorruptam accepit.

Equidem tàm aperta, ac efficax hęc in Romana Religione fidei integritas eſt, vt plerique Hæretici ad ſaniorem mentis ſenſum, ac Romanæ fidei obedientiam hac ratione compulſi fuerint: idq. ſcriptis teſtatum reliquerint: vt paſſim intueri licet in pleriſq. editis voluminibus, quæ per Galliam volitant. Id verò, & ipſa ratio dictat: Nam quoties Hæreticis aliquod dogma occurrit, quod cum Romana Religione controuerſum habent; ſi modo illud candidè ſecum ipſi exagitare velint, in eo primùm verſari debent; ut utriuſque partis fundamenta, quibus illud aſſerunt, aut negant, diligenter inſpiciant; perpendantq. quis fœnum, ligna, ſtipulas, quis è contra lapides pretioſos, gemmas, aurumq. ſubſternat. Cum primùm igitur in Romanæ Religionis fidem oculos conijciunt, cernuntq. dogma huiuſcemodi ſtabili, atque integro tot Sanctorum Patrum fundamento innixum, tot ſeculorum conſenſione roboratũ, tot Conciliorum auctoritate confirmatum, antiquiſſimo Eccleſiæ uſu probatum, ac uelut auro, argento, ac pretioſo lapide fundatum eſse: ſuum è ueſtigio uix abhinc aliquot annis fabrefactum, priorum Patrum, qui ueræ fidei integerrimi teſtes ſunt, præſidio deſtitutum, nulli ſolido antiquæ fidei, quæ Apoſtolica eſt, fundamento adhærens: an non meritò ſuſpicari debent, illud nihil pręter quàm fœnũ, ligna, ac ſtipulam ſibi ſubſternere? Planè hoc teſtimonio conuicti (ſi tamen ſaniori iudicio uti uolunt) ad Catholicam fidem euolare debent, ac Romanæ Religionis dogmata amplecti.

Poſtremò traditam ſemel fidem Romana Religio ita ingram, atque inuiolatam ſeruat, ut ab ea nulla unquam ui dimoueri potuerit. Mirum ſanè eſt, quot Hęretici illi Imperatores tum Arriani, tum Iconomachi, tum Monothelitæ, Conſtantius, Valens, Zeno, Baſilicus, Anaſtaſius, Iuſti-

ſtinianus Primus, & Secundus, Heraclius, Conſtans, Leò Iſaurus, Conſtantinus Copronymus, Leo Copronymi filius, Leo Armenus, Michael Balbus, Theophilus, Conſtãtius Monomachus, Andronicus, & alij, artibus uſi fuerint; quot lapides mouerint, quot uires, ac minas, exercuerint; ut pleroſq. Romanæ Eccleſiæ Pontifices ad ſuos errores pertraherent, quibus ij ſemper uſque ad ſanguinem reſtiterunt.

Teſtis quoque huius rei eſt maxima illa controuerſia, quæ olim in Eccleſia tempore Agrippini Carthaginenſis Epiſcopi, & Stephani Romani Pontificis de rebaptizandis hæreticis orta fuit: in qua tota penè Africa cum Agrippino aduerſus Romani Pontificis ſententiam conſpirare videbatur: in ea tamen conſtans Romanæ Religionis fides id obtinuit, vt non modò multitudini non ceſſerit; ſed veritatem à multitudine penè obrutam ſola vendicauerit. De qua ita ſcribit Vincentius Lirin. aduerſ. hæreſ. c.6. *Sed ne longum fiat; vnum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimùm ſede exemplum ſumimus; vt omnes luce clariùs videant, Beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio, quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſceptæ ſemel Religionis integritatem. Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium, contra diuinum Canonem, contra Vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem, ac inſtituta maiorũ rebaptizandum eſſe cẽſebat, qui ab hæretico baptizatus erat, quæ præſumptio tantũ mali inuexit, vt non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdã Catholicis occaſionem præbuerit erroris. Cum ergo vndique ad nouitatem rei cũcti reclamarent, atq; omnes quàqua verſùm Sacerdotes pro ſuo quiſq; ſtudio reniteretur: tunc B. mem. Papa Stephanus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidẽ collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit; dignum (vt opinor) exiſtimans, ſi reliquos omnes tantũ fidei deuotione vinceret, quantùm loci auctoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola, quæ tunc ad Aphricam miſſa eſt, idem his* Vinc. Lirin.

ver-

verbis ſanxit. Nihil innouandum, niſi quod traditum eſt. *Intelligebat enim vir ſanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta fforent, eadem fide filijs conſignarentur: noſq. Religionem non quà vellemus ducere ſed potius quà illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ, ac grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare.*

Poſtremum tandem argumentum, quod hanc fidei integritatem in Romana Religione perpetuã fuiſſe demonſtrat: illud tibi ſit (Lector) Quod ea quaſcunque hęreſes toto orbe, & quacunque hominum ætate erumpentes, vel Pontificum auctoritate, vel Conciliorum ſanctionibus ſemper effugauit: Cum enim hæreſis fidei venenum ſit, ac Religionis lues, quæ omnem fidei vnitatem corrumpit: ſicut nulla corporis ſanitas ineſſe poteſt, niſi morbo expulſo: ita nullus integræ fidei, ac Religioni locus eſſe valet, niſi hæreſis morbus, ab ea penitùs expellatur. Hoc argumentum aliàs leuiter attigimus, quod hic fuſius, quando res id poſtulat, proſequendum eſt.

Ac primum ſi ab ipſo Simone Mago rem auſpicari lubet: eum à Petro Romanæ Sedis Pontifice Romæ damnatum, ac morte mulctatum, tradunt Clemens I. lib. 3. Recognit. Egeſippus de excid. Hieroſolym. l. 3. c. 2. Cyrillus Hieroſol. cathech. 6. Theodoretus l. 1. hæreticarum fabul. Arnobius l. 7. aduerſ. gent. Hieronym. de Viris Illuſtr. c. 1. Auguſtin. hæreſi 1. ad Quiduult Deum.

Nicolaitę, Baſilidiani, ac Gnoſtici à Carpocrate orti, qui teſte Epiphanio hæreſi 25. Irenæo lib. 1. c. 32. & Clemente Alexand. lib. 3. ſtromatum, vxorum communionem docuerunt, partim ab Apoſtolis, partim à Lino, Cleto, Clemente Romanis Pontificibus pulſi fuere. De ijs agit Clemens Rom. conſtit. Apoſt. l. 6. c. 8. vbi de Simonis ſectatoribus agit, ac eos ex profeſſo damnat. Quibus etiam addi poſſunt Cherinthiani, Ebionitæ, ac Menandriani, qui Simonis Magi ſectatores fuerunt, ac malè de Chriſti diuinitate,

Clem. Ro.

tate, ac Matrimonij Sacramento ſenſerunt, quos etiam Anacletus, & Euariſtus damnarunt, ac profligarunt.

Poſt hos Cerdoniani, Valentiniani, Apelleitæ, Peratæ, qui plura principia rerum aſtruebant, vt notat Irenæus lib. 1. cap. 28. Clem. Alexan. lib. 4. ſtromat. Euſebius l. 5. c. 3. Theodoretus de Peratis, partim ab Higinio, partim à Pio Primo Pontificibus extincti ſunt. Irenęus. Clem. Alexan. Euſeb. Cęſ. Theodor.

Marcioniſtas, Marcitas, Encratitas, qui teſte Nicephoro l. 4. c. 4. & 28. Irenæo l. 1. c. 30. & Epiphanio l. 1. contra 80. hæreſes, nuptias damnabant, Reſurrectionem mortuorum negabant, Vetus Teſtamentum expungebant, ac primam rerum creationem reijciebant, Pius Primus, Soter, Anicetus, Eleutherius ab Eccleſia eiecerunt, vt ſcribit Tertullianus lib. de præſcriptionibus hæreticorum. Nicephor. Irenęus. Epiphan. Tertull.

Quartadecimanos, qui Paſcha Luna xiiij. celebrabant, Victor Pontifex excommunicauit, vt tradit Euſebius lib. 3. cap. 4. Euſeb. Cęſ.

Montaniſtas, ſeu Cataphryges, qui, vt refert Euſebius l. 5. c. 15. & 18. Mortuos baptizabant, & Nuptiarum vincula diſſoluebant, à Romano Pontifice Sothero pulſos, narrat Tertullianus aduerſus Praxeam. Tertull.

Nouatianos, qui (vt ait D. Cyprianus) in peccatum prolapſos, & ad Eccleſiam lachrymis, gemitu, & dolore cordis pulſantibus diuinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia, & ſubſidia claudebant, ab Eccleſia expulit Cornelius Papa, eodem Cypriano teſte lib. 3. ep. 3. Cyprian.

Sabellianos vnam tantùm perſonam in Trinitate ponentes Sixtus Secundus damnauit.

Donatiſtas à Melchiade effugatos, narrat Auguſtinus, qui minorem Patre Filium aſſerebat. Auguſt.

Manichæos, qui duos eſſe Deos affirmabant, ac hominis animam ex Dei ſubſtantia progenitam dicebant, primũ Felix I. Deinde Concilium Toletanum 1. in aſſertione fidei, & Bracarenſe cap. 5. damnarunt. Felix I. Conc. Tol. 1. Cōc. Brac.

Arrianos, qui Filium Dei minorem Patre, ac creaturam

eſſe

Conc.Nic. I. eſſe contendebant, tum à Siluestro, tum à Concilio Niceno primo damnatos ſcimus.

Macedonianos, Apollinariſtas, Photinianos, Eunomianos, qui varia hæreſum impietate veræ fidei doctrinam labefactabant. Primi enim Spiritum Sanctũ minorem Filio. Secundi Chriſtum non animam, ſed corpus tantum aſſumpſiſſe. Tertij vnam tantùm Patris perſonam in diuinis, & ſolum hominem Chriſtum eſſe. Quarti Filium, & Spiritum Sanctum meras eſſe creaturas affirmabant. Damaſus Papa ab Eccleſia eiecit, vt colligitur ex epiſtola ad Paulinum Theſſalonicenſem, & poſt Damaſum Concilium Conſtantinopolitanum anathematizauit. Damaſus. Cõc.Cõſt.

Seleuciani, & Herminiani, è quibus Meſſaliani orti sũt, auctore Philaſtrio, Priſcillianiſtæ, Luciferiani, cum communem hæreſim præter cuiuſque ſingulares, de Angelorũ, & animarum origine ex Dei ſubſtantia fouerent, à Damaſo, & Siricio primùm, tum à Toletano primo Concilio, ac Bracarenſi primo c.5. anathemate perculſi ſunt. Damaſus. Siricius. Conc. Tol. I. Conc. Bracar. I.

Iouinianiſtæ, qui pares virginibus nuptias eſſe tradiderũt, ac liberum hominis arbitrium ſuſtulerunt, ac pleraq. alia impietatis capita aduerſus veram fidei doctrinã pepererũt, vt auctor eſt Hieronymus contra Iouinianum, in Concilio Telenſi ſub Siricio Papa damnati ſunt, ac diris deuoti. Hieron. Conc. Tel.

Pelagianos, qui liberum arbitrium gratiæ anteponebãt, ac originali peccato è medio ſublato (vt teſtis eſt Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 88.) Baptiſmum inutilem aſſerebant, Mileuitanum Concilium ſub Innocentio I. peremit. Auguſt. Conc. Mil.

Neſtorianos cum Neſtorio, qui nexum vtriuſque naturę in vno ſuppoſito in Chriſto diſſoluere auſi sũt, ac duas perſonas in eo ſtatuere, ac inſuper MARIAM Virginem Dei Matrem eſſe negabant: Cæleſtinus Papa ante Epheſinum Concilium, ac deinde ipſum Epheſinum Concil. profligauit. Celeſt. P. Cõc. epheſ.

Eutychianos, ac illorum fautores Timotheum, & Dioſcorum, qui impiè docebant carnem Chriſti in ipſo incarna-

nationis articulo in diuinitatem eſſe commutatam, ac propterea vnam tantùm in Chriſto diuinam naturam agnoſcebant, ac alia pleraq. horrenda in Catholicam fidem euomebant, Leo Primus in Chalcedonenſi Concilio è fidelium grege expulit. Leo I.

Euſtathianos Silueſtri tempore exortos, Templorum hoſtes, ac Spiritum Sanctum neque Deum, neque Creaturam aſſerentes, Synodus Gangrenſis, teſte Nicephoro lib. 9. c.45. inter hæreticos relegauit. Syn. Gãgr.

Acephalos à Seuero ortos, ac Theopaſchitas à Petro Cnapheo, qui, (vt refert Damaſcenus l.3. c.3.) in Chriſto poſuerunt vnionem non perſonalem in duabus naturis verè ſubſiſtentem, ſed tantùm habitualem, ideſt, ſecundùm habitum, proprietatem, conditionemq. quandam diuinã, qua cũ ſolus eſſet homo, diuina tamen aſſiſtente, per quandam participationem, virtute, miracula operabatur; primũ Hormiſda, & Agapetus, deinde quinta Synodus Conſtantinopolitana damnauit. Vt auctor eſt Nicephorus lib. 16. c.29. & l.17. c.2. Hormiſda. Agapetus. Cõc. Cõſt.

Seuerianos, qui cibos, quos Deus humano generi ad veſcendum propoſuit, vinumq. potiſſimùm (teſte Iſidoro) damnabant, Sother, ac Eleutherius Pontifices Romani aſperis ſanctionibus perſecuti ſunt, vt tradit Irenæus l.3.c.3. & Euſebius l.5.c.6. Irenęus.

Monothelitas, ſeu Monophyſitas, qui vnam tantùm Verbi, & carnis naturam poſt ineffabilem illam vnionem, ac vnam voluntatem in Chriſto eſſe docebant: Sexta Synodus Conſtantinopolitana ſub Agathone Papa iugulauit, act.17. Synod 6. Conſt.

Cyrum, Sergium, Paulum, Pirrhumq. Epiſcopos Conſtantinopolitanos, qui noua dogmata in Trinitatem, ac duplicem Chriſti natiuitatem inſerebant, Theodorus, ac Martianus Romani Pontifices diris deuouerunt. Theodor⁹. Martianus.

Iconomachos, qui Leonis Tertij Imperatoris potentia freti, ſacras Imagines aggrediebantur, atque è templis de-

Greg. 3. trahebant; primùm Gregorius III. Summus Pontifex anathemate percuſſit, atque ipſum Leonem Imperatorem excommunicauit, & à ſacris interdixit. Teſte Platina, & Sabellico, quos etiam Concilium Nicenum ſecundum damnauit. (Platina. Sabellicus. Conc. Nic. 2.)

Leo 9. Berengarium ab Eccleſiæ communione ſubmouit Leo Nonus Pontifex, eò quòd in eam inſaniam prorumperet, vt verum corpus, & ſanguinem Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento contineri negaret, cuius hæreſim etiam à Victore II. & Nicolao II. qui Leoni ſucceſſerunt, ac demũ à Concilijs Vercellenſi, Turonenſi, ac Lateranenſi, ab ijſdem contra Berengarium celebratis exploſam legimus. (Victor. 2. Nico. 2. Conc. Vercel. Conc. Tur. Conc. Later.)

VValdenſes qui promiſcuè omnem coitum licere docebant; Albigenſes, qui Infernum, ac Purgatorium irridebant, Baptiſmum reijciebant, corporum reſurrectionem negabant, ac ſimul animam cum corpore interire ſentiebant; Henricianos, ac Petrobruſianos, qui Baptiſmum è medio tollebant; Petrum Abailardum, & Arnoldum Brixianum, qui in Deo compoſitionem aſſerebant, ac eum omnium bonorum auctorem eſſe negabant: Innocentius II. ad extremum vſque perſecutus eſt. (Innoc. 2.)

Denique VVicleuſiſtas, & Huſſitas, qui impijs dogmatibus veram fidei doctrinam euertere conati ſunt, quorum articuli leguntur in Concilio Conſtantienſi, idem Concilium cõdemnauit, ac Ioannem Hus faſciculis addixit. His poſtremò ſi addere volumus Lutheranos, & Caluiniſtas: hos ex profeſſo à Leone X. ac cæteris poſterioribus Pontificibus, ac demum à Tridentino Concilio damnatos non ignoramus. Ex quibus tandem perſpicuum eſt, nullam vnquam hæreſim dæmonum aſtu in Eccleſiam irrepſiſſe, quæ à Romana Eccleſia profligata, ac tandem extincta non fuerit: vt inde omnibus exploratum ſit, integram ſemper illius doctrinam extitiſſe, quæ nulla vnquam hæreſum tabe infici, aut corrumpi potuit. (Cõc Cõſt. Leo X. Cõc. Trid.)

Haud ſanè ignoro, quid Caluinus, Lutherus, ac cæteri ob-

obmurmurent: cum alij Romanæ Religionis fidem ſtatim à tempore Apoſtolorum, alij poſt trecentos à Chriſto annos, alij denique poſt Gregorij Magni tempora ab hæreſibus corruptam aſſerunt, quos in ſuperiori Conſilio opportunè refellimus: Quare hic tantummodò aliorum obiectio diluenda: quæ potiſſimùm Græcorum eſt, qui tametſi in eo Romanam fidem integram agnoſcant, quòd in ea nihil mutilatum, nihil corruptum, mutatum nihil vnquam fuit; additum tamen aliquid fuiſſe murmurant: quo fit, vt integrā eam eſſe non cenſeant, quæ aliquando aucta, atque à prima diſſimilis eſſe conſpicitur. Id colligunt ex articulo de proceſſione Spiritus Sancti à Filio, quem à Nicena Synodo additum conqueruntur. Dogmata præterea de Purgatorio, & de perpetua B. M. V. Virginitate, ſimul cum hæreticis obijciunt, quæ primam fidem immutare videntur, dum modò in Romana Religione aliquid de fide creditur, quod anteà non credebatur. Atqui veræ fidei profectum ignorant, qui nihil in fide excuratum, atque amplificatum volunt. Auroræ Eccleſia comparatur, quæ non ſtatim, ac repentè, ſed paulatim in perfectum fidei creſcit diem. Proficit quidem Romanę Religionis fides; ita tamen vt verę fidei profectus ſit, non additio, aut permutatio. Nam (vt Lirinenſis ait aduerſus hæreſ.) ad profectum pertinet, vt vnaquæque res in ſemetipſa amplificetur; ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud transferatur; ad incrementum, vt quod priùs non erat, inchoatū incipiat. Creſcit quidem in Romana Eccleſia fides, amplificatur, proficit; ſed nulla in hoc profectu fidei permutatio eſt, cum nihil deperditur, nihil additur, nihil in aliud tranſmutatur: nihil quod priùs non fuerit, eſſe incipit: ſi quidem non noua fides accerſitur, ſed antiqua tantummodò excuratur, limatur, politur.

Imitetur (ait Vincentius Lirinenſis aduerſ. hæreſ. c. 29.) *Animarum Religio rationem corporum, quæ licèt annorum proceſſu numeros ſuos euoluant, & explicent: eadem tamen, quæ* Vinc. Lirin.

erant, permanent: multùm intereſt inter pueritiæ florem, & ſenectutis maturitatem, ſed iidem tamen ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes: vt quamuis vnus, eiuſdemq. hominis ſtatus, habitusq. mutetur, vna tamen nihilominus eademq. natura, vna eademq. perſona ſit. Parua lactentium membra, magna Iuuenum, eadem ipſa ſunt tamen: quot paruulorum artus, tot Virorum; & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in ſeminis ratione præſata, vt nihil horum poſtea proferatur ſenibus, quod non in pueris iam antea latitauerit &c. Ita etiam Chriſtianæ Religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges, vt annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate: incorruptum tamen, illibatumq. permaneat, & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctisq. quaſi membris, ac ſenſibus proprijs plenum, atque perfectum ſit. Abſit igitur, vt Romana Religio, cum alicuius dogmatis fidem anteà nondum expreſſam pronunciat, nouum aliquid fidei addat extraneum, aut aduentitium: ſed ea tantum dogmata explicat, quæ antea implicita, ac ſubobſcura erant; & quæ prius in ſcripturis, velut in latente ſemine continebantur, clarè in lucem profert. Neque id mirum. Nam *Romanæ Eccleſię Fides Luna comparatur* (vt Philo Carpathius ait in Cantica) *quæ in dies maiora lucis incrementa percipit, donec ad perfectum plenilunium peruenerit.*

Philo Carpa.

Creſcat igitur oportet Romanæ Religionis fides lucis gradibus, proficiat neceſſe eſt intelligentiæ ſplendore, ſcientia, ſapientia: cum tamen vna, ac eadem fides ſit. *Fas enim eſt* (vt idem Lirinenſis inquit) *vt priſca illa cæleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur; nefas, vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licèt euidentiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant, neceſſe eſt, plenitudinem, integritatem, proprietatem.*

Lirinenſis.

Hoc ſanè pacto amplificata fuit, ac declarata illa de proceſsione Spiritus Sancti à Filio, fides: Enucleata B.M. perpetua Virginitas; confirmatum Purgatorij dogma: excurata temporum ſucceſsu pleraq. alia fidei dogmata, quæ obſcura

ſcura

ſcura delitefcebant: ſed non addita fidei: exculta fuit antiqua fides, ſed non permutata. Addita quidem fuit forma, ſpecies, diſtinctio; eadem tamen fidei natura permanſit. Deniqùe licèt in his creuerit Romanæ Religionis fides, vegetior euaſerit, grandior, illuſtrior; non tamen noua dogmatum membra peperit, ſed priora duntaxat fœcunditatis incremento latius extendit.

Ex his itaque (Lector) ſatis ſuperq. tibi perſpicuum eſſe poteſt Romanæ Religionis fidem, quæ triplici hoc antiquitatis, conſenſionis, ac integritatis, quæ veram, & Catholicam fidem demonſtrant, teſtimonio munita eſt, & diuino quodam vinculo veræ Religioni colligata, ita Romanam ipſam Religionem veram declarare: vt niſi à vero rectæ rationis indicio ſponte declinare velis: ipſius amplectendę conſilium haud vllo modo reſpuere valeas.

CONSILIVM QVINTVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (Lector veritatis Aemulator) *Beatum Petrum totius Chriſtianæ Eccleſiæ Paſtorem, ac Principem à Chriſto Domino inſtitutum fuiſſe, ac proinde ſolam Romanam Eccleſiam, veram, & Apoſtolicam eſſe, quæ ſola Apoſtolicum hoc Caput à Chriſto inſtitutū agnoſcit.*

Adeſt quintum conſiliū firmiſſimū ad veram fidem ſuadendā (Lector) ex ipſis Euangeliorū fontibus hauſtū, antiqua Patrū conſenſione firmatum, perpetuo ſeculorum vſu receptū, ac demū tot gentium, ac populorū fide ſtabilitum: vt quāquā ex ijs, qui ſectas à Romana Eccleſia diſſitas profitentur, quàmplurimi eam omnibus machinis oppugnare ſtuduerint; eoq. omnem laborem, ſtudium, ſollicitudinem, ac impiam diligentiam contulerint, vt eam funditus euellerent; ea tamen cælo ſolidior eò magis fixa, ac immobilis ſtat, quo acriores hoſtium impetus, ac conatus perpetitur. Siquidem de Petri Monarchia agitur, quæ verbo Domini fundata, tandiu in orbe incolumis eſſe debet, quandiu

Digitized by Google

Chriſti Eccleſia, quæ eidem velut fundamento innititur, dicente Domino: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,* apud homines ſuperſtes erit.

Matth. 16.

At quandoquidem in hac Regula, de iuſto Petri principatu res eſt, à quo plerique eum perperàm exturbare conantur. Aequum eſt (Lector) vt pro Principe decertes, ac rationibus, quibus non humano, ſed diuino planè iure illi Principatus debetur, quæ à nobis vberrimæ afferentur, diligentiſſimè apud te examinatis, iuſtæ ipſius cauſæ te Patronum geras, ac legitimo Principi ſuum principatũ ſerues.

Primam itaque rationem ex ipſis Chriſti verbis petere lubet: quibus Simonem, noua iam Cephæ nominis nuncupatione ab eo cohoneſtatum, alloquens, inquit. *Beatus es Simon Bar-iona quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus qui eſt in Cælis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quo teſtimonio Chriſtus rerum omnium Eccleſiaſticarum ſummam, non obſcurè Petro pollicetur.

Matth. 16.

Siſte quæſo (Lector) & primo aſpectu, tam Lutheriſtas, Caluiniſtas, Puritanos, Proteſtantes, quàm cæteros ſectarios in hanc petram impingentes intuere. Eſt enim hic lapis offenſionis, & petra ſcandali ijs, qui à veritate aberrãt. Tum verò, quàm graui pondere, qui in hanc petram offendunt, ab eadem conterantur, lubeat perſpicere.

Caluinus, quem vniuerſi penè ſectarij in hoc præſertim dogmate ſequuntur, hoc teſtimonium ita aggreditur. Vt Petram, in qua Chriſtus Eccleſiam ſuam ſe ædificarurum ſpondet, non Petrum, ſed Chriſtum ipſum eſſe affirmet: de quo Paulus: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, niſi quod poſitum eſt, IESVS Chriſtus.* Atque in ſui præſidium Auguſtinum vocat, qui libro primo Retract. c. 21. idem videtur ſentire. Sed quàm grauiter Caluinus, ac cæteri in hanc petram offendant, dum hanc illi inrerpretarionem affigunt, (Auguſtinum enim longè ab eorum ſenſu diſtare facilè demonſtrabimus) in primis ipſa verborum ſeries, qua

Inſt. lib. 4. cap. 6. §. 6.

1. Cor. 3.

Chri-

Chriſtus in hoc teſtimonio vtitur, non obſcurè indicat.

Quis enim cordatus vir iuſtè in animum ſibi inducere queat, Chriſtum, cum tam ſeriò cum Petro ageret; vt pręter morem illius fidem commẽdaret; ac diuini luminis reuelatione Beatum prædicaret, illis verbis: *Beatus es Simon Bar-iona; quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui eſt in cælis.* Cum tam grauiter ad eum ſermonem conuerteret, tanquam grandia eidem fidei pręmia collaturus. *Et ego dico tibi:* cum non amplius Simonem, ſed Cepham, ſeu Petrum, nouo, ac impoſito nomine appellaret: vt illius vim, ac dignitatem omnibus aperiret: *Quia tu es Petrus.* Mox interempta ſententia, pręter conceptum verborum ordinem, præter ſenſum, præter rem, pręter rationem, ad ſeipſum ſermonem reflexiſſe? nullaq. verborum cohærentia, nulla ſenſus ſympathia; imò aperta, vt videtur, diſſonantia protuliſſe, *Et ſuper me ipſum ædificabo Eccleſiam meam?*

Quid Chriſto opus erat, Petri fidem tot Encomijs extollere? Petrum nouo nomine appellare? Seipſum Petro, velut iureiurando, obſtringere? Mutuum quidpiam, ac reciprocum, pro edita fidei confeſſione, illis verbis rependere: *Et ego dico tibi.* Tandem ſermonem incohare, & Petro dicere: *Quia tu es Petrus.* copulatim addere: *Et*, qua priora verba poſterioribus connectere inciperet. Si protinus verbis in alium, ac longè diuerſum ſenſum præter rem euocatis; non Petrum, ſed ſeipſum intelligendum præbuit, cum ſubdidit: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quæ obſecro mens, aut ratione prædita, aut veri cupida, hunc ſibi ſenſum perſuaderi vnquam ferat.

Graue profectò illud erat, quod ſe Petro dicturum Chriſtus pollicebatur: neque enim tanta verborum Energia, ac magnificentia vſus eſſet, vt præmitteret: *Et ego dico tibi:* quibus diuinæ Maieſtatis robur, ac fidem dicendis conciliauit: niſi ingens aliquod, vel promiſſum, vel myſterium, ſub pronunciandis lateret. At quid Petro Chriſtus dixerit,

in-

Digitized by Google

indagemus: Si Caluino, ac ſectarijs credimus: nihil aliud Petro à Chriſto dictum fuit, prçterquàm, quòd ipſe eſſet Petrus: *Quia tu es Petrus*, inquit, præterea nihil. At quis illud ignorabat? Cui non perſpectum erat eum eſſe Petrum? quid grande illis verbis continebatur; quod iure ſuſpenſos Apoſtolorum animos, nouæ alicuius rei expectatione detineret?

Hic (Lector) tuam ipſius fidem, ac iudicium obteſtor, vt quid de hac Caluini interpretatione ſentiendum ſit (vt ſoles) candidè iudices; qua Dei ſapientiam ea impietate ſugillat, vt vel ſui immemorem efficiat; vel leuiter, & inconſideratè, ac etiam nullo ordine, ac conſtantia verba proferre exiſtimet. Crimen, quod poſſem, non augeo. Verumtamen (quæ tua ſapientia eſt) quàm eam à Dei ſapientia, atque ab hoc Chriſti teſtimonio longè propellenda ſit, prudenter expende.

Neque Caluinum Auguſtinus excuſat, cum lib. 1. Retract. c. 21. docet. Petræ nomine, hoc loco Chriſtum ipſum poſſe ſignificari. Certum enim eſt, Auguſtinum non literalem, de quo agimus, ſed myſticum tantum ſenſum in hac expoſitione approbare. Cum enim nemo ignoret, Chriſtum, in ſcripturis petram myſticè appellari; hinc ſi de myſtica interpretatione agatur: non incommodè Auguſtinus, hoc loco Chriſtum Petræ nomine intelligi poſſe ſenſit. At nos non myſticam, ſed literalem loci explanationem quærimus.

Quod ſi adhuc contendant, Auguſtinum de Chriſto petram literaliter exponere; ob id potiſſimùm, quòd in eo loco cauſam reddens, cur in eam ſententiam propenderet, eam attulerit, quod Petro dictum non fuerit, Tu es Petra: ſed tu es Petrus, quãquàm id perfectè non euincant. Neque enim Auguſtinus, ita eã expoſitionem approbat, quin etiam ſub dubio relinquat. At eſto: non pugno. Planè negari non poteſt, Auguſtinum tunc ignoraſſe, quid Cephæ nomen ſignificaret: vt poſt Ianſenium, obſeruant, Bellarminus,

nus, & Baronius. Quod nos quoque luculenter poſt hæc demonſtrabimus: quod ſi calluiſſet, haud dubium, quin in priorem tantùm ſententiam conceſſiſſet. At quamquàm Auguſtinus hanc ſententiam ob id nõ reprobauerit, quòd eam fidei conſentaneam exiſtimaret; alteram tamen, quæ in Petra Petrum ſignificari affirmat, æquè probabilem eſſe docuit: quo fit, vt Caluini ſententia longè ab Auguſtini ſententia diſtet. Cum enim Caluinus hanc ſententiam ita mordicùs amplectatur, vt etiam alteram damnet. Contra, Auguſtinus neutram refellit; ſed vtramque approbat; & vnicuique eligendam proponit, his verbis: *Harum autem duarum ſententiarum, quæ probabilior ſit, eligat lector.* Sed vtinam Auguſtini ſententiam amplecterentur. Auguſtinus enim probabilem illam ſententiam eſſe credidit, vt Petrus illa Petra eſſe cenſeretur, ſuper quam Dominus Eccleſiam ſuam ſe ædificaturum pollicetur. Verè igitur credidit Auguſtinus, eam ſententiam damnandam non eſse: neque Fidei Chriſtianæ repugnare, vt in Petro tanquam in Petra, fundari Eccleſia credatur. Quid ergo ſibi Auguſtinum, velut Patronum vendicant? Aut ſi vendicare volunt, cur Catholicam ſententiam damnant, quam Auguſtinus damnare non eſt auſus? Denique, cum nulli adhuc Caluiniani, Lutheriſtæ, Puritani, ac Proteſtantes Auguſtini tempeſtate orti eſsent; qui Petri ex hoc teſtimonio primatum oppeterent: facilè Auguſtinus quemlibet in alterutrum ipſius ſenſum declinare permiſit; cum vterque Catholicus eſset, licet horum alter minus loco conſentaneus eſset: ſed cum nunc temporis Caluinus, eò huius loci interpretationem detorqueat; vt Petri Principatum proſternat, quem Auguſtinus ſemper ſummoperè eſt veneratus: nulli ſanè dubitãdum eſt, quin Auguſtinus Caluinianam hanc expoſitionem nobiſcum damnaret, ſi is modo hac noſtra tempeſtate viueret.

Aug. lib. 1. Retract. c. 21.

Verùm (Lector) vt quæ hactenùs dicta ſunt, tibi luculentiora fiant: Duo obſerua. Primùm, cum primum Simoni

nominis mutatio à Chriſto facta fuit, ipſum non Petrum, Græca, aut Latina lingua, ſed Syriaca, qua Chriſtus vtebatur, Cepham appellatum fuiſse. Id apertè teſtatur Chri-
Ioan. 1. ſtus apud Ioannem, his verbis: *Tu es* (inquit) *Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas*. Protinus addit Ioannes. *Quod interpretatur Petrus*. Quo fit, vt Euangeliſta interpretationem addiderit, qua vim, ac ſignificationem huius nominis Græca lingua indicaret. Cum tamen vera, ac primaria nominis nuncupatio, non Petri, ſed Cephæ proculdubio fuerit; hinc manifeſtum eſt, Chriſtum, cum Petrum in propoſito teſtimonio alloquutus eſt, Syriacè Cepham appel-
Matth. 16. laſse. *Et ego dico tibi: quia tu es Cephas, & ſuper hanc Cepham ædificabo Eccleſiam meam:* quamuis Latinus interpres, Petrum reddiderit.

Hier. 4. Alterum porrò tibi obſeruandum eſt. Nomen (Cephah) Syriacè non Petrum, ſed petram, aut rupem ſignificare; quod ex Hieremia, ac pluribus alijs ſcripturæ locis perſpi-
Hieron ad c.2. ad Gal cuum eſt; vbi (Cephah) ad petram ſignificãdam vſurpatur: vt obſeruat Hieronymus. Atque id egregiè confirmat Elias Leuites Iudæus in ſuo Lexico, in voce (Cephah) Quo fit, vt cum Chriſtus Petrum illis verbis affatus eſt: *Et ego dico tibi: Quia tu es Cephah*, non Petrum, ſed petram pronunciauit; tametſi Euãgeliſta per accommodationem, petram ad maſculinum genus tranſtulerit, ſcribens, *Petrum*: eò quòd maſculina magis, quàm fęminina vox viro congruat. Atque inde Auguſtinus illius expoſitionis, quam Caluinus, vělut ab ipſo ex promptam ſibi vendicat, anſam arripuit: eò quòd vim, ac ſignificationem vocis (Cephah) ignoraret: vt ex dictis manifeſtum eſt.

Ex his, non aſpernandum Collectaneum elicimus: nimirum, illam nominis mutationem, quæ ex Simone in Cepham facta eſt, maximo myſterio non vacare: cum eą Chriſtus indicare voluerit, Petrum totius Eccleſię Petram, Caput, ac fundamentum ab eo inſtituendum fore; vt ex propoſito teſtimonio conſtat, cum ait: *Et ſuper hanc Cepham*

ędi-

Digitized by Google

ædificabo Eccleſiam meam.

Cæterum, vno Auguſtino excepto, qui rem ſub dubio proponit, noſtram hanc, aduerſus Caluinum, loci huius interpretationem docent ferè vniuerſi Patres, qui Petræ appellatione, Petrum ipſum intelligendum ſentiunt: Ex Græcis Origenes: *Vide* (inquit) *magno illi Eccleſiæ fundamento, ac Petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino.* Quem ſequuntur Baſil. ad cap. 2. Iſaiæ. Epiphanius, in Ancorato: Cyrillus Alex. lib. 2. in Ioan. c. 12. Nazianz. orat. de mod. in diſput. ſeruād. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. & hom 9. de Pœnitentia: Iſidorus Peluſiota ep. 235. Concilium Chalcedonenſe, Actione 3. Victor Antioch. ad cap. 3. Marci: Ex Latinis Cyprianus ita ſcribit: *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata.* Idem repetit lib. 1. ep. 12. ep. 71. ad Quintum fratrem, ep. 73. ad Iubaianum, & de Vnit. Eccl. Cath. & alibi paſſim: cui adſtipulantur; Hilarius in cap. 16. Matth. in Pſalm. 103. & lib. 6. de Trinit. Ambroſ. ſerm 68. lib. 6. in Lucam, cap. 5. Hieronymus ep. 54. ad Marcellam: in Matth. c. 16. in Iſaiam c. 2. in Iouinianum c. 14. & lib. 1. Dialog. cont. Pelag. c. 4. Leo Magn. epiſt. 93. Marcell. I. ep. 1. Pacianus ep 3. ad Sympronium: Maximus in Natali Apoſt. Petri, & Pauli, & alij ferè innumeri. Ex quibus perſpicuum eſt, receptiſſimam apud antiquos Patres loci huius interpretationem fuiſſe, vt per Petram, de qua Chriſtus in hoc teſtimonio agit, Petrus ipſe intelligeretur.

Orig hom. 5 in Exod.

Cypr. lib. 1 ep. 8.

Vides (Lector) non nouas, aut ſingulares, vel emendicatas nos ſcripturarum interpretationes obtrudere, ſed antiquiſſimas dumtaxat, & communi Patrum conſenſione probatas referre.

Hac igitur loci interpretatione communi antiquorum ſenſu conſtituta; exponēdum ſupereſt; qua ratione Petrus Eccleſiæ Petra, ac fundamentum à Domino nuncupetur. Nemo (Lector) fundamentum alicuius ædificij illud eſſe

Digitized by Google

dubitat, quod totam ædificij molem regit, ac ſuſtinet: atque id quidem inanimata fundamēta ſola corporis magnitudine præſtant, cum id nulla alia via efficere valeant. At verò animata, ac rationalia fundamenta, non corporis magnitudine; ſed animi prudentia, conſilio, poteſtate, ac imperio Reipub. molem, velut humeris regunt, ac ſuſtentant. Quò fit, vt Paterfamilias, qui totius domus ſolicitudinem gerit; Imperator, qui exercitum ſuæ Fidei commiſſum habet; Gubernator, qui vrbem regendam ſuſcepit; Dux, qui Rempub. moderatur; Rex, qui ad Regni gubernacula ſedet; meritò domus, exercitus, Ciuitatis, Reipub., Regni fundamenta appellari queant. Atque inde exploratum eſt, cum Dominus Petrum Eccleſiæ Petram, ac fundamentum eſſe pronunciauit, eundem Eccleſiæ Principem, ac Rectorem inſtituiſſe. Nam qua ratione is à Chriſto Eccleſiæ fundamentum diceretur; niſi tota fidelium multitudo, quæ eſt moles, illius imperio, ac poteſtati regenda traderetur? Hac enim de cauſa, & Chriſtus ipſe à Paulo fundamentum appellatur, præter quod nullum aliud in Eccleſia ponendum ſit; vt eo indicaret, Chriſtùm ita eſſe ſupremum Eccleſiæ caput à Deo inſtitutum; vt cum eo aliud nullum ſupremum eſſe poſſit: quamuis miniſteriale ſub ipſo Caput dari neceſſe ſit, à quo Eccleſia viſibiliter regatur. Verùm, & alia ratione Chriſtus Eccleſiæ fundamentum nuncupatur, quæ nulli præter quàm ipſi conuenire poteſt: nimirum quia in eo, vt fidei Auctore, totius Eccleſiæ fides ædificatur. Hinc enim Chriſtum ſummum angularem lapidem Apoſtolus appellat: *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum, in Domino.*

1. Cor. 13.

Epheſ. 2.

Audio, quid nobis obijciant ſectarij: Nimirum, eodem modo cæteros quoque Apoſtolos Eccleſiæ fundamenta nuncupari: atque inde ex his Chriſti verbis, nihil ſeorſum Petro poteſtatis reponi. At hi, quàm à veritate aberrent, hinc conijce (Lector) Quorſum enim reliquis Apoſtolis præſentibus, ſoli Petro dictum fuiſſet: *Tu es Petrus, & ſuper*

Matth. 16.

per hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam? niſi de præſtantiori illo fundamenti genere, quo Petrus cæteris Apoſtolis, ac toti Eccleſiæ præponendus erat, verba intelligenda eſſent? Apoſtoli ſiquidem, idcircò Eccleſię fundamenta vocantur, quòd vel Chriſti fides ab his primùm in orbe diſſeminata fuerit; vel ex eorum prædicatione, ac doctrina Eccleſia fundationem acceperit; vel (vt demus illis, quod non petunt) poteſtatem ad regendam Eccleſiam obtinuerint. At cum Petro tam ſingulariter dictum fuit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c.* quod nulli Apoſtolorum dictum vnquam legimus, certè non fidei tantùm, ſed ſupremę cuiuſdam poteſtatis in eo fundamentum agnoſci debet, quo etiam cæteris Apoſtolis antecellat; vt exponit Marcellus I. his verbis: *Ipſe eſt caput totius Eccleſiæ, cui ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et poſt ipſum Gregorius Nazianzenus orat. 26 Ambroſius ad cap. 2. ad Galat. Cyprian. de Vnit. Eccleſię, & ep. 55 Hieronymus lib. 1. cōtr. Iouinianum c. 14. Chryſoſtomus, hom. 9. de Pęnitentia, & alij Patres, quos ſupra citauimus. Quorum teſtimonia eorum quoque commentum improbant, qui hoc fundamētum, non ad Petrum, ſed ad fidem abſolutè referunt; qui niſi fidem ſimul cum Petro coniungant, & Petrum ratione fidei Eccleſiæ fundamētum à Chriſto electum eſſe ſentiant (quod plerique Patres rectè, ac Catholicè exiſtimant) ab antiqua fide diſſentiunt. Marcel. ep. 1.

Ad ſecundam rationem accedo, quæ ex poſterioribus Chriſti verbis erumpit, cum addit: *Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Clauium nomine (Lector) ſupremam quandam in Eccleſia poteſtatē ſignificari; qua vniuerſa, quæ ad Eccleſiæ gubernationem ſpectant, ligari, ac diſsolui poſſint, conſtans eſt omnium antiquorum Patrum ſententia: quam ipſæ quoque ſcripturæ confirmant, quæ clauem paſſim pro poteſtate vſurpant. Sic Ioannes: *Ego ſum primus, & nouiſſimus;*

ſimus; & viuus, & fui mortuus; & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues Mortis, & Inferni. Quem locum de abſoluta quadam poteſtate Chriſti poſt reſurrectionem intelligendam docent, Cyprianus de teſtim. diu. ſcrip. ad Quirinum. Rupertus, Beda, & alij. Eodem ſenſu, alia quoque teſtimonia Iſaiæ cap. 22. & Apocalip. 3. exponuntur; à quo nec ipſe quotidianus vſus diſcrepat. Hinc enim victoribus, vrbium claues, in ſupremæ poteſtatis ſignum afferuntur; atque is ſupremus Vrbis Gubernator cenſetur, cui pro arbitrio claudendæ, vel aperiendæ Ciuitatis facultas inſidet.

Cum igitur (Lector) Eccleſiæ claues, Petro diſertis verbis à Chriſto promiſſas audis; ne honorariam tantummodò dignitatem mente concipe, quæ ſcripturis ignota eſt: ſed ſupremam in Petro, velut in ordinario Eccleſiæ Paſtore, qua etiam cunctis Apoſtolis ſuperior eſset, auctoritatem ſuſpice. Hæc enim clauium promiſsio Petro dumtaxat, poſt egregiam illam fidei confeſſionem; non alijs Apoſtolis facta; tam ſingulari modo, totq. præclaris circumſtantijs illuſtrata, præter ſingulare, ac præſtantiſsimum quoddam excellentiæ donum, Petro conferendum, nihil animo concipiendum relinquit. Primùm enim illuſtris illa Petri confeſſio præceſserat, *Tu es Chriſtus Filius Dei viui:* propter quam ſolus meruit à Chriſto Beatus prædicari, illis verbis: *Beatus es Simon Bar-iona:* ſoluſq. in tantæ confeſſionis præmium à Chriſto audire: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram,* &c. Cur non etiam ſolus ſingularem, & excellentiorem clauium vſum accipere debuit; mox ſequentibus verbis promiſſum? *& tibi dabo claues regni cælorum.*

Obſerua (Lector) hæc verba à Chriſto immediatè prolata fuiſse; poſtquàm ſuper Petrum Eccleſiam ædificandam promiſerat: quæ ſi diligentiùs explorare volueris; in ijs nihil, præter ampliorem priorum verborum declarationem, contineri facilè perſpicies. Quod enim prioribus verbis Chriſtus, ſub fundamenti metaphora indicauerat; id cla-

riùs,

riùs, ſub clauium nomine, poſterioribus verbis intelligendum exponit. Quo fit, vt cum prioribus verbis ſumma capitis poteſtas Petro, non alijs Apoſtolis data ſit; eadem quoque poſterioribus luculentiùs illi confirmata fuerit.

Hinc vana, & futilis illorum obiectio euincitur: qui hanc clauium poteſtatem Petro, cum cęteris Apoſtolis communem fuiſſe autumant: eò quòd, & ipſi à Chriſto ligandi, & ſoluendi poteſtatem acceperint, illis verbis: *Quæcumque alligaueritis* &c. Nam etſi Petro, & Apoſtolis ligandi, & ſoluendi poteſtas tradita ſit: in ea tamen diſcrimen agnoſci debet. Apoſtolis enim Eccleſiæ claues datæ ſunt, quæ plenam quidem, ac illimitatam in ordine ad Eccleſiam; non tamen ſupremi capitis ordinariam, ſed delegatam tantummodò, ſub Eccleſiæ capite, eorum poteſtatem indicarent: quod inde exploratū eſt, quòd non ſeorsùm, ſed omnibus ſimul, communibus verbis à Chriſto dictū fuit: *Quæcumque alligaueritis* &c. At cum Petro ſoli, tanta verborum ſingularitate, ac emphaſi dictum audiant: *Et tibi dabo claues Regni cælorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram*, &c. Inde certè addiſcere deberent, eidē tantùm capitis, ac ſupremæ poteſtatis claues promitti: quas non tàm in ſubiectam Eccleſiam, quàm in ipſos quoque Apoſtolos Eccleſiæ Principes, qui inter nobiliſſima Eccleſiæ membra cenſebantur, velut omnium caput, poſſet extendere; & tanquam ordinarius Paſtor in ſucceſſores transferre. Commune igitur Apoſtolis fuit, Eccleſiam æqua poteſtate regere, & adminiſtrare: at Petri illud proprium agnoſcitur, velut Eccleſiæ Principem, vniuerſis præeſſe, & ſuprema omnium rerum Eccleſiaſticarum poteſtate frui.

Age (Lector) ſi eadem clauium poteſtate Dominus cęteros quoque Apoſtolos prędìtos fore decreuit: cur ſolum Petrum, alijs ſpectantibus, alloquitur? cur tàm ſingulariter? *Et tibi dabo.* Cur alijs præſentibus ad neminem, pręterquàm ad Petrum ſermonem dirigit? cur cęteris quoque non dicit. Et vobis dabo claues Regni cælorum? Si communis

Digitized by Google

munis eſt illa poteſtas, cur non communibus clauſulis explicata? Cur tàm ſingularibus verbis Petro non alijs promiſſa fuit? Quid iſta inſinuant? niſi quod ea clauium poteſtas, quæ tunc Petro promittebatur, tàm Petro ſingularis erat, quā verba, quibus ea explicabatur: ita vt cæteris Apoſtolis communis eſſe non poſſet.

At ne hæc gratis à nobis proferri exiſtimes: Antiquiſſimos Patres proferamus, qui integerrimi huius doctrinæ teſtes tibi eſse poſsunt. Primus eſt Optatus, cuius perſpicua ſunt verba. *Beatus Petrus* (inquit) *cui ſatis erat, ſi poſtquàm negauit, ſolam veniam conſequeretur: & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claues Regni cælorum communicandas cæteris, ſolus accepit.* En quàm apertè Optatus, Petro ſoli, non cæteris Apoſtolis ſupremam, ac ordinariam clauium poteſtatem collatam ſentit, qua etiam Eccleſiæ Principatum obtinuit.

Optat lib. 1. con. Par men.

At egregiè Leo Magnus ſectarijs reſpondet, his verbis: *Propter quod dicit Beatiſſimo Petro: Tibi dabo claues Regni cælorum. tranſiuit quidem in alios vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit. ſed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur; quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma proponitur.* Atque hoc illud eſt, quod prior dixerat Hieronymus: *licèt cuncti claues Regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.*

Leo Magn. in ſer. 3. in anniuerſ. die ſuæ aſſumpt. ad Pontif.

Hiero. li 1. cõt. Iouin. c. 14.

Verùm Caluinus, vbi ſua ſibi effugia intercipi videt, ad Auguſtinum aufugit: à quo fruſtra ſibi ſuppetias quærit. Ita ergo Auguſtinum ſcribentem citat: *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ myſterium, non ei diceret Dominus: tibi dabo claues. Si enim hoc Petro dictum eſt, non habet Eccleſia. Si autem Eccleſia habet: Petrus, quando claues accepit, Eccleſiam totam deſignauit.*

Calu. Inſt. l. 4. c. 6. §. 6. Aug tract. 50. in Ioã.

Hic tuam (Lector) fidẽ expoſco; vt vel leuiter animad-

uer

uertas, num vera, integra, germana Auguſtini verba Caluinus protulerit. En Auguſtini verba, ex ipſo fonte deprompta. *Nam* (inquit) *ſi in Petro non eſſet Eccleſię Sacramentum, non ei diceret Dominus. Tibi dabo claues Regni cęlorum; quæcunque ſolueris &c. Si hoc Petro tantùm dictum eſt.* Tantùm, præſcindit Caluinus, ne aduerſùs illum pugnet (vt ſtatim explicabimus) Pergit Auguſtinus. *Non facit hoc Eccleſia* (verba mutat Caluinus, dicens:) *Non habet Eccleſia.* Sequitur Auguſtinus: *Si autem, & in Eccleſia fit, vt quæ in terra ligantur, in cælo ligentur: & quæ ſoluuntur in terra, ſoluantur in cælo; quia cum excommunicat Eccleſia, in cælo ligatur excommunicatus: cum reconciliatur ab Eccleſia, in cælo ſoluitur reconciliatus.* Hæc omnia confundit Caluinus, illis tantum verbis vtens: *Si autem Eccleſia habet.* Pertimeſcit enim propria Auguſtini verba, primùm ob poteſtatem ligandi, & ſoluendi; quam Auguſtinus ad excommunicandi poteſtatem refert; quam ipſe Caluinus, ad Euangelij tantum prædicationem alligat. Deinde, quia alium ſenſum Auguſtini verba reddunt ab eo, quo à Caluino referuntur. *Denique,* concludit Auguſtinus: *Si hoc ergo in Eccleſia fit: Petrus, quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit.* Caluinus, *Eccleſiam totam deſignauit.*

Calu. inſt. lib. 4. c. 11. §. 1.

Mala itaque Caluini in reddendo Auguſtini teſtimonio fide perſpecta, ipſa Auguſtini verba perpendamus; num aliqua ex parte Caluino faueant. Porrò, quod Caluinus ex Auguſtino ſibi vendicare nititur, illud eſt: Petrum, cum Eccleſiæ claues accepit, eas non proprio, ſed Eccleſię nomine accepiſse; ita vt claues formaliter, ac primariò Eccleſiæ datæ fuerint; Petro verò, non niſi procuratorio nomine, vt eas in Eccleſiam transferret. At, quantum ab hoc Caluini ſenſu, Auguſtinus longè diſtet, facile eſt, ex ipſo Auguſtino colligere. Neque enim Auguſtinus aliud hoc teſtimonio probare voluit, pręterquàm Petrum totius Eccleſiæ caput à Domino inſtitutum eſse, cum primùm illi Eccleſiæ claues creditæ fuerunt. Id fortè nouum tibi vi-

Digitized by Google

debitur (Lector) vt Auguſtinum, quem ſectarij ſibi Amicũ, ac Patronum quærunt; Hoſtem experiantur. At mirari deſine: neque enim alium, præterquàm Auguſtinum, ſui ſenſus, ac totius huius quæſtionis iudicem volo.

Percurramus Auguſtini verba: *Si in Petro* (inquit) *non erat Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claues Regni cælorum.* En Auguſtini ſenſum. Si in Petro velut in capite, ac Paſtore Eccleſia nõ contineretur, Chriſtus ei Regni cælorum claues minimè tradidiſset. Nam cum Petro Dominus claues tribuit; Eccleſiam totam ab illo, velut ab vniuerſali omnium Paſtore, ac Principe; cui poteſtatis claues iure ipſo debentur, regi, ac gubernari voluit: ſoluere enim, & ligare, Principis eſt. Eccleſiæ igitur Sacramentum in Petro enituit, cum eum Chriſtus, traditis clauibus, Eccleſiæ Principem inſtituit.

Cæterum, ne hic ſenſus à nobis confictus videatur: prodeat Auguſtinus ipſe huius ſenſus auctor, & teſtis: cuius hæc ſunt præclariſsima verba: *Sicut* (inquit) *quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum proprie pertinere videantur; nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referantur ad Eccleſiam, cuius ille in figura agnoſcitur geſtaſſe perſonam propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit. Sicut eſt. Tibi dabo claues Regni cælorum.*

Aug. in Pſ. 108.

Hìc candidum animum (Lector) candidam mentem; candidum tandem tuum iudicium expoto: vt hoc Auguſtini teſtimonio, quàquà versùm diligentiſsimè ſpectato, atque examinato, ſapienter iudices; an non clarum, apertũ, ac conſpicuum Auguſtini ſenſum in eo ita elucere cernas, vt ſuperuacaneum ſit, alia apud Auguſtinum loca quærere, quibus ipſius mens luculentiùs explicetur. Petrus (inquit Auguſtinus) Eccleſiæ in figura agnoſcitur geſtaſse perſonam. At quo Sacramento? quo ſenſu? qua intelligentia? qua ratione? non alia planè, quàm propter primatum, quẽ in Diſcipulis habuit. Nulla vis Auguſtini verbis inferatur: quid clarius, quàm Auguſtinum docere, propterea Petrũ

Ec-

Eccleſiæ figuram geſſiſse, quòd Principatum inter Apoſtolos obtinuiſset, ac proinde, vt Eccleſiæ caput, ac Princeps, claues accepiſset.

Neque ſemel Auguſtino ſufficere viſum fuit, hunc ſenſum verbis explicare. Eundem audi, rurſus hunc ipſum refricantem. *Idem ergo Petrus* (inquit) *à Petra cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus Principatum tenens*. Audis, quo ſenſu Petrus Eccleſiæ figuram portaret. Demum præclariſsimè hunc ſenſum confirmat, in Ioãnem ſcribens, his verbis: *Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui Primatum gerebat, figurata generalitate, perſonam.* Id. ſerm 15 c. 2. Id. tract. 124. in Io.

Quamobrem, cum Auguſtinus ea verba proſequitur: *Si hoc in Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia*; priorem magis ſenſum corroborat. Nam ſi Petro, non velut Eccleſiæ Principi, ac Pontifici; ſed tanquam priuato homini, Dominus Eccleſiæ claues tradidiſset; ipſas Eccleſia, in Pontificibus Petri ſucceſſoribus, haud ſibi perpetuò vendicaret: ſed prorſus cũ Petro ſublatæ eſsẽt; atque eo extincto, ſimul poteſtas ligãdi, atque ſoluendi in Eccleſia extincta foret. Quapropter rectè concludit Auguſtinus: *Si hoc ergo in Eccleſia fit: Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit:* quandoquidem vt Eccleſiæ Paſtor, & Caput, Eccleſiam totam in clauium acceptione, in ſe ipſo continuit. Cæterum, antiquam hanc fuiſſe Eccleſiæ fidẽ; vt claues non Eccleſiæ, ſed Petro datæ fuerint, teſtis eſt Tertullianus, his verbis: *Super te* (inquit) *ædificabo Eccleſiam meam: & dabo tibi claues, non Eccleſiæ. Et quęcunque ſolueris, vel alligaueris, non quæ ſoluerint, vel alligauerint. Sic enim, & exitus docet. In ipſo Eccleſia extructa eſt, ideſt per ipſum. Ipſe clauem imbuit.* Tertull. lib. de Pudic. c. 21.

Poſtremò, quàm friuola, atque ab ipſa ratione, nedum ſcripturarum veritate aliena, ſit illa ſectariorum interpretatio; ad quam, vbi cætera præſidia deficiunt, velut ad aſylum confugiunt; dum clauium nomine, nihil præterquàm

Euangelicàm doctrinam ſignificari volunt: planè quilibet mediocri ingenio præditus, & ſcripturarum prorſus non ignarus, facilè perſpiciet. Quid enim Euangelica doctrina, cum clauium promiſſione, quæ tunc Petro facta fuit, commune habet? aut vbinam apud ſacras literas legunt, quòd ligandi, & ſoluendi poteſtas, nihil aliud, præterquàm credere, & non credere inſinuet? An non hæc in ſcripturis ita noua, & inaudita ſunt, vt diuini prorſus nihil ſibi vēdicent? atque adeò leuia; vt faciliùs ſua leuitate euolent, quàm animo concepta ſint?

At, inquit Caluinus: *Iam non alio modo ligantur, ac ſoluuntur homines, niſi dum fides alios reconciliat Deo, alios ſua incredulitate magis conſtringit.* Quid ineptius? imò quid in ſcripturas contumelioſiùs proferri poteſt? Quaſi verò Originale peccatum ante fidem Infantes non liget: quos non fides, ſed Baptiſmus ſoluit, dicente Petro: *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine IESV Chriſti, in remiſſionem* Act. 2. *peccatorum veſtrorum:* Quaſi poſt Baptiſmum admiſſa peccata homines non ligent: quæ tamen non fides, ſed Pœnitentia ſoluit, prædicante eodem Petro: *Pœnitemini igitur,* Act. 3. *& conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.*

Quid? An non excommunicatio contumacem hominē ligat; quam tamen non fides, ſed Eccleſia ſoluit? Quot præterea animorum vincula ſunt? Cum Paulus nos Præpoſitis noſtris ſubeſſe, ac Regibus parere iubet; an non toties eorum præceptis ligamur, quoties ſuis legibus nobis aliquid agendum præcipiunt? à quibus non fides, ſed obedientia ſoluit. Cum Chriſtus Eccleſiæ parendum imperat; Matth. 18. an non Eccleſiæ leges animorum vincula eſſe docet, quibus ſoluendis non fide, ſed operis obedientia opus eſt? Quid igitur tam falsò, ac pernicioſè dogmatizat Caluinus; homines non alio modò, præterquàm Euangelij fide ſolui, & ligari?

Quandoquidem igitur, cū Caluino pugnat ipſa ſcripturarum auctoritas: quidni ipſi quoq; antiquiſſimi Patres, ſacra-

rum

rum ſcripturarũ Vigiles, ac cuſtodes cõtra ipſum dimicẽt? Audi (Lector) quã inter alios luculenter de hac clauiũ poteſtate, alio ſenſu, quàm Caluinus, diſſerat Chryſoſtomus. *Petro Apoſtolo* (inquit) *orbis terrarum Eccleſiæ, & Populorũ multitudines eius fidei committenda erant, vel potius creditæ ſunt illi claues Regni cælorum Quid enim ait illi Dominus? Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis.* En, quid ſit apud Chryſoſtomum, claues Regni cælorum in Petrum conferri; non aliud ſanè, quàm orbis terrarum Eccleſias, & populorum multitudines illius fidei committi. Cum Chryſoſtomo idem affirmant, Cyprianus ep. 73. ad Iubaianum. Hilarius in Matth. c. 16. Cyrillus Hieroſolymit. cathecheſi 17. Ephrem in Panoplia. Petrus Chryſologus ſerm. 154. & alij complures. Chryſ. homil. in Pet. Apoſtol. & Eliam.

Sed iam tertiam rationem proſequamur, quam nobis Chriſti verba ſuppeditant: quibus Petrum ita apud Lucam alloquitur: *Simon, Simon: Ecce ſathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* Geminum ex hoc teſtimonio argumentum colligunt Patres orthodoxi (Lector ingenioſiſſime) quo Petrum cęteris Diſcipulis antelatum, ac toti Eccleſiæ præfectum eſſe docent. Primum ex prioribus illis verbis deſumunt, quibus Petro dicitur: *Simon, Simon: Ecce ſathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22.

Quid cauſæ eſt (Lector) quod Chriſtus Simonem alloquens, quantitatis numerum adhibet? *Simon, ecce ſathanas expetiuit vos.* quorſum id? cum ſingularem Chriſtus perſonam alloquatur: cur pluralem numerum exprimit? Deinde quid eſt, quod pro Petri, non pro aliorum fide orat, vt non deficiat? Nonne dilectiſſimus Chriſto erat Ioannes? Nonne frater Domini Iacobus? Nonne omnes Apoſtoli gloria Chriſti? Nonne omnes Chriſti orationis præſidio indigebant, cum omnes ſcandalum paſſuri eſſent? *Omnes vos* (in-

quit

Matth. 26 quit Chriſtus) *ſcandalum patiemini in me in iſta nocte*. Cur pro Ioanne, pro Iacobo, aut pro alio Apoſtolo non rogat: ſed pro Petri fide tantùm orat? Quis hæc myſterio vacare credat?

Aug tract. 124. in Io Audi igitur (Lector) quòd Chriſtus Petrum, qui (vt Auguſtinus ait) natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia vnus Apoſtolus, plurali numero alloquatur: planè alia ratio reddi non poteſt, quàm quòd in Petro, in quo iam ædificandam Eccleſiam, & Eccleſiæ claues collocandas decreuerat, velut in capite, ac vniuerſali Paſtore totam Eccleſiam intuebatur: in quam ſathanā omnes ſuas vires exerturum eſſe prænūciat, vt illius fidem

Aug. in Pſ. 108. euertat. Atque huc ſpectat, quòd Auguſtinus ſupra à nobis citatus ait: Multa, quę ad Petrum pertinent, illuſtrē intellectum non habere, niſi cum ad Eccleſiam referuntur: cuius ille propter Apoſtolatus ſui Principatum, gerebat, figurata generalitate, pērſonam. Hæc porrò cauſa eſt; cur Chriſtus Petrum alloquens, plurali numero vtatur; quandoquidem in eo Eccleſiæ perſonam, velut in futuro Paſtore, collectam ſpectabat.

Hinc facilè perſpicies: quare Chriſtus pro Petri tantūmodò, non pro aliorum fide oret: id enim ea ratione factū eſt, vt Petrum non priuatum hominem, aut vnum ex Apoſtolis; ſed Apoſtolorum Principem, & Eccleſiæ caput futurum oſtenderet: cuius fidem idcircò ſtabilem eſſe voluit, ne vnquam Eccleſiæ fides dilaberetur.

Expetebat planè ſathanas, omnium Apoſtolorū fidem crucis ſcandalo euertere; vt ſimul totam Eccleſiæ fidem proſterneret. At quid Chriſtus? pro ſola Petri fide orat, vt illum fidei caput eſſe diſcernat: cumq. eam integram, ac ſartamtectam ſua oratione in capite ſeruauerit, omnium membrorum fidem incolumem tueatur.

Etenim ſicut capitis incolumitate ſublata, cuncta corporis membra in morbum reſoluuntur; qua reſtituta, illa priſtinam valetudinem acquirunt: ita ſi fidem in Eccleſiæ

ca-

Digitized by Google

capite minui, aut labefactari contingat; cui dubium eſt, quin Eccleſiæ membra ſimul errorum, ac hæreſum morbo tabeſcant? quapropter capitis fides integra maneat neceſſe eſt, qua totius Eccleſiæ corpus imbuitur, vt ipſa quoque membra integram fidei incolumitatem ſeruent.

Audi (Lector) antiquiſsimos Patres; Auguſtinum, vel quicumque ille eſt apud Auguſtinum, quæſtionum veteris, ac noui teſtamenti Auctor, & Leonem præclariſsimos huius doctrinæ, & veritatis aſſertores: *Pro Petro rogabat* (inquit Auguſtinus) *& pro Iacobo, & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam. Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur. Semper enim in Præpoſito populus, aut laudatur, aut corripitur.* Auctor. q. q. veter. & nou teſtam. q. 75.

Audiant, qui locum ad ſingularem Petri fidem inuitum trahunt, quàm apertè ab antiquiſsimo Patre redarguantur. At non minùs præclarè Leo rem totam ediſſerit, dum ita ſcribit: *Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & diuina protectionis auxilio pariter indigebant: quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro Petri fide propriè ſupplicatur: tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur.* Leo Mag. ſerm. de nat. Apoſ. Pet. & Pauli

Porrò alterum argumentum inde elicitur, quod Petro fratrum confirmandorum, cura demandatur. *Et tu aliquãdo conuerſus, confirma fratres tuos.* Quid enim hoc fratrum confirmandorum munere indicari exiſtimandum eſt, præterquàm Petrum illorum curæ præfici, quos in fide confirmandos à Domino ſuſcipiebat? Nulli etenim dubium eſt, hoc inter cætera Principis, præſertim Eccleſiaſtici, munera potiſſimum eſſe; vt infirmum plebis ſtatum ſacris legibus confirmet, atque aduerſus hęreſes, ac fidei hoſtes corroboret: id enim à Paſtoribus Iſraeliticis Deus olim munus exquirebat, cum diceret: *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum, non ſanaſtis: quod confractum eſt, non* Ezech. 34.

alli-

Digitized by Google

alligaſtis; & quod abiectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiuiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Porrò, cum hoc ipſum in præſenti teſtimonio Chriſtus à Petro inſtanter expoſcat, cum de fratribus confirmandis illi mandatum tradit: eo ſanè indicat, eum Eccleſiæ Principem aliquando fuiſſe futurum.

Quamobrem (Lector) hìc opportunè obſerua: quod Petro dumtaxat, non Iacobo, non Ioanni, aut alteri Apoſtolorum, Eccleſia, quæ fratrum nomine ſignificatur, iuxta illud Matthæi; *Vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis*, in fide confirmanda commendatur? Quid hoc annuit? præterquàm quod Petro tanquam Eccleſiæ capiti, ac Magiſtro, Eccleſia à Chriſto velut fidei Diſcipula ſubijcienda erat, vt ab eo fidei veritatem addiſceret. Hinc Chryſoſtomus, Petrum orbis terrarum Magiſtrum appellat. *Petrus* (inquit) *orbis terrarum Magiſter peccare permiſſus eſt: ob eam maximè cauſam, quòd Populorum multitudo illi credenda erat: ne ſeuerus, & innocens, à venia proprijs fratribus impartienda eſſet alienus*.

Matth. 23.

Chryſ. homil. in Pet. Apoſto. & Eliam Proph.

Poſtrema denique ratio omnium illuſtriſsima, ex Chriſti teſtimonio apud Ioannem depromitur, quo Petrum proſequitur, his verbis: *Simon Ioannis diligis me plus his? Paſce oues meas*. Quæ verba ter à Chriſto repetita fuere; ne ea ad alios, quàm ad Petrum pertinere nemo cauillari poſſet. Quid (Lector?) An non clara, ac perſpicua ſunt Chriſti verba, quibus vniuerſarum ouium, abſque vlla prorſus limitatione Petro regimen, ac paſtura committitur? At quid (quæſo) vniuerſæ Chriſti oues, præterquàm vniuerſam Chriſti Eccleſiam indicant? Quid omnium ouium Paſtura, præterquàm ſummam in Eccleſia poteſtatē inſinuat? Quid tandem aliud eſt, cunctarum Chriſti ouium regimen, ac paſturam ſoli Petro demandari, quàm ſummam Eccleſiaſticam poteſtatem in ſolum Petrum conferri? Hæc ſanè, ſi nulla veritati, quæ tum ex obuio ſenſu, tum ex ipſa verborum vi, ac ſerie cunctis perſpicienda ſe offert, vis inferatur:

tam

tam profectò clara, ac manifeſta ſunt: vt his tergiuerſari nemo poſſit.

Neque enim quiſquam ignorare poteſt, Paſtoris nomen apud ſcripturas, Præſidentiam, ac Poteſtatem præſeferre, Quis enim abſque auctoritate Paſtor vnquam fuit, quæ oues ſibi Paſtoris iure ſubijcere poſſet? aut quomodò Paſtoris officium quiſpiam exercere potuit, qui ouibus non præeſſet, ac eas imperio regeret? Hinc Chriſtus, qui ſupremum in Eccleſia Principatum, adhuc inter mortales degẽs obtinuit; ſeipſum Paſtorem appellat: *Ego ſum Paſtor bonus,* Ioan. 10. &c. *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere; & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.* Petrus quoque eundem Paſtorem ſimul, & Epiſcopum vocat, vt poteſtatem ſimul cum Paſtoris officio coniunctam oſtenderet. *Eratis enim* (inquit) *ſicut oues errantes: ſed conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum.* 1. Pet. 2.

Quid igitur eſt, quòd tàm Proteſtantes, & Puritani, quã Lutherani, ac Caluiniſtæ, ac cæteri huius tempeſtatis ſectarij, poſt Caluinum, ad ſolum docendi munus, hanc ouiũ paſturam Petro collatam contrahunt? An non eandem ouium paſturam Chriſtus Petro exercendam reliquit, cum eidem dixit: *Paſce oues meas,* quam ipſe adhuc viuens in orbe exercuit, cum de ſeipſo aſſereret: *Ego ſum Paſtor ouiũ,* Num Chriſtus ſolum docendi munus, omni poteſtate vacuum, vt Eccleſiæ Paſtor obiuit, vt inde ſolam docendi poteſtatem, Petro relictam colligerent? Calu. lib. 4

Oſtendant oportet (inquit Caluinus) *ei mandari poteſtatem in omnes Eccleſias, qui paſcere Chriſti gregem iubetur.* Oſtendimus id perſpicuè exemplo Chriſti, cui refragari nemo poteſt. Oſtendimus quoque ex ipſo Paſtoris munere: neque enim illud tantùm Paſtoris munus agnoſcitur, vt ouibus pabula miniſtret; ſed etiam vt eas imperio gubernet. Sic enim Chriſtus de vero Paſtore diſſerens, ait: *Et cũ proprias oues emiſerit;* en poteſtatem: *Vadit ante eas:* En præfecturã. *Et oues illum ſequũtur,* En ouium ſubiectionẽ, & obedientiã. Inſt c. 6. §. 8. Ioan. 10.

Adeòne ignarus eſt Caluinus, vt neſciat Paſtorem, qui ouibus præeſt, ita illarum curam gerere; vt etiam in ipſas poteſtatem exerceat, eas regat, corrigat, caſtiget, ſi interdum proteruę, ac illius imperio rebelles ſe exhibeant? Demum cum Paſtoris nutui grex vniuerſus ſubijcitur; an non id apertè indicat, cum paſtorali cura, ſimul Principatum eſſe coniunctum? Ita quoque de Petro dicendum eſt; cui cum Dominus ſui gregis paſcendi curam demandauit, nõ ſolum Doctorem, ac Magiſtrum; ſed etiam Rectorem inſtituit, atque eam poteſtatem tribuit, quæ tum ouium Paſtoribus propria, ac neceſſaria eſt, tum ab ipſo in Eccleſia re ipſa exhibita fuit.

Verùm, id quoque, in tui gratiam (Lector) oſtẽdat Paulus, qui Aſiæ Epiſcopos ſui ipſorum muneris admonens, his verbis vtitur. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi: in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quã acquiſiuit ſanguine ſuo.* Audis Paſtores, non tantùm docere; ſed etiam, vt Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, ac ſub poteſtate continere. Neque id ſemel, ſed iterum adhuc ſuculentiùs oſtendat: cùm Eccleſiaſticos gradus, ac officia diſtinguens, Paſtores à Doctoribus ſecernit, ita ſcribens: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores.* Idcircò enim Paſtores à Doctoribus diſtinguit, vt proprium Doctorum munus ad docendum tantùm ſe extendere; Paſtorum verò etiam ad regendum ſeſe diffundere inſinuet.

Act. 20.

Epheſ. 4.

Poſtremò, hanc huius loci expoſitionem, velut antiquã, & Apoſtolicam commendant antiquiſſimi Patres. In his primus eſt Origenes; qui ita ſcribit: *Et Petro cum ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo niſi charitatis exigitur.* Vides non ſolum docendi munus; ſed ſummam rerum Eccleſiaſticarum illis verbis Petro tribui. Præclarè id quoque aſſerit Baſilius

lius : *Atque hoc* (inquit) *à Chriſto Domino ipſo docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit. Petre enim (inquit) amas me. Paſce oues meas.* Quid clarius? Si Petrus Eccleſiæ Paſtor poſt Chriſtum conſtituitur, cur non & in omni Paſtoris poteſtate eidem ſuccedere debet? Hanc expoſitionem tuentur Epiphanius in Anchorato: Chryſoſt. hom.83 in Ioann. Cyprianus de vnitate Eccleſiæ: Eucherius in Vigilia S. Petri: Leo ſerm. 3. in anniuerſ. die aſſumptionis: Gregor. l 4. epiſt.32. Maximus hom. 1. in Nat. Apoſt. Pet. & Pauli. Aliæ quoque rationes, & argumenta ex varijs Petri prærogatiuis hauſta afferri poſſent, quæ breuitatis ſtudio prætermitto. Baſil in conſt. Mo. c.22.

Accedat poſtremo loco ad propoſitæ Regulæ probationem, omnium antiquiſſimorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum conſenſus, qui nullo penitus diſcrepante, hunc Petri in Eccleſia Principatum agnoſcunt, ac conſtanter docent: quorum loca tantum indicare ſufficiat. Ex Græcis Patribus ſunt, Clemens ep. 1. ad Iacobum: Dionyſius de diu. nom c. 3. Theophilus Antiochen. lib.2. Allegor. in Marc. Origenes hom.17.in Luc. Athanaſius epiſt. ad Fœlicem Pap. Euſeb. Cæſar. hiſt. Eccl. l. 2 c. 13 & 14. Baſilius cõtr.Eunom Cyrillus Hieroſol. catecheſi 2.& 11. Gregorius Nazianzenus orat.26. Epiphanius in Anchorato. Chryſoſtomus orat.5 in Iudæos.

Ex Latinis. Tertullianus, de præſcript. hæret. cap.22. Cyprian. epiſt.40.55.& 70. & alibi frequenter. Hilarius in pſal.131. Ambr. ſerm. 11. de Mirabilibus, & paſsim. Optatus cont. Donatiſtas lib.2.Pacianus epiſt 3 ad Sympronium. Damaſus epiſt. 2. Hieron. in pſal. 13. & lib 1. cont. Iouin. c.14. Auguſt. tract. 16. & 124. in Ioannem. Maximus Taurin. hom.1. in natali Petr. & Pauli Petrus Chryſologus ſerm.78. Leo Magn. ſerm. 2. & 3. in anniu. die. Proſper, de vocatione Gentium l.2. c.28. & alij quamplurimi: vt hinc facilè colligas (Lector) propoſitum Conſiliũ, non ſolum diuinis, ſed etiam humanis teſtimonijs muniri:

ab ijs præſertim decerptis, qui primis temporibus, veram fidei doctrinam, vel ab Apoſtolis hauſerunt, vel hauſtam in Eccleſia docuerunt, quibus, & ipſi ſectarij iuxta ſuamet placita acquieſcere debent: atque ideò Romanam Eccleſiam, quæ huius conſilij fidem ſemper profeſſa fuit, ac profitetur, hoc ſymbolo veram, & Apoſtolicam cenſeri.

Quòd ſi Proteſtantes, Puritani, Lutheriſtæ, Caluiniani, & quicumque Petri in Eccleſia Principatum inſectantur, his non acquieſcant; ſed ferociter (vt ſolent) Petri ſedem, ac primatum aggrediantur: Reliquum eſt, vt Leonem ſaltem, his illos verbis deterrentem audiant. *Ipſius quoque* (inquit) *Beatiſſimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo: cui cum præ cæteris ſoluendi, & ligandi tradita ſit poteſtas: paſcendarum tamen ouium cura ſpecialiùs mandata eſt. Cui quiſquis Principatum æſtimat denegandum; illius quidem, nullo modo poteſt minuere dignitatem: ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſemetipſum in inferna demergit.*

CONSILIVM SEXTVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (Quicumque veram Fidem tenere cupis) *Beatum Petrum, Romanæ Eccleſiæ fundatorem extitiſſe: & poſt Vrbis, & Orbis Epiſcopatum in ea vigintiquinque annorum ſpatio adminiſtratum, Romæ vnà cum Paulo Apoſtolo poſtremum diem martyrio obijſſe.*

Hoc Conſilium (Lector) idcircò ſuperiori adnectere mihi viſum fuit, quòd pleriſq. ex ſectarijs, vel ob rerum, ac hiſtoriarum ignorantiam, vel propter contradicendi libidinem, cò erroris prolapſi fuerunt; vt Petrum, neque Romam vnquam vidiſſe, neque Romanum Epiſcopatum adminiſtraſſe autument: quod inter alios aliquando aſſeruit Caluinus; quamquàm communem Patrum conſenſum, ac rei ipſius euidentiam veritus, poſtea ſententiam retractet, his verbis: *Et tamen propter hunc ſcriptorum conſenſum non pugno, quin illic mortuus fuerit: ſed Epiſcopum fuiſſe, præſertim*

Calu. inſtit. l. 4. c. 6. §. 14. ibid. §. 15.

longo

longo tempore, perſuaderi nequeo. Sed quod Caluino modò perſuaderi non poteſt, eò quòd ſuo iam damno id ſibi perſpectum habeat. Id tibi (Lector) cum primis perſuaſum opto, qui eo conſilio, ac ingenij præſtantia polles, qua de rerum veritate ex probatis teſtimonijs iudicare, eamq. à tenebris vendicare vales.

Quapropter duo tibi demonſtranda ſunt. Primum, Petrum non ſolùm Romæ fuiſſe; ſed etiam ibi martyriũ obijſſe. Alterum, Petrum Romanum Epiſcopum fuiſſe; ac Romanæ Vrbis Epiſcopatum, ſimul cum totius orbis Epiſcopatu vigintiquinque circiter annis geſſiſſe.

Igitur, quod ad primum attinet. Si antiquiſſimorum Patrum, ac Hiſtoriographorum auctoritati par eſt veritatem deferre (Lector) nihil profectò apud eos luculentius eſt, quàm Beatum Petrum poſt duodecimum à Chriſti Aſcenſione annum; vbi Antiochenam Eccleſiã fundaſſet, ac ſeptennio rexiſſet; tertio, vel quatro Claudij Imperatoris anno, diuino (vt creditur) monitu, Romam conceſſiſſe, & primum Romanam Eccleſiam fundaſſe. Cuius rei teſtis eſt in primis, Euſebius Cæſar. qui neminem ante Petrum Romæ Euangelium prædicaſſe teſtatur, his verbis: *Petrus, ſalutaris prædicationis verbo, primus in Vrbe Roma, Euangelij ſui clauibus, ianuam Regni cæleſtis aperuit*. Quem ſequutus Oroſius: *Claudius (inquit) ab Auguſto Quartus Regnum adeptus eſt, manſitq. in eo annis quatuordecim. Exordio Regni eius, Petrus Apoſtolus Domini noſtri IESV Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem, fideli verbo docuit, potentiſſimiſq. virtutibus approbauit: atque exinde Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt*. Idem docent Chryſoſtomus homil. 2. in ep. ad Rom. Hieron in c. 1. ad Rom. & Theodoretus in ep. ad Rom. qui præclarè tradunt, Petrum priùs Romæ Euangelium prædicaſſe, quàm Paulus ad eam Vrbem acceſſerit.

Euſeb. Cæſ. Eccl. hiſto. l. 2. c. 14. Paul. Oroſ. lib. 6. c. 7.

Quod ipſa quoque ratio perſuadet; ſiquidem ex omniũ ferè vetuſtiſſimorum ſcriptorum monumentis conſtat; Petrum

trum

labores remunerari deberent, præueniens perditionis caput ſcilicet, & Antichriſtus Nero, conſummata iniquitas, arctari eum, & in cuſtodia ſqualidiſſima compedibus vinciri iuſſit. Tũ narrat, quo pacto à fratribus è carcere ereptus, & Roma exire compulſus, Chriſto obuiam venerit; *Vt autem* (inquit) *portam ciuitatis voluit egredi, vidit ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum ait: Domine quò vadis? Reſpondit ei Chriſtus: Romam venio iterum crucifigi. Et ait ad eum Petrus: Domine iterum crucifigeris? Et dixit ad eum Dominus: Etiam iterum crucifigar. Petrus autem dixit. Domine reuertar, & ſequar te; & his dictis Dominus aſcendit in cœlum. Petrus autem conuerſus in Vrbem rediit cum gaudio.* Cuius hiſtoriæ quoque meminerunt, Egeſippus de excidio Hieroſolym. l. 3. c. 2. Et Ambroſ. l. 5. ep. 32. Tum verò ab Agrippa Vrbis Præfecto condemnatum, ac cruci affixum commemorat. *Præfectus* (ait) *morbo incontinentiæ ſuæ prætendens ſuperſtitionis accuſationem, crucifigi fecit Apoſtolum.*

En Petrum, non Hieroſolymis ſub Agrippa Rege; ſed Romæ ſub Agrippa Præfecto crucifixum. Idem affirmat Hieronymus, quem Balæus, & Dreſſerus perperàm ſibi Patronum vocant: cuius hæc ſunt verba: *Simon Petrus Prouinciæ Galileæ, Vico Betſaida, frater Andreæ Apoſtoli, & Princeps Apoſtolorum: poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de Circumciſione crediderãt in Ponto, Gallacia, Cappadocia, Aſia, & Bithinia; ſecundo Claudij anno ad expugnãdum Simonem Magum, Romam pergit; ibiq. vigintiquinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vſque ad vltimum Neronis annum, id eſt decimumquartum, à quo, & cruci affixus martyrio eſt coronatus.* Cum Hieronymo reliqui ferè omnes conſpirant. Anacletus ep. 3. Tertull. de Præſcript. aduerſ. hæret cap. 36. & contra Marcionem lib. 4. c. 5. Egeſip. de excidio Hieroſ. lib. 3 c. 2. Origen. lib 3. in Geneſim; Euſeb. Cæſar. Eccl hiſt. l. 3. c. 1. Petrus Alex. can 9. de pœnit. Chryſoſt. in Encomio Petri, & Pauli. Athan. in Apologia de ſuga ſua; Gregor. Nazianz. Iambi-

Hier. de viris Illuſtr. c. 1.

co

contra cum vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis. (Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, operatus eſt mihi inter Gentes,) & cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbãtur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis: vt nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem. En, vbi Caluinus in Paulum impingit.

Verùm (Lector) ſi Pauli verba perpẽdas; perſpicies profectò, neque Apoſtolatum circumciſionis ita Petro commiſſum fuiſſe, vt ad gentes vnquam illi transmigrandum non eſſet: neque Pauli Apoſtolatum ita in Gentibus concluſum, vt Iudæis quoque ei prædicare non liceret. Alioqui, cur Paulus ad Hebræos ſcripſiſſet, ac Romæ vinctus ſolis Iudæis Chriſtum euangelizaſſet? vt legitur Act.7. Petro verò, qua ratione licuiſſet Cornelio Centurioni, ac ſuis Chriſti fidem annunciare; Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, Bithiniam peragrare, atque omnibus Chriſtianæ fidei præcepta tradere, ſi ad illum Iudæi minimè pertinuiſſent; Hic verò Iudæis tantùm euangelizandi mandatum accepiſſet? Porrò accipe (Lector) quis ſit horum Pauli verborum ſenſus. Paulus ita Petro Euangelium Circumciſionis, ſibi verò Euangelium præputij creditum eſſe docet: vt tamẽ vtrique liberum eſſet, tàm erga Iudęos, quàm erga Gentiles euangelizandi munus exercere. Hebræis quidem (vt teſtatur Paulus) prius Dei verbum euangelizandum erat, atq; id muneris Petro potiſſimùm à Chriſto commiſſum fuit; vt qui Vicariam Chriſti ſedem acceperat, ſicut Poteſtatis, ita & Dominici operis, ac laboris hæres fieret; & Hebræum populum inſtrueret, apud quem Chriſtus priùs Euangelium diſſeminauerat: at verò cum Hebræi Dei verbum repellerent, iuſta Petri ad Gentes facta eſt transmigratio: ac propterea Hieroſolymis recedens, Antiochiam primùm profectus eſt, tum Romam venit, vbi & Romanam Eccleſiam Chriſti doctrina fundauit, & Romanũ Epiſcopatũ vigintiquinq; circiter annis gubernauit.

Galat. 2.

Act. 7.

Digitized by Google

Certè (Lector) Petrum, & Romanum Epiſcopum fuiſſe, & Romanum Epiſcopatum quinque luſtrorum ſpatio adminiſtraſse, tot antiquiſſimi Patres, ac Scriptores affirmant; vt ijs potiùs, quàm vni Caluino id gratis impugnanti, fidem adhiberi æquum videatur; nam in primis Euſeb. Cæſar. in chron. ita de Petro ſcribit: *Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cum primùm Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam proficiſcitur: vbi Euangelium prędicans, vigintiquinque annis eiuſdem Vrbis Epiſcopus perſeuerat.* Hieronymum ſuperiùs audiuimus, hoc ipſum præclaris verbis aſſerentem; Damaſum quoq; audiamus id egregiè atteſtantem: *Beatus Petrus Apoſtolus*(inquit) *& Princeps Apoſtolorum, filius Ioannis, Prouinciæ Galileæ, ex Vico Betſaida, frater Andreæ; primò ſedit in Cathedra Epiſcopatus Antiochiæ annis ſeptem. Hinc B. Petrus ingreſſus eſt Vrbem Romam, ſub Claudio Cæſare, ibiq ſedit in cathedra Epiſcopatus, annis vigintiquinque.* Quibus per omnia conſentiunt Iſidorus Hiſpalenſis de Vita, & morte Sanctorum c. 69. Irenæus lib. 3. c. 3. Optatus lib. 2. cont. Donat. Ambroſius l. 3. de Sacram. c. 1. Proſper. de Ingratis c. 2. Leo Mag. ſerm. 1. in Natal. Apoſt. Pet. & Pauli. Beda de ſex ætatibus Mundi. Freculfus tom. 2. l. 1. c. 12. Addo Viennenſis ætate 6. de anno 45. Rhegino Prumiēſis, lib. 1. Annal. Marianus Scotus ætate 6. de anno 72. Egbertus adu. Catharos ſerm. 3. Abbas Vſpergenſis in chronicis de anno 41. M. Ant. Sabellicus, Ennead. 7. l. 2. Albertus Crantzius in Metrop. l. 2. c. 1. & plerique alij.

Euſeb. Cæſar. in chrō.

Damaſus i vit. B. Pet.

Vides (Lector) quot omnium temporum ſcriptores, ac grauiſſimi Patres, pro Romano Petri Epiſcopatu aduerſus ſectarios pugnant.

Nec te moueat falſa temporum ſupputatio à Caluino extructa, quam tradit his verbis: *Certè quod eſt apud Euſebium: præfuiſſe illic 25. annis, nullo negotio refellitur. Conſtat enim ex primo, & ſecundo capite ad Galatas, circiter viginti annos à Chriſti morte fuiſſe Hieroſolymis: veniſſe deinde Antiochiam.*

Calu. Inſt. l. 4. c. 6. §. 14.

tiochiam. Malè enim Caluinus id ex ſcripturis colligit, quod nullo negotio oſtendi poteſt, ſi quod Paulus citatis locis dicit, in medium proferamus.

Narrat Paulus in primo capite ad Galatas, ſe Arabia peragrata, poſt annos tres Hieroſolymam profectum fuiſſe, vt videret Petrum; tum ſecundo capite addit: *Deinde poſt annos quatuordecim, iterum aſcendi Hieroſolymam cum Barnaba*. Ibique recenſet, Iacobum, Ioannem, & Cephā, quem Petrum Caluinus fuiſse exiſtimant, illi dexteram ſocietatis dediſse. Hæc Paulus locis à Caluino citatis, ex quibus quàm vitiosè Caluinus colligat; Petrum viginti annis Hieroſolymis manſiſſe, lubet oſtendere.

Primum enim Caluini, in hac annorum ſupputatione, vitium eſt. Quod tres illos priores annos, nulla ratione ingeminat, ac poſteriores quatuordecim ab illis diſtinguit: qui tamen minimè diſtinguendi ſunt. Paulus enim id tantùm affirmat, ſe poſt quatuordecim à ſua conuerſione annos, Hieroſolymam aſcendiſse: eodem namque modo, & de tribus prioribus annis intellexerat: cum poſt tres annos, ſcilicet, à ſua conuerſione ait Hierſolymam profectum fuiſſe, vt videret Petrum. Malè igitur Caluinus decem, & ſeptem annos colligit, cum tantummodò quatuordecim ſint.

Secundum quoque Caluini vitium eſt. Quod tres annos ab aſcenſione Chriſti, vſque ad Pauli conuerſionem enumerat, vt viginti annos compleat: cum ex omniū ferè ſcriptorum ſententia vix duo interceſſerint: quo fit, vt non viginti iuxta Caluinum; ſed ſexdecim tantum, iuxta veram annorum ſupputationem, vſque ad ſecūdam Pauli ad Hieroſolymorum Vrbem profectionem anni enumerentur.

Tertium Caluini vitium eſt. Quod Petrum toto hoc tempore, nunquam Hieroſolymis receſſiſse exiſtimat; cum ex omnium ferè antiquorum ſcriptorum ſententia, Petrus poſt Chriſti aſcenſionem, vix quinquennium Hieroſolymis expleuerit, vt mox indicabimus.

Poſtremum tandem illius vitium eſt, quod iuxta hanc

temporum ſupputationem ſuo Marte fabrefactam, ita ratiocinatur. *Cum à Chriſti morte, vſque ad vltimum Neronis annum, quo Petrus paſſus eſt, triginta & ſeptem anni enumerentur,* (in quo & ipſe hallucinatur, cum iuxta communem Patrum ſententiam triginta, & octo eſse debeant) *ſi ex his* 20. *annos detrahas, quibus Petrus Hieroſolymis verſatus eſt; reſtabunt ſeptemdecim ad ſummum: quos nunc inter duos Epiſcopatus partiri oportet. Si diu Antiochiæ moratus eſt, non potuit Romæ ſedere, niſi per exiguum tempus.*

Hæc Caluini, & aliorum ſupputatio eſt, quam ad Petri Epiſcopatum deſtruendum ſibi leuiter confingunt.

At vera, iuxta Paulum, & fideliores Hiſtoriographos annorum Petri, & ipſius Pontificatus in Vrbe Romana ſupputatio hæc eſt; quam non leuiter, aut gratis confictam, ſed grauiſsimis Patrum teſtimonijs munitam exhibemus.

Certum in primis, ac indubitatum videtur apud omnes Scriptores: à Chriſti Aſcenſione, vſque ad vltimum Neronis annum, triginta & octo annos effluxiſse. Conſtans quoque omnium ferè Patrum ſententia eſt, Petrum vltimo Neronis anno, crucis martyrio Romæ coronatum fuiſse, vt ſuperiùs probatum fuit. Præterea, ab omnibus firmè recepta ſententia eſt: Petrum à Chriſti Aſcenſione, quinque tantùm annos in Iudæa conſumpſiſse; ſexto vero Antiochiam ingreſſum, ibi ſeptem integros annos ſediſſe: quam conſtanter defendunt, Euſeb. Cæſar. in chron. Hieronym. de ſcriptoribus Eccleſ. in Petro: Marcel. ep. ad Antioch. Damaſ. in vita B. Petri: Leo Mag. ſerm. 1. in Natal. Pet. & Paul. Gregor. l. 2. ep. 37. Iſidorus de Vita, & mor. Sanctor. cap. 69. Paulus Oroſius: Greg. Turon. Freculph. Beda, Addo, & alij; quo fit, vt in exordio anni tertijdecimi, ſecundo videlicet Claudij Imperij anno, Petrus Romã profectus fuerit. Cum verò Claudius vſque ad quartumdecimum Imperium rexerit; nono verò ſuſceptum Imperiũ vſque ad 12. protraxerit: ſi tredecim Claudij annis Neronis duodecim copules, integros vigintiquinque Petro ſupe-

pereſſe reperias; quos is in Romano Epiſcopatu admini-ſtrando expleuit.

Vnicus tantùm nodus nobis diſſoluendus ſupereſt: Quo pacto videlicet Petrus, ante quartum decimum annum Antiochia Romam profectus fuerit: qui à Paulo eo tempore Hieroſolymis adfuiſſe ſcribitur; cum ait: Se poſt quatuordecim annos aſcendiſſe Hieroſolymam, atque ibi cum Iacobo, Cepha, & Ioanne ſocietatem inijſſe. At nodus, iuxta grauiſſimorum Auctorum ſententiam facilè ſoluitur: Petrus enim tertio Claudij anno, cum cæteris Iudæis Roma pulſus fuit, vt habetur Act. 18. quo tempore Hieroſolymam redijt, & cum Paulo ſermonem habuit, atque eodem anno Antiochiam ſe contulit: vbi amica illa inter ipſos cōtentio accidit, de qua fit mentio in ep. ad Galatas. Galat. 2.

Porrò hic obſerua (Lector) à tertio Claudij anno, quo Iudæi Roma eiecti fuerunt, vſque ad primum Neronis annum, cum Iudæis Romam redeundi poteſtas facta eſt; Petrum partim Hieroſolymis, partim Antiochiæ commoratũ fuiſse; partim quoque varias Occidentales peragraſſe regiones, in quibus diuerſas Eccleſias inſtituit; vt Carthaginenſem, Mauritanicas, Numidicas, Britannicas, & alias quàmplures. Hinc propoſiti nodi vera ſolutio patet: quãquàm quæ de Cepha in ea Epiſtola ad Galatas leguntur, mihi ſemper viſum fuerit, non de Petro Apoſtolo, ſed de alio inſigni inter Diſcipulos intelligenda eſſe: tum ob grauiſſimorum Patrum auctoritatem, qui ita ſentiunt; tum etiam propter nonnullas non leues coniecturas, & argumenta: quæ in ſecundo noſtrarum Demonſtrationum tomo fuſiùs proſequor.

Ex his igitur, quæ hactenùs tibi demonſtrata ſunt (Lector) facilè tibi perſuaſum fore arbitror, B. Petrum ita Romanæ Eccleſiæ fundatorem, & Epiſcopum fuiſse, vt tamen ſimul totũ orbem Chriſtianum ſpirituali Imperio regeret.

CON-

CONSILIVM SEPTIMVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (Quiſquis in veræ Religionis ſinu quieſcere optas) *Romanum Pontificem, verum, ac legitimum eſſe B. Petri in tota Eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudine ſucceſſorem: ac propterea ſolum eſſe viſibile Eccleſiæ caput, & vniuerſalem omnium Chriſtianorum Paſtorem, à Chriſto Domino inſtitutum.*

Iam tandem ad grauiſſimum Conſilium ventum eſt: in quod cum vniuerſi noſtræ tempeſtatis ſectarij, velut in lapidem offenſionis, & petram ſcandali, ea potiſsimùm ratione offendant, quòd & ex eo, Romana Eccleſia Apoſtolicum veræ fidei, àc Religionis domicilium eſse oſtenditur, & ipſorum cœtus à vera, & Apoſtolica Eccleſia alienus eſse demonſtratur: haud mirum eſt, quòd in id vno agmine ferociter inſiliant; atque huc omnes neruos intendant; vt Romani Pontificis dignitatem ſolo æquent, ac proſternant. Mihi verò (Lector) ſtudioſè elaborandum eſt, non quidem, vt pro illa dimicem, aut eam ſartamtectam ſeruem, quę diuino adeò præſidio munitur, vt humana ope prorſus ad ſui incolumitatem non indigeat: ſed vt ipſam ab illorum calumnijs vendicatam, tibi cum primis certam, ac legitimam eſse perſuadeam.

Porrò cum vniuerſa, quæ Proteſtantes, Puritani, Lutherani, Caluiniſtæ, ac cæteri Religioniſtæ poſt Caluinum, aduerſus propoſitum conſilium obiectare ſolent, ad tria potiſſimùm capita reuocentur, quæ Caluinus varijs locis explicat.

Primum, cum ait. Nullam eſse rationem, cur Primatus Petri ad perpetuitatem trahi debeat.

Secundum. Euinci non poſse, Petri in Eccleſia poteſtatem, in Romanum Epiſcopum eſse transfuſam.

Tertium. Romano Epiſcopo Eccleſiæ Principatum non deberi; cum eum Chriſtus ſuum Vicarium nó elegerit.

Hoc

Hoc quoque ordine, in hoc conſilio demonſtrando vti lubet: quapropter oſtendamus.

Primo loco, Petro ſucceſſorē ex Xp̄i inſtitutione deberi.

Secundo, Romanum Pontificem in tota Eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudine Petro ſuccedere.

Tertio, Romanum Pontificem eſſe verum Eccleſiæ caput, & Chriſti Vicarium ab eo inſtitutum.

Igitur, vt à primo capite exordiar. Prima Caluini ratio, qua Romanum Pontificatum aggreditur, his ab eo verbis explicatur: *Verùm* (inquit) *vt de Petro illis concedam, quod petunt; fuiſſe ſcilicet Apoſtolorum Principem, & dignitate reliquos antecelluiſſe; non eſt tamen cauſa, cur ex ſingulari exemplo vniuerſalem faciant regulam; & quod ſemel factum eſt, ad perpetuitatem trahant.* Calu. Inſti. lib. 4. c. 6. §. 8.

Si Caluinus S. Scripturæ Regulas, non obſcuro, ſed cādido mentis oculo perluſtraſset; nunquam ſanè tàm ineptam, ne dicam impiam rationem orbi propinaſset. Quid enim magis à ſcripturarum veritate diſsentaneum eſt, quā ea, quæ à Chriſto ad publicam Eccleſiæ, tum vtilitatem, tum ſtabilitatem inſtituta ſunt, ijs terminis occludere, vt in exemplum, ac Regulam trahi minimè poſsint, aut debeant? An non ſemel Apoſtolis à Chriſto dictum fuit: *Euntes docete omnes gentes?* quòd ſi id ad perpetuitatem trahi nō debuit; quid Paulus Doctores perpetuos in Eccleſia à Chriſto datos eſse affirmat? Imò cur Caluinus, ac ſectarij, Doctorum ſucceſsionem, ac munus in Eccleſia perpetuū fore colligunt; cum aliundè non conſtet à Chriſto eſse inſtitutos? Chriſtus, non ne ſolos Apoſtolos Sacerdotes, ac Epiſcopos creauit? Porrò, ſi ex hoc ſingulari Chriſti exēplo vniuerſalis fieri Regula prohibetur: Vnde nam Paulus Paſtores, vſque ad orbis occaſum perennes in Eccleſia futuros eſse docet? cur Epiſcopi creantur? cur Sacerdotes in Eccleſia ſunt? Imo cur Euchariſtia conficitur? cur Cœna à Proteſtantibus, Puritanis, Lutheriſtis, & Caluinianis adminiſtratur? Quid clauium poteſtas, quam Chriſtus ſigilla- Epheſ. 4.

gillatim Apoſtolis contulit, in Eccleſia agnoſcitur?

Porrò, ſi hæc ſingularia Christi, tum exempla, tum facta, Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani, & Lutheriſtæ, ad perpetuam Eccleſiæ inſtitutionem, ac informationem trahere non verentur: Quid eſt (Lector) quòd ab hoc Chriſti facto, in quo eo magis perpetuam Chriſti inſtitutionem agnoſcere deberent, quò amplior ex ea Eccleſiæ vtilitas erumpit, omnem perpetuitatem exulare cogunt? Et Petrò, nullum idcircò ſucceſsorem deberi volunt, quod illud Chriſti factum, quo ipſum totius orbis Paſtorem inſtituit, velut ſingulare, ad ſucceſsionis perpetuitatem trahi nullo modo queat? Cur potius ſaniori hac argumentandi forma non vtuntur? Chriſtus Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem inſtituit: Ergo, ne Chriſti inſtitutio in Eccleſia pereat, perpetua in regimine totius Eccleſię Pontificum ſucceſſio, ab eodem inſtituta, agnoſci debet: hoc enim argumento vtitur Apoſtolus, cum Epiſcoporum ſucceſsionem in Eccleſia diuino iure inſtitutam eſse docet: quam non niſi ex ſingulari Chriſti exemplo elicere poterat; cum ſcribit: *Et ipſe* Epheſ. 4. *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.*

Cæterum (Lector) vt Petro ſucceſsorem, ex Chriſti inſtitutione deberi non dubites: id ex ipſis Chriſti verbis, quibus Petrum totius orbis Paſtorem inſtituit, luculenter oſtendo: quæ manifeſta ſunt apud Ioan. 21. *Simon Ioannis* Ioan. 21. *diligis me plus his. Paſce oues meas.* Ex quibus duplex huius rei argumentum colligo. Primum ex nomine Paſtoris, cum ait: *Paſce*. Alterum ex nomine ouium, cum ſubdit: *Oues meas*.

Primum igitur id apud omnes certum, ac exploratum eſt, Paſtoris nomine, Ordinarium ouium rectorem ſignificari; hoc enim nomine à mercenario diſcernitur, ad quem temporarium tantummodò, ac velut delegatum ouium regi-

gimen ſpectat. Paſtor verò proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & ante eas vadit, & oues ſequuntur eũ, & pro eis ſtrenuè aduerſus lupum decertat. Cum itaque Paſtor ſit ordinarij muneris nomen, id primùm euinco: cum Dominus Petrum Eccleſiæ Paſtorem pronunciauit, ordinarium ſupremi Paſtoris munus in Eccleſia inſtituiſſe.

Sed quoniam ordinarium munus in Eccleſia à Chriſto inſtitutum, minimè caducum eſt, & labile (Illud enim munus in Eccleſia ordinarium à Chriſto inſtitutum dicitur, quod ad perpetuam, ac publicam Eccleſiæ vtilitatem, & ædificationem ſpectat, & ſine quo ea ritè adminiſtrari non poteſt, vt ex Paulo colligitur) id ſecundò euinco: Huiuſmodi munus in Eccleſia perpetuum eſſe debere, atque in perennes muneris ſucceſſores propagandum fore; neque enim alia ratione Apoſtolus, Paſtores à Chriſto perpetuos Eccleſiæ datos inſinuat, ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti; præterquàm quòd id munus idcircò in Eccleſia à Chriſto ordinarium inſtitutum fuit, quod illud ad perpetuam ipſius Eccleſiæ ædificationem conferret.

Quamobrem, cum Paſtorale Pontificis munus ad Eccleſiam tum ad ædificandam, tum rectè adminiſtrandam cum primis neceſſarium ſit (vt prioribus Regulis demonſtratum fuit) inde tibi perſuaſum eſſe debet, illud & ordinarium, & perpetuum in Petro à Chriſto fuiſſe inſtitutum, quod perenni Pontificum ſucceſſione in Eccleſia inſtaurari debeat: ac proinde ea inſtitutionis verba, quæ tunc Petro dicta ſunt: *Paſce oues meas;* ad quemlibet Petri ſucceſſorem pertinere, vt egregiè docet Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdotio, vbi pertractans hunc locum, ait: *Quanam de cauſa Chriſtus ſanguinem effudit ſuum? certè vt pecudes eas acquireret; quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat.* Chryſ. lib. 2. de Sacerdotio.

Sed iam alterum argumentum proſequamur, quòd ex

ortæ hæreſes, quàm quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex Vice-Chriſti cogitatur.

Prima itaque Caluini, ac cæterorum ratione expulſa, Ad ſecundam accedo, quam Caluinus his verbis tradit: *Iam, vt alterum illis largiar, quod nunquam apud ſanos homines obtinebunt: ſic conſtitutum in Petro Eccleſiæ primatum, vt perpetua ſucceſſione ſemper maneret. Vnde tamen euincent, ſedem Romæ ita collocatam, vt quicumque ſit Vrbis illius Epiſcopus, orbi vniuerſo præſideat? Quo iure hanc locô dignitatem alligant, quæ ſine loci mentione eſt?* Hæc Caluinus. Calu. lib. 4 Inſt c. 6 §. 11.

Vidiſti (Lector) nō tantùm apud ſanos viros; ſed etiam apud ſacras literas, nos Petri Primatum perpetua ſucceſſione in Eccleſia propagandum obtinuiſse. Iam verò in tui gratiam euincendum eſt, Romanū Pontificem Petro in totius orbis præfectura ſuccedere; ita vt quicumque Romanæ Vrbis Epiſcopus eſt, orbi vniuerſo præſideat. Porrò antequam huius rei probationem aggrediar, ignorandū non eſt (Lector) cum de Romani Pontificis ſucceſsione agitur, eam duobus modis concipi poſse. Primo, quod Romanus Pontifex, non vt Romanus, ſed vt Pontifex Petro ſuccedat. Altero modo, quod eidem ſuccedat, non ſolùm vt Pontifex, ſed etiam vt Pontifex Romanus. Si Pontificis ſucceſsionem primo modo, abſque relatione ad Romanum conſideres: nullatenùs dubita, etiam ex Caluini ſuppoſitione, quin ex diuina inſtitutione prodeat, vt Romanus Pontifex Petro in Vniuerſalis Eccleſiæ Principatu ſuccedat. Cum enim in Petro Chriſtus Pontificum ſucceſſionem ordinauerit, certè ex diuina ordinatione manat, vt aliquis Petro in Eccleſiæ regimine ſuccedat. At verò ſi Romani Pontificis ſucceſſionem altero modo ſpectes; nimirum, vt Pontifex Romanus eſt, ac Romanæ Sedis Epiſcopus; quamquàm ita certum non ſit, eam ex diuino iure manare; cum ea neque expreſsè in ſcripturis contineatur, neque ex his euidenter deducatur. Attamen

hæc abſque Dei conſilio (vt creditur) acta non fuerint; id quoque credendum eſt, ex Dei conſilio, ac tacita inſtitutione profluxiſſe, vt Romanus Epiſcopus, non modò in Vrbis, ſed etiam in Orbis Pontificatu Petro ſuccedat.

Hinc non intempeſtiuè Anacletus, ex illis Chriſti verbis apud Matthæum: *Tu es Petrus, & ſuper &c.* colligit Romanam Eccleſiam, non ab Apoſtolis, ſed à Chriſto vniuerſalem in orbe præſidentiam accepiſse, cum ita ſcribit: *Hæc ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolo, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani Populi Gregem aſſequuta eſt, ſicut ipſe B. Petro Apoſtolo dixit: Tu es Petrus, & ſuper &c.* Cum enim à Chriſto Catholica, ac Vniuerſalis Eccleſia in Petro fundata fuerit, vt perpetua Pontificum ſucceſsione ædificaretur; ſanè cum primùm Romana Eccleſia Petro copulata eſt, perpetua in ea Pontificum ſucceſsio diuina auctoritate inſtituta fuit, vt inde Pontificum ſeries inciperet, vbi Petrus Epiſcopatum geſsiſset. Anacl. ep. 3. c. 3.

Neque ſolus id ſentit Anacletus; ſed & plerique alij antiquiſsimi Pontifices idipſum cum illo ſentiunt. Alexan. I. ep. 1. Pius I. ep. 1. Iulius I. epiſt. 1. ad Oriētales Epiſcopos, & ep. 2. ad Euſebium Theognium. Damaſ. ep. 2. ad Stephanum, & ad Concilia Aphricæ: Leo I. ſerm. 2. in die aſſumpt. ſu. ad Pōtif. Et Gelaſius in decreto de Apocryphis ſcripturæ libris, qui ex illo Chriſti teſtimonio, Romanæ Eccleſiæ in cæteras Eccleſias præſidentiam colligunt.

Id quoque ex alio Petri facto (Lector) facilè tibi exploratum erit: Cùm enim Petrus, non tàm in Romana Sede, quàm in totius orbis Pontificatu Linum ſucceſsorem acceperit, ex quo deinde Romanorum cæterorum Pontificum ſeries propagata fuit; qui in vtroque, & Vrbis, & Orbis Epiſcopatu Petro ſucceſserunt: Inde certiſsimum argumentū colligimus, Petri ſucceſſionem in Romanæ Eccleſiæ Pontificibus à Deo ordinatam fuiſse: quod etiam nobiſcum, an-

cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit, Tu es Petrus, inquientis, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claues Regni cælorum.

Id præterea certum eſt: Petro totius Dominici gregis curam à Chriſto demandatam fuiſse, qua ſuprema Eccleſiaſtica ipſa poteſtas indicatur. Porrò ſi Petro ſucceſſio tribuenda eſt, ne grex Domini ſine Paſtore diſpergatur. Quiſquis Petro in paſtorali munere ſuccedit tota, ac integra Petri auctoritate frui debet. Cum igitur hactenùs probatum ſit, Romanum Pontificem B. Petri legitimum ſucceſsorem eſse; Inde etiam probatum erit, cum in tota, ac integra capitis poteſtate Petro ſuccedere.

Plura huiuſmodi argumẽta, ex alijs Euangelij locis (Lector) hauriri poſsent, quæ conſultò prætereo, vt nonnullis Caluini cauillationibus, quas aduerſus nos congerit, opportunè occurram.

In primis contra primum Petri factum, his verbis Caluinus opponit: *Chriſtus Hieroſolymis functus eſt Epiſcopatu dũ vixit: & moriendo Sacerdotij munus impleuit. Princeps Paſtorum, ſummus Epiſcopus, caput Eccleſiæ, non potuit honorem loco acquirere: Petrus longè ipſo inferior potuit. Præterea Moyſes ſummus Doctor, & Princeps Prophetarum in deſerto miniſterio ſuo functus eſt, & mortuus. Igitur hac ratione ſedis primatum debuerunt olim Iſraelitæ conſtituere in deſerto.* Caluin. vbi ſup.

At quàm inepta, ac inſipida ſit hæc Caluini ratiocinatio (Lector) ex pluribus conijce. Nam quod primo loco ait: Chriſtum Hieroſolymitanum Epiſcopum fuiſse: hactenùs (vt arbitror) apud omnes inauditum eſt. Neque enim Chriſtus, dum vixit, vllam particularem Eccleſiam ſibi in ſedem delegit; vt in ea Epiſcopatu fungeretur: ſed Pontificia dumtaxat poteſtate vſus, quæ ad Vniuerſalis Eccleſiæ ſtatum ſpectabant, tanquam Eccleſiæ caput inſtituit. At impietate non vacat, quod ait: Chriſtum Pontificatus honorem non potuiſse Hieroſolymorum Epiſcopatui acqui-

re-

put; aut hunc illi ſoli ita honorem deberi, quin aliud Vica-
rium, & miniſteriale caput ſub eo collocari, & poſſit, &
debeat, vt fusè in ſuperioribus conſilijs probatum fuit.
Quod igitur ſcripturæ proprij honoris Chriſto deferunt,
quod planè nefas eſt in alium transferri, illud eſt, quod
Chriſtus, ità Eccleſiæ caput agnoſci debeat, vt nullum
æquale, aut ſupremum cum eo in Eccleſia ſtatuatur; ex quo
duo Eccleſiæ capita conſurgant. At, cum certum ſit, eā
vnitatem Capitis non diſſolui, quòd ſub eo Vicarium, ac
ſuffraganeum in Eccleſiā caput conſtituatur: improbè agit
Caluinus, cum in alienum ſenſum ſcripturarum veritatem
torquet.

Attamen rationem accipio, qua contendit: Neminem
ſibi in Eccleſiā ſupremi capitis honorem aſſumere debere,
niſi quem Chriſtus ſuum Vicarium eſſe voluerit: atque
vtinam, qui vel in Caluini dogmata iurarunt, vel qui hanc
Caluini rationem non aſpernantur, candidè eam à nobis
demonſtrari quærerent; inde enim facilè ad Catholicæ ve-
ritatis agnitionem pertingerent. At dum hi, non verita-
tem, ſed veritatis interitum quærunt; à te (Lector), qui ve-
ri es amantiſſimus, ea, qua polles ſingulari ingenij vi, ac
excellentia, huius rei demonſtrationem ſeriò diſcutiendam
opto: vt inde quænam tibi fidei ratio ineunda ſit, addiſcas.

Plurima huius rei argumenta, tum ex ſcripturis, tum ex
Patribus, tum ex Pontificum reſcriptis, tum ex Concilijs,
tum ex perpetuo Eccleſiæ vſu, ac praxi; tum ex Regum, &
Imperatorum ſubiectione colligi poſſunt, quæ breuiter at-
tingenda erunt; ne nimio citationum, ac teſtimoniorum
luxu faſtidium gignant.

Primum itaque argumentum ex ijs ſcripturis conflatur,
quæ Petrum Eccleſiæ Petram, Fundamentum, Caput, Ma-
giſtrum, ac Paſtorem à Chriſto inſtitutum eſſe tradunt, quæ
fusè in 7. & 9. Regula par. 1. explicauimus: eadem enim à
pro Romano Pontifice, quem Petri ſucceſſorem eſſe de-
clarauimus, proculdubiò militant. Nam cum ad ſolam

ac priuatam Petri perſonam referri non poſſint, quæ publicam Eccleſiæ vtilitatem, & incolumitatem reſpiciunt; inde perſpicuum eſt, ea ad omnes Romanos Pontifices Petri ſucceſſores ſpectare, ad quos ipſo ſucceſſionis iure Petri poteſtas, & Eccleſiæ Principatus tranſmeauit; ſi tamen Eccleſiam cum Petro minimè occubuiſſe, ſed poſt Petrum ſuperſtitem (vt par eſt) credere volumus. Ex quo illud infero, quod non tantùm Petro, ſed cuiq. Romano Pontifici, legitimo Petri ſucceſſori à Chriſto dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc &c.* Romano dicitur: *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcumque ſolueris* &c. Romano dicitur: *Paſce oues meas.* Quando quilibet Romanus Pontifex, inſtar Petri eſt Eccleſiæ caput, ac fundamentum: inſtar Petri, ligandi, ac ſoluendi poteſtatem habet: inſtar Petri Eccleſię in fide, & moribus confirmandæ à Deo mandatum accepit; Demum inſtar Petri Dominicum ouile curandum, ac paſcendum ſuſcepit. Hunc ſenſum confirmat Leo Magnus ita ſcribens: *His itaque modis, dilectiſſimi, rationabili obſequio celebratur hodierna feſtiuitas, vt in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo, & omnium Paſtorum ſolicitudo, cum commendatarum ſibi ouium cuſtodia perſeuerat, & cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit.*

Math. 16. Luc. 22. Ioa. 1. 21.

Leo I. ſer. 2. in die ann. aſſũp. ſu. ad Pontif.

Denique cum Dominus ſuper Petrum Eccleſiam ædificat; cum Regni claues illi cuſtodiendas tradit; cum ad vniuerſa, tum liganda, tum ſoluenda poteſtatem tribuit; cum illum fratres ſuos in fide cõfirmare iubet; cum totius Chriſtiani gregis curam illi ſolicitè exercendam mandat. Cui dubium eſse poteſt, quin tunc ea circa Petrum facta fuerint, quæ à Romano Pontifice Petri ſ[illegible]eſsore Chriſtus in Eccleſia fieri perpetuò voluit: quod p̃clarè teſtatur Chryſologus, cum Eutychem his hortatur verbis: *In omnibus hortamur te, frater honorabilis, vt his, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Ciuitatis præſcripta ſunt, obedienter attendas: quoniã B. Petrus, qui in propria ſede, & viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Ex quo id tandem tibi manifeſtum

Pet. Chryſol. epiſ. ad Eutich.

ſtum eſt (Lector) cum primùm Chriſtus Petrum poſt ſe Eccleſiæ Paſtorem inſtituit, ſimul & vnumquemque Romanorum Pontificum, qui Petro legitimè ſuccedunt, in omnem Eccleſiaſticam poteſtatem ſibi Vicarium delegiſse.

Venio ad ſecundum argumentum, quod ex omnium ferè antiquorum Patrum conſenſu, ac veteris Eccleſiæ fide colligitur. Equidem (Lector) ſi vetuſtati, ei præſertim, quæ propiùs ab Apoſtolorum temporibus abfuit, is honos habendus eſt, vt eam fideliſſimam veræ fidei cuſtodem, ac veritatis depoſitariam eſse, citra vllam dubitationem credendum ſit: quod ipſe quoque Caluinus fatetur, dum prioribus illis quinque ſeculis ſanam fidem, ac doctrinam adiudicat: ſcias profectò, totam veteris Eccleſiæ, ac vetuſtiſſimorum Patrum fidem, ita in hoc dogmate, de Romani Pontificis primatu collimaſse; vt de illo dubitare, nedum illud è medio tollere, nefas omnino exiſtimari debeat.

Verùm, cum horum Patrũ teſtimonia tam copioſa ſint; vt omnia referre, aut explicare ad ingens potiùs volumen, quàm ad breuem hanc conſultationem ſpectet. Nonnulla tantùm, tum ex Græcis, tum ex Latinis Patribus (vt noſtri moris eſt) loca explicabimus, alijs fideliter indicatis.

Principio ex Græcis Patribus, qui Romani Pontificis in Eccleſia primatum agnouerunt, ac ſcriptis teſtatum reliquerunt, eſt Athanaſius cum Epiſcopis Aegyptijs, qui ad Felicem II. ſcribentes, Romani Pontificis auctoritatem à diuina inſtitutione profectam teſtantur, his verbis: *Sed ob id vos Deus* (inquiunt) *prædeceſſ. reſq. veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules, in ſummitatis arce conſtituit, omniumq. Eccleſiarum eis curam habere præcepit.* Athan. & Epiſ. Aegy. epiſt ad Felic. II. inter epiſtolas Athanaſij.

Vides (Lector) Romani Pontificis Primatum præclariſſimis verbis ab Athanaſio, ac reliquis Aegyptijs Epiſcopis aſsertum. Quid enim aliud eſt in ſummitatis arce à Deo collocari, ac omnium Eccleſiarum curam illi demandari, præterquàm Chriſti Vicarium inſtitui?

Sed Irenæum audi præclarè Romanæ Eccleſiæ Princi-

Iren. l. 3. c. 3.

patum ſuper cæteras orbis Eccleſias eſſe tenentem: *Sed quoniam* (inquit) *valde longum eſt, in hoc tali volumine, omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones: maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à duobus Glorioſiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidẽ, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem, uſque ad nos indicantes, confundimus eos, qui quoquomodo, vel per ſui placentiam malam, vel vanã gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam.*

En Romanæ Eccleſiæ maximam, & ſupremam in cæteras orbis Eccleſias poteſtatem, quæ illis prioribus verbis inſinuatur, *Maximæ, & antiquiſſimæ*. En Romani Pontificis Principatum, quem poſteriora illa verba indicant: *Propter potentiorem Principalitatem*. En tandem omnium Eccleſiarum erga vnam Romanam ſubiectionem, quæ poſtremis illis verbis apertè explicatur: *Ad hanc enim Eccleſiam neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam*. Quid clarius, quam his verbis Irenæum pro tota illa veteri Eccleſia teſtari: Romanum Pontificem in regimine Vniuerſalis Eccleſiæ eſſe Christi Vicarium, & Christi Vice ſummum in omnes Eccleſias Principatum obtinere?

His, & alij Græci Patres adſtipulantur. Chryſoſtomus epiſt. ad Innocentium Papam: in qua petit ſumma Pontificis auctoritate ab exilio reuocari, ac ſuæ Eccleſiæ reſtitui. Theodoretus in epiſt. ad Renatum, vbi inter alia hæc de Romana Eccleſia ſcribit: *Tenet enim iſta ſancta Sedes gubernacula, regendarum cuncti orbis Eccleſiarum.* Baſil. epiſt. 52. ad Athanaſium: Epiphanius hæreſi 68. Nazianzenus orat. 52. Cyrillus Alex. epiſt. ad Cæleſtinum: Palladius in vita Chryſoſt. Sozomenus lib. 3. c. 7. Anaſtaſius Hieroſol. epiſto. ad Felic. pap. Ioannes Patriarcha Conſtantinop. epiſt. ad Hormiſdam. Maximianus Epiſcopus Conſtantinopol.

Theod in epiſtol. ad Renatum.

epiſt.

epiſto. ad Orientales, & alij quamplurimi.

Porrò ex Latinis Patribus, præclarus Romani Pontificatus aſſertor primus eſt Cyprianus: qui vbi frequenter Petri cathedram, quam Romanam Eccleſiam eſſe nemo ambigit, Eccleſiam principalem, Sacerdotalis vnitatis caput, & originem, omnium Eccleſiarum Matricem, ac radicem appellauit; tandem concludit: *Vnde enim ſchiſmata & hæreſes ortæ ſunt, niſi quòd Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, et homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur.* Cypr. epiſ. 3. & epiſt. 8.

Audis vnum Epiſcopum, toti Eccleſiæ diuina auctoritate præeſſe, atque inde ſchiſmatū, ac hæreſum capita exurgere, cùm ab eo ſuperba animi præſumptione receditur; quid hoc annuit (Lector) præterquam vnum in Eccleſia Romanum Pontificem Chriſti Vicarium, & totius Eccleſiæ Rectorem ab omnibus agnoſcendum, ac ſuſpiciendum eſſe; atque adeò id ad Catholicam fidem pertinere: vt qui Romani Pontificis Primatum, vel olim, vel hac noſtra tempeſtate è medio tollere auſi ſunt, protinus in omne hæreſū genus ſe præcipites dederint: quòd res ipſa, abſque alio teſte per ſe apertè clamitat.

Hunc quoque Romani Pontificis Principatum, egregiè tuetur Auguſtinus his verbis: *Erat tranſmarinis vicina Regionibus, & fama celeberrima nobilis Carthago. Inde non mediocris auctoritatis habebat Epiſcopū Cecilianum qui poſſet non curare conſpirantem inimicorum multitudinem: cum ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus: & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias literas eſſe coniunctum.* Aug. epiſt. 162. Porrò, ſi Auguſtinus, vir antiquiſſimus, ac eruditiſſimus, Apoſtolicum Romani Pontificis primatum, non ſolùm agnouit, docuit, prædicauit: verùm & ſemper in Eccleſia agnitum, ac creditum teſtatur. Quid verendum eſt (Lector) illum ipſum cum Auguſtino, ac tota veteri Eccleſia fideliter agno-

gnoſcere, ac fateri? Si grauiſſimis Patribus, qui antiquam, & Apoſtolicam fidem nobis teſtatam relinquunt, non credimus; quibuſnam credendum erit? Num Caluino potiùs, aut ijs, qui nouitias, ac nuper natas doctrinas obtrudunt, quàm illis, fides erit adhibenda?

Perſpicuum quoque eſt Ambroſij teſtimonium, qui licèt paucis, diſertis tamen verbis, Romanum Principatum docet, ita ſcribens: *Eccleſia* (inquit) *eſt domus Dei; cuius hodiè Rector eſt Damaſus.* Quid luculentius? ſi Damaſus ex Ambroſio vniuerſalis Eccleſiæ eſt Rector, quæ, teſte Paulo, eſt domus Dei: Cur, & Chriſti Vicarius cenſendus non erit; qui Chriſti Vices in Eccleſia adminiſtranda gerat?

His & alij plerique Patres accedunt, ex quibus aliquos tantùm indicare lubet. Sic Hieronym. ep. 57. ad Damaſ. Optat. lib. 2. aduerſus Parmenianum. Prudent. de S. Hyppol. Maximus Taurin. hom. 2. de Natali S. Laurentij. Vincentius Lirin. contra prof. Hær. nou. c. 42. Petrus Chryſologus epiſt. ad Eutychen. Philippus Presbyter in Cōcil. Epheſ. tom. 2. c. 16. Proſper de Ingratis c. 2. cuius hi ſunt Verſus. [Margin: Proſp. de Ingr. c. 2.]

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Victor Vticenſis de perſecut. Vuandalica lib. 2. Epiſcopi Dardaniæ ad Gelaſium Pap. inter Epiſtolas Gelaſij. Ennodius lib. de Synod. Poſſeſſor epiſt. ad Hormiſdam. Caſſiodorus lib. 11. epiſt. 2. ad Ioan. Papam.

Porrò tertium argumentum nobis Conciliorum generalium auctoritas miniſtrat; quæ Romani Pontificis Primatum ſemper commendarunt. In his primum eſt Concilium Nicenum primum, in quo iuxta integram lectionem, quæ habetur in Concilio Chalcedon. act. 16. ita legitur: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum; mos autem antiquus perduret in Aegypto, vel Lybia, & Pentapoli: vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quoniam quidem, &* [Margin: Conc Nic. 1. C. 6.]

Epi-

Epiſcopo Romano parilis mos eſt . Ex hoc canone planè conſtat quòd certis alijs Eccleſijs propriæ poteſtatis terminis præfixis, ſoli Romano Pontifici vniuerſalis in omnes Eccleſias Principatus ſeruatur. At luculentiùs id explicatur in Canonibus ex Arabico tranſlatis, vbi canone 39. ita diffinitur: *Et quamuis ſit Archiepiſcopus inter Epiſcopos tamquam Frater maior, qui curam habet Fratrum ſuorum, & ei debent obedientiam, quia praeſt; eſt tamen Patriarcha ijs omnibus, qui ſub poteſtate eius ſunt; ſicut ille, qui tenet ſedem Romæ, caput, & Princeps eſt omnium Patriarcharum; quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes Populos eorum: vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini ſuper omnes Populos, & Vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Idem in Can. ex Arab. c. 39.

Quid hoc Canone præclarius (Lector?) Audis Romanum Pontificem Chriſti Vicarium, & Eccleſiæ caput à generali Concilio ſub Anathematis fulmine, diffiniri.

Poſt Nicenum, Chalcedonenſe quoque Cõcilium Act. 1.2. & 3. Leonem Papam Vniuerſalis Eccleſiæ Põtificem appellat; & epiſt. ad Leonem ſcripta, Romani Pontificis Primatum in Eccleſia à Domino inſtitutum grauiſsimè, his verbis profitetur. *Et poſt hæc omnia inſuper, & contra ipſũ, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt, Dioſcorus extendit inſaniam, ideſt, contra tuam Apoſtolicam ſanctitatem; & excommunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiæ vnire feſtinas. Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora iudicium, & ſicut nos capiti in bonis adiecimus conſonantiã: ſic & ſummitas tua filijs, quod decet, adimpleat.* En (Lector) Romanum Pontificem ex Chalcedonenſi Concilio, Vineæ Domini, quæ Catholica Eccleſia eſt, Cuſtodem. En caput, ac Patrem, cuius vniuerſi Concilij Patres ſe filios ſubiectos profitentur, ab omnibus appellatum. His conſentanea ſunt, quæ docent, definiunt, ſtatuunt, Concil. Conſtantinop. 1. can. 3. Epheſinum ep. ad Cæleſtinum P. Cõc. Chalced. epiſt. ad Leõ. P.

Ro-

Romanū ſub Syluestro: Toletanum 1. ſub finem aſſertionis fidei. Afric. cap. 35. Mileuitanum ep. ad Innocentium Pap. Carthaginenſe ad Innocen. Pap. Romanum 3. & 4. ſub Symmacho c. 3. Aurelianenſe c. 1. Turonenſe 2. c. 2. Braccarenſe 1. c. 21. & 23. Mopſueſtanum epiſt. ad Vigilium Pap. Nicenum 2. Act. 2. 6. & 7. Alia recentiora Concilia prætereo.

His accedat quartum Argumentum, ab antiquiſſimorū Pontificum reſcriptis ductum, qui vniuerſalis Eccleſię Primatum ſibi à Domino creditum agnouerunt. Atque hi cum ſanctiſſimi viri fuerint, & ex his quamplurimi, quam profitebantur fidem, ac doctrinam, martyrio teſtati fuerint: planè dubitandum non eſt, quin hi Catholicam potius huius dogmatis fidem, quàm propriam dignitatem proſequi voluerint. Primum Anacletum prætereo, cuius teſtimonium ſuperiùs explicauimus. Poſt Anacletum Alexan. I. Martyr, quid de Romani Pontificis ſede ſentiendum ſit, his verbis aperit. *Relatum eſt* (inquit) *ad huius ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnia negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad caput, ipſo dicente Principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper &c.* Vides quàm præclarè Martyr Romani Pontificis in cunctas orbis Eccleſias præeminentiam, ac Chriſti Vicariatum teſtatum relinquat.

Alex. I. ep. 1.

Eadem Religione Sixtus Primus, Sacram Romanorum Pontificum dignitatem proſequitur, ita ſcribens: *Si quis verò veſtrum, pulſatus fuerit in aliqua aduerſitate; licenter hanc ſanctam, & Apoſtolicam Sedem appellet; & ad eam quaſi ad caput ſuffragium habeat, ne innocens damnetur, aut Eccleſia ſua detrimentum patiatur.* Quem ſequutus Pius I & ipſe Chriſti martyr. *Chriſtus* (inquit) *hanc ſanctam Sedem Apoſtolicam omnium Eccleſiarum caput eſſe præcepit, ipſo dicente Principi Apoſtolorum: Tu es Petrus, & ſuper &c.* Denique hanc fidem teſtantur, Euariſtus epiſt. 1. ad Epiſcopos Orientales: Felix II. epiſt. 1. c. 19. Damaſus epiſt. 2. Siricius

Sixt. I. ep. 2.

ep.

ep. 3. Innocentius I. epiſt. 32. Leò I. ſer. 1. de Natali Apoſtolorum: Gelaſius in decreto de Apocryphis ſcrip. Anaſtaſius II. ep. ad Auguſtum. Hormiſda epiſt. ad Remigiũ, & alij plerique; qui primis quinque ſeculis Pontificia dignitate, & ſanctimonia floruerunt: quibus ſi non propria, ea ſaltem ratione credendum eſt, quod ij ea ſecula coluerunt, in quibus, iuxta Caluini ſententiam, ſana fides, ac doctrina in Eccleſia vigebat.

At verò, non minori Religione ſummi quique pij, ac Religioſi Imperatores, ac Reges, totius Chriſtiani orbis nomine, ſupremum hunc in Romanis Pontificibus Primatũ agnouerunt, ac ſuis edictis roborarunt; quod quintum argumentum eſt. Celebre eſt Conſtantini Magni Imperatoris edictum, in quo hæc de B. Syluestro, ac Romanorum Pontificum dignitate leguntur. *Dum hęc prædicante B. Syluestro agnoſcerem, & beneficijs ipſius B. Petri integerrimè ſanitati comperi me reſtitutum: vtile iudicauimus, vnà cum omnibus Satrapis, & vniuerſo Senatu, Optimatibuſq. meis, & cuncto Populo Romanæ gloriæ Imperio ſubiacenti, vt ſicut in terris S. Petrus Vicarius Filij Dei eſſe videtur conſtitutus, etiã & Pontifices, qui ſucceſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolorum, Principatus poteſtatem ampliùs, quàm terrena Imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere videtur, conceſſam à nobis, noſtroq. Imperio obtineant.* Quo edicto Conſtantinus, non nouum Principatum Romanis Pontificibus concedit; cum illum in B. Petro iam inſtitutum agnoſcat: ſed antiquum lege lata corroborat, vt pœnis obnoxium oſtendat, qui eidem ſubijci recuſauerit. Iuſtinianus quoque apertiſſimis verbis, non ſemel, ſed frequenter ſupremam in omnes orbis Eccleſias poteſtatem Romano Pontifici à Chriſto traditam teſtatur: tum in Authenticis de Eccleſ. tit. & priuil. cap. 2. Vbi ab omnibus tenendum eſſe decernit: Omnium Sacerdotum Romanum Pontificem eſſe Principem: tum in epiſt. ad Ioannem Papam, quæ extat in C. de ſumm. Trinit. & fid. Cath. vbi inter alia hæc ſcribit: *Nec enim pati-*

Conſtãtin. Mag. in Priuil. Rom. Eccleſiæ.

Digitized by Google

Romanū ſub Syluestro: Toletanum 1. ſub finem aſſertionis fidei. Afric. cap. 35. Mileuitanum ep. ad Innocentium Pap. Carthaginenſe ad Innocen. Pap. Romanum 3. & 4. ſub Symmacho c. 3. Aurelianenſe c. 1. Turonenſe 2. c. 2. Braccarenſe 1. c. 21. & 23. Mopſueſtanum epiſt. ad Vigilium Pap. Nicenum 2. Act. 2. 6. & 7. Alia recentiora Concilia prætereo.

His accedat quartum Argumentum, ab antiquiſſimorū Pontificum reſcriptis ductum, qui vniuerſalis Eccleſię Primatum ſibi à Domino creditum agnouerunt. Atque hi cum ſanctiſſimi viri fuerint, & ex his quamplurimi, quam profitebantur fidem, ac doctrinam, martyrio teſtati fuerint; planè dubitandum non eſt, quin hi Catholicam potiùs huius dogmatis fidem, quàm propriam dignitatem proſequi voluerint. Primum Anacletum prætereo, cuius teſtimonium ſuperiùs explicauimus. Poſt Anacletum Alexan. I. Martyr, quid de Romani Pontificis ſede ſentiendum ſit, his

Alex. I. ep. 1. verbis aperit. *Relatum eſt (inquit) ad huius ſanctæ, & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnia negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad caput, ipſo dicente Principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper &c.* Vides quàm præclarè Martyr, Romani Pontificis in cunctas orbis Eccleſias præeminentiam, ac Chriſti Vicariatum teſtatum relinquat.

Eadem Religione Sixtus Primus, Sacram Romanorum

Sixt. I. ep. 2. Pontificum dignitatem proſequitur, ita ſcribens: *Si quis verò veſtrum, pulſatus fuerit in aliqua aduerſitate; licenter hāc ſanctam, & Apoſtolicam Sedem appellet; & ad eam quaſi ad caput ſuffragium habeat, ne innocens damnetur, aut Eccleſia ſua detrimentum patiatur.* Quem ſequutus Pius I & ipſe Chriſti martyr. *Chriſtus* (inquit) *hanc ſanctam Sedem Apoſtolicam omnium Eccleſiarum caput eſſe præcepit, ipſo dicente Principi Apoſtolorum: Tu es Petrus, & ſuper &c.* Denique hanc fidem teſtantur, Euariſtus epiſt. 1. ad Epiſcopos Orientales: Felix II. epiſt. 1. c. 19. Damaſus epiſt. 2. Siricius

ep.

ep. 3. Innocentius I. epiſt. 32. Leo I. ſer. 1. de Natali Apoſtolorum: Gelaſius in decreto de Apocryphis ſcrip. Anaſtaſius II. ep. ad Auguſtum. Hormiſda epiſt. ad Remigiũ, & alij plerique; qui primis quinque ſeculis Pontificia dignitate, & ſanctimonia floruerunt: quibus ſi non propria, ea ſaltem ratione credendum eſt, quod ij ea ſecula coluerunt, in quibus, iuxta Caluini ſententiam, ſana fides, ac doctrina in Eccleſia vigebat.

At verò, non minori Religione ſummi quique pij, ac Religioſi Imperatores, ac Reges, totius Chriſtiani orbis nomine, ſupremum hunc in Romanis Pontificibus Primatũ agnouerunt, ac ſuis edictis roborarunt; quod quintum argumentum eſt. Celebre eſt Conſtantini Magni Imperatoris edictum, in quo hæc de B. Syluestro, ac Romanorum Pontificum dignitate leguntur. *Dum hęc prædicante B. Syluestro agnoſcerem, & beneficijs ipſius B. Petri integerrimè ſanitati comperi me reſtitutum: vtile iudicauimus, vnà cum omnibus Satrapis, & vniuerſo Senatu, Optimatibuſq. meis, & cuncto Populo Romanæ gloriæ Imperio ſubiacenti, vt ſicut in terris S. Petrus Vicarius Filij Dei eſſe videtur conſtitutus, etiã & Pontifices, qui ſucceſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolorum, Principatus poteſtatem ampliùs, quàm terrena Imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere videtur, conceſſam à nobis, noſtroq. Imperio obtineant.* Quo edicto Conſtantinus, non nouum Principatum Romanis Pontificibus concedit; cum illum in B. Petro iam inſtitutum agnoſcat: ſed antiquum lege lata corroborat, vt pœnis obnoxium oſtendat, qui eidem ſubijci recuſauerit. Iuſtinianus quoque apertiſſimis verbis, non ſemel, ſed frequenter ſupremam in omnes orbis Eccleſias poteſtatem Romano Pontifici à Chriſto traditam teſtatur: tum in Authenticis de Eccleſ. tit. & priuil. cap. 2. Vbi ab omnibus tenendum eſſe decernit: Omnium Sacerdotum Romanum Pontificem eſſe Principem: tum in epiſt. ad Ioannem Papam, quæ extat in C. de ſumm. Trinit. & fid. Cath. vbi inter alia hæc ſcribit: *Nec enim pati-*

Conſtãtin. Mag. in Priuil. Rom. Eccleſiæ.

Inſti. C. de ſum. m. Trinit. & fid. Cath.

mur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatū pertinet, quamuis manifeſtum, ac indubitatum ſit; quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quæ eſt caput omnium Eccleſiarū. Rurſuſque id confirmat in Authentica, quod Eccleſia Romana centum annorum gaudeat præſcriptione, dum ita ſcribit: *Vt legum orginem anterior Roma ſortita eſt, ita & ſummi Pontificatus apicem apud eam eſſe, nemo eſt, qui dubitet.* Quod ſi inter illos veteris Eccleſię orthodoxos nemo erat, qui de Romani Pontificis Primatu dubitaret: Cur de illo Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani, ac alij Religioniſtæ, non tam dubitant, quàm eum omnino è medio ſublatum volunt? planè hoc ipſo ſe inter orthodoxos minimè annumerandos oſtendunt.

His adde (Lector) Honorium Auguſtum ad Boniſacium Pap. Valentinianum III. epiſt. ad Theodoſ. Imperat. quæ extat in Conc. Chalc. Valentinianum, & Martianum epiſt. ad Leonem: Martianum epiſt. ad Leonem P. Gallam Placidiā, ep. ad Pulcheriam Auguſtam: Pulcheriā Auguſtam ep. ad Leonem P. Luitprandū Regem Longobard. in legibus Longobard. tit. 23. §. 5. Lotharium Regem ep. ad Adrianum II. Leonem Regem Armen. ep. ad Innocen. III. Ludouicum Regem Francorum ep. ad Alexand. P. Vladiſlaum Regem Poloniæ ep. ad Ioann. XXII. Eduardum Regem Angliæ ep. ad Boniſacium. Adde tandem Henricum Octauum Angliæ Regem, qui antequam à Romana Eccleſia deſciſceret, ob denegatum illi cum Anna Bolena connubium, adeò Apoſtolicæ Sedi addictus fuit, vt aduerſus Lutherum, tunc in Romanum Pontificem debacchantem, Romanæ Sedis auctoritatem, ac Primatum edito libro defenderit, cuius hæc inter alia ſunt verba. *Negare Lutherus non poteſt, quin omnis Eccleſia fidelium, ſacroſanctam Sedem Romanam velut Matrem, Primamq. recognoſcat, ac veneretur, quæcumque ſaltem, neque locorum diſtantia, neque periculis interiacentibus prohibetur acceſſu, quamquàm ſi vera dicāt, qui ex India quoque veniunt huc; Indi etiam ipſi tot terrarum, tot ma-*

Hēric. viij. Anglię Rex in aſſert. contr. Luther. art. 2. aſſer. 7.

marium, tot ſolitudinum plagis disiuncti, Romano tamen ſe Pontifici ſubmittant. Ergo ſi tantam, ac tam latè fuſam poteſtatem, neque Dei iuſſu Pontifex, neque hominum voluntate conſequutus eſt; ſed ſua ſibi vi vendicauit; dicat, velim, Lutherus; quomodò in tantæ ditionis erupit poſſeſſionem? Non poteſt obſcurum eſſe initium tam immenſæ potentiæ, præſertim ſi intra hominum memoriam nata ſit. Quòd ſi rem dixerit, vnam fortaſſe, aut duas ætates ſuperare; in memoriam nobis rem redigat ex hiſtorijs: alioqui ſi tam vetuſta ſit, vt rei etiam tantæ obliterata ſit origo: legibus omnino cautum eſſe cognoſcat, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita ſupergreditur, vt ſciri non poſſit, cuiuſmodi habuerit initium, cenſetur habuiſſe legitimum: vetitumq. eſſe conſtat omnium conſenſu gentium, ne quæ diu manſerunt immota, moueantur.

Hæc, & alia plurima, Rex ille de Romanæ Sedis auctoritate commemorat; quæ antiquam maiorum ſuorum pietatem, atque in Romanam Sedem obſeruantiam teſtatam relinquunt.

His tandem poſtremum argumentum accedat, ex ipſa antiquiſſima Eccleſiæ praxi depromptum: quæ Romanos Pontifices ſuprema hac poteſtate ſemper vſos declarat.

Eccleſiaſticam poteſtatem, quatuor capitibus potiſſimũ contineri, ex Caluino recipio. (Tametſi nec integra, nec perfecta ſit diſtributio, cum pleraq. alia capita deſiderentur) nimirum, Ordinatione Epiſcoporum, Conciliorum Indictione, Audiendis appellationibus, Monitionibus caſtigatorijs, aut cenſuris. Hæc, diuturna Eccleſiæ Praxi, ſolis Romanis Pontificibus reſeruata eſſe compertiſſimum eſt. Nam Epiſcoporum ordinationes vbique terrarum ſola Romani Pontificis auctoritate fuiſſe factas, ipſe vſus teſtatur. Calu. In. lib. 4. c. 7. §. 6.

Anacleti conſtitutio fuit ex Apoſtolica traditione profecta; vt Epiſcopus, non niſi à tribus Epiſcopis ordinetur; ordinationem verò Epiſcoporum irritam eſſe, quæ abſque Romani Pontificis aſſenſu fieret, docuerunt Leo I. epiſtol. Anacletus epiſt. 1.

84. & 90. & allegat Gratian. diſt. 62. c. nulla ratio. Innocen. I. ad Victricium cap. 1. Gregorius lib. 4. epiſt. 34.

Venio ad Concilia generalia, quæ abſque Romani Pontificis auctoritate in Eccleſia celebrari fas nunquam fuit: vt teſtantur Iulius I. epiſt. 1. ad Epiſcopos Orientales, & Damaſus epiſt. ad Stephanum. Atque inde factum eſt, vt Concilia, quæ abſque Romani Pontificis auctoritate collecta fuere, nullum prorſus in Eccleſia robur ſibi compararuerint; quo in numero ſunt Antiochenum, de quo ait Socrates, illud propterea ab Eccleſia reiectum fuiſſe, quod neque Iulius Romanus Epiſcopus ibi aderat, nec quemquam, qui eius locum teneret, eò miſerat. Sic Ariminenſe, teſte Theodoreto, Eccleſ. hiſt. lib. 2. c. 22. Concilium Epheſinum 2. ſub Theodoſio Iuniore. Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſaurico: & alterum ſub Conſtantino Copronymo. Baſilienſe, & alia nonnulla.

Socrates hiſt. Eccl. lib. 2. c. 5.

Hinc perpetuo vſu receptum fuit, vt Conciliorum Indictio, ac confirmatio ſemper à Romano Pontifice effluxerit. Ita Nicenum 1. à B. Sylueſtro indictum, & confirmatum fuit, vt patet ex epiſt. conc. ad Sylueſt. Concilium Conſtantinop. 1. à Damaſo indictum, ac confirmatum fuit, vt teſtis eſt Theodoretus Eccleſ. hiſt. l. 5. c. 9. Concil. Epheſinum 1. à Cęleſtino conuocatum, & confirmatum fuiſſe; cui Cyrillus Cęleſtini nomine præfuerit, teſtis eſt ipſe Cyrillus epiſt. 29. tom. 4. oper. Cyrilli Chalcedonenſe Concilium à Leone indictum, & confirmatum fuiſſe, pręſidentibus in eo Apoſtolicis Legatis, declarat Leonis ipſius ep. 49. ad Synodum Chalcedonenſem cap. 1. Cætera Concilia omitto.

Ad hæc ius audiendarum appellationum, à toto orbe ad ſolum Romanum Pontificem ſpectare, quàmplurima Pontificum reſcripta, & Conciliorum decreta non obſcurè inſinuant: atque inter hæc ſunt, quæ ex Anacleto ep. 1. Sixto ep. 2. Alex. ep. 1. Iulio ep. 1. Felice II epiſt. 1. c. 19. ſuperiùs recenſuimus; quibus addi poſſunt Anicetus epiſt.

ad Epiſcopos Galliæ c.3. Eleutherius ep.2. c.2. Victor ep. ad Theophilum, & Epiſcopos Aegyptios: Zepherinus ep. ad Epiſcopos Siciliæ: Lucius ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ: & præter Pontificum reſcripta, Concil. Nicenum can.2. ex his, quæ collecta ſunt ex epiſt. Iulij Papæ, id preclarè decernit.

Poſtremò Epiſcoporum depoſitiones, ac reſtitutiones, Romani Pontificis auctoritati ſemper reſeruatas fuiſſe, antiquus Eccleſiæ vſus demonſtrat. Nam criminoſos Epiſcopos deponere, ac ſuis ſedibus pellere, non alterius, quàm Romani Pontificis opus eſſe agnoſcitur; vt teſtis eſt Cyprianus ita ad Stephanum Papam ſcribens: *Dirigantur in Prouinciã, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litera, quibus abſtento Martiano, alius in locum eius ſubſtituatur*. Quo iure olim quoque vſi ſunt Damaſus in Flauianum Patriarcham Antiochenum: Cęleſtinus in Ioannem eiuſdem ſedis Epiſcopum: Leo I. in Dioſcorum Alexandrin. Epiſcopum; vt extat in Concilio Chalced. Sixtus III. in Polychronium Patriarcham Hieroſolymitanum. Cæterum Nicolaus I. in epiſt. ad Michaelem: Octo Patriarchas Conſtantinopolitanos enumerat à Romanis Pontificibus depoſitos.

Cypr. li.3 epiſt. 13.

Porrò, quemadmodùm Epiſcoporum depoſitio, ſic & reſtitutio ad Romanos Pontifices ſpectat: quod ipſa Eccleſiæ praxis, ac frequentiſſima exempla demonſtrant; nam Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolit. & Marcellum Ancyranum, Epiſcopos ab Orientali Synodo depoſitos, Iulius I. ſuis ſedibus reſtituit; Flauianum, Damaſus, Theodoretum, Leo I. Chryſoſtomum, Innocētius, & alij plerique Epiſcopi in toto orbe, ab Apoſtolica Sede ſuis Eccleſijs reſtituti ſunt. Ex quibus tandem (Lector) id facilè perſuaſum tibi eſſe debet: Romani Pontificis Primatum antiquis Patribus, ac veteri Eccleſiæ ignotum non fuiſſe (vt improbè Caluinus calumniatur) quem tot Patribus, tot Concilijs, tot ſanctiſſimorum Pontificum reſcriptis; tanto denique ac tàm præclaro Eccleſiæ vſu, ac pra-

xi aſſerentibus, toto denique orbe acclamante, agnitum, receptum, confirmatum, celebratumq; fuiſſe conſtat.

Quibus vnicam dumtaxat rationem addere lubet, ex ipſa rei natura petitam. Naturę enim principium eſt: omnem gregem ſuo Paſtore indigere, à quo regatur: alioquin breui diſpergendum fore, vt diuina vox Ezechielis ore teſtatur, dicens: *Facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meę in deuorationem omnium beſtiarum agri, eò quod non eſſet Paſtor.* Hinc cum minor grex minorem, maior maiorem; maximus certè grex, maximum Paſtorem poſtulat. At cum Eccleſia Vniuerſalis ſit maximus Chriſti grex, qui ex omnibus Chriſti ouibus conſtat: ſi vnicuique Eccleſiæ, quæ minorem gregem ſibi vendicat, ſuo Paſtore, ac Epiſcopo opus eſt; cur non, & Vniuerſalis Eccleſia maximum ſuum Paſtorem, ac Pontificem habere debet, qui totum Chriſti Gregem curet, & ipſum à direptione, & luporum deuoratione vendicet? Porrò eum dumtaxat eſſe poſſe, qui ex diuina inſtitutione Petro ſuccedit, in 7. Regula fusè demonſtrauimus.

Ezech. 34.

Vides itaque (Lector) Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Pontificum decretis, Imperialibus edictis, antiquiſſima Eccleſiæ praxi, rationeq. tum ex ſcripturis, tum ex ipſa rei natura deprompta: Sacrum Romanorum Pontificum in Eccleſia Principatum à nobis copiosè tibi demonſtratũ fuiſſe. Supereſt, vt re maturè apud te ipſum conſiderata, ac prudentiſſimo animo deliberata, Vicariam Chriſti dignitatem, quam tot clariſſimi Imperatores, ac Reges in Romano Pontifice agnouerunt, ſuſpexerunt, coluerunt, ac venerandam ſanxerunt: Tu quoque ijs animi Religione non inferior, agnoſcas, & ſuſpicias: tum præclariſſimum Fidei Doctorem, ac Magiſtrum Hieronymum ſortitus, ijs, quibus ille Damaſum Romanæ Sedis Epiſcopum olim affatus eſt verbis, eiſdem tu Romanum Pontificem Vrbanum VIII. ac ſanctiſsimum Patrem tui amantiſsimum proſequaris, atque ex imo pectoris ſinu expectatiſsimas has voces de-

depromas: *Ego nullum primùm, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri cõmunione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, prophanus eſt: quicumque tecum non colligit, ſpargit.* Hiero. ep. 57. ad Damaſ.

CONSILIVM OCTAVVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (quicũq; Apoſtolicus haberi vis) *in Romana tãtùm Eccleſia Apoſtolicam, & nunquam interruptam Pontificum ſucceſſionem ſeruari: ac proinde eam ſolam veram, & Apoſtolicam Religionem eſſe.*

Concilium generale Nicenum, & Conſtantinopolitanũ primum, quæ inter quatuor illa Eccleſiæ Concilia adnumerantur, de quibus Gregorius, velut quatuor Euangelijs fidem adhibendam eſſe vult, dum in ſymbolo, veram Eccleſiam Apoſtolicam credendam eſſe decernunt, illis verbis: *Credo vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam:* Illud planè (Lector) tibi conſilium adminiſtrant: vt eam dumtaxat Religionem amplectaris, quæ ab Apoſtolis fundata Apoſtolica nuncupatur, & cum perpetua, ac nunquam interrupta Pontificum ſucceſſione, certum, vt cum Irenæo loquar, veritatis chariſma accepit. Nam quo pacto Eccleſia, Apoſtolica appellari poſſet; niſi ea ab Apoſtolis, præſertim à Petro Apoſtolorum vertice, per legitimam ſucceſſionis lineam, originem duceret? præclara enim ſunt Chriſti verba, quæ Eccleſiam in Petro ædificandam affirmant. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Math. 16. Hanc verò Eccleſiæ ædificationem quandoquidem non in Petro dumtaxat terminandam (ne Eccleſiam cum Petro extinctam credere contingat): ſed perpetua Romanorum Pontificum, qui Petro ſuccederent, ſucceſſione diffundendam fore, vt Eccleſiam ab Inferorũ portis, à quibus nullo vnquam tempore opprimenda eſt, vendicemus: in 2. Regula ſuperiùs euicimus: Hic quid de Ro-

Romanæ Religionis ſucceſsione ſentiendum ſit, aperiendum erit, vt Apoſtolicæ vtriuſque, & Eccleſiæ, & Pontificis Romani ſucceſsio perſpecta fiat.

Nullum antiquis Patribus ad veram, tum Fidem, tum Religionem declarandam, præclarius vnquam argumentũ viſum fuit, quàm vt in Romana Eccleſia incorruptam Pontificum ſucceſsionem à B. Petro exorſam, ad ſua vſque tempora ſeruari demonſtrarent: Neque enim abſque Dei conſilio factũm credebant, quod cæteris Apoſtolicis Eccleſijs, Antiochena, Epheſina, Alexandrina, ac Hieroſolymitana ab Infidelibus occupatis, vel ſchiſmate, aut hæreſi infectis, ex quo in his ſucceſsionis linea abrupta eſt; hæc vna Romana Eccleſia, Petri ſedes, ac omnium Eccleſiarum Mater, perpetuam Pontificum ſucceſsionem nunquam corruptam retinuerit. In ea ſiquidem, velut in Matris ſinu, Deus Opt. Max. Veram Fidem, ac Religionem ita ſaluam, & incolumem ſeruare decreuerat: vt hac Romanorum Pontificum ſucceſsione ſtante, vera Fides, ac Religio nunquam dilaberetur.

Atque hinc Irenæus antiquiſſimus Pater lib. 3. c. 3. nulla aliarum Eccleſiarum habita ratione, Romanæ tantummodò Eccleſiæ ſucceſſionem commemorat; ac Romanos Pontifices à Petro vſque ad Eleutherium tunc ſedentem enumerat; vt veram Eccleſiam, & cum ea veram fidei doctrinam, veræ Eccleſiæ comitem oſtendat. Audi obſecro (Lector) quanti antiquiſsimus hic Pater Romanæ Eccleſiæ ſucceſsionem faceret: atque ex eo quàm magni tibi faciẽda ſit, ſapienter iudica: *Sed quoniam* (inquit) *valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à Glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quã habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam glo-*

Iren l. 3. c. 3.

gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio. Quibus (obſecro) verborum ornamentis poterat Irenæus Romanę Eccleſiæ ſucceſsionē magis illuſtrare? Vides (Lector) primùm Romanam Eccleſiam maximam, antiquiſsimam, toto orbe conſpicuam, denique à Petro fundatam prædicari: Audis Romanæ tantummodò Eccleſiæ ſucceſsionem, cæteris Eccleſijs poſthabitis, magnificari: Audis ex hac Romanorum Epiſcoporum ſucceſsione Apoſtolicam doctrinam, & Catholicam fidem demōſtrari: eaq. vniuerſos ſectarios, qui longè ab ea ſucceſsione abſunt, confundi: Audis Romanæ Eccleſiæ ſuper omnes alias orbis Eccleſias propter Pontificum ſucceſsionem primatum fuiſſe collatum: Audis tandem in ſola Romana Eccleſia Apoſtolicam fidem ſimul cum ſucceſsione intemeratam cuſtodiri: ita vt quicumque inter fideles, & Eccleſiæ filios haberi volunt ab ea veræ fidei lac ſuggere debeant.

At neque his contentus, fortiùs adhuc alibi hoc ipſum argumentum vrget, cum addit: *Reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſsione, quocumque colligantur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ: vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes.* Caueant ab Irenæo, Proteſtantes, Puritani, Lutheriſtæ, & quotquot à Romanorum Pontificum ſucceſsione ſe ipſos diffuunt: videantq. ſe ad ſchiſmaticorum, & Hæreticorum quiſquilias relegari. Idem lib. 4 c. 43.

Irenæo adſtipulatur Tertullianus: qui lib. de Præſcript. Hęret. ex ſola Romanorum Pontificum ſucceſsione aduerſus Hæreticos præſcribit, his verbis: *Edant origines ſuarum Eccleſiarum: euoluāt ordinem ſuorum Epiſcoporum ita per ſucceſsiones ab initio decurrentem:* tum poſt pauca. *Sicut Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatum edit.* Tertullian.

Hoc quoque Argumento Optatus Mileuitanus Dona-

Yy tiſtas,

tiſtas, qui ſibi haud ſecus, quàm hac tẽpeſtate Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, atque alij Religioniſtæ, veram Eccleſiam arrogabant, vt veram Eccleſiam penes ſe eſſe demonſtret, prouocat his verbis contra Parmenianum Donatiſtam ſcribens: *Negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt: in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderẽt, vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſsit Linus &c. Iulio ſucceſsit Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Syricius hodie, qui noſter eſt ſocius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna Communionis ſocietate concordat.* Poſtremò ex hac Romanorum Pontificum ſucceſsione illos coarguens, addit: *Vos veſtræ Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.*

Opta.con. Donatiſt. l.2.

Optato cõtemporaneus S. Auguſtinus hoc ipſo Romanæ ſucceſsionis telo eoſdem Donatiſtas aggreditur epiſt. 165. Vt veram apud eos Eccleſiam non eſſe confirmet: *Si ordo* (inquit) *Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus; cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Petro enim ſucceſsit Linus, &c. Liberio Damaſus, Damaſo Siricius, Syricio Anaſtaſius ... In hoc ordine ſucceſsionis nullus Donatiſta inuenitur.* Atque adeò certum hoc Demonſtrationis genus ad veram Religionem declarandam, eſſe contendit, vt hoc Romanæ ſucceſsionis vinculo, ſe in Eccleſia teneri affirmet contra ep. Fundamenti ſcribens. *Multa ſunt* (ait) *quæ me iuſtiſsimè tenent in Eccleſiæ Catholicæ gremio. Tenet conſenſio Populorum, & Gentium: tenet auctoritas miraculis incohata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa ſede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas Dominus poſt Reſurrectionem ſuam*

S.Aug.ep 165.

Cont. epi. Fũdam.c.4

com-

commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum, Sacerdotum ſucceſsio. Peto (Lector) vt mecum Auguſtini mentem, & verba expendas. Manichæus erat Auguſtinus, & ab Eccleſia ſeiunctus; quænam vera Religio eſſet, aſsiduè quærebat. Attamen cogitationum fluctibus vndique exagitatus animus, quò ſe verteret, aut vbi veram Eccleſiam, ac Religionem quæreret, ignorabat. Plurimæ illi ſectæ, quæ Eccleſiæ imaginem gererent, ſeſe amplectendæ offerebāt, iam enim in Manichæorum ſectam, in qua eatenùs vixerat, ac edoctus fuerat, illum incidiſſe pœnitebat; quid tandem illum ad Eccleſiam Catholicam compulit? quo ſymbolo illam veram Eccleſiam, ac Religionem eſſe agnouit? Plurimis ſanè: at illud poſtremum, ac potiſsimum fuit, quod in ea Pontificum ſibi inuicem ſuccedentium, nunquam interruptam ſeriem à Petro exorſam aſſeruari perſpexit. Tanta quippe huic ſucceſsioni vis ad Religionis veritatē demonſtrandā ineſt, vt ab illa exerrantes reuocare poſsit, & in ea incedentes ab omni erroris ſuſpicione tutos ſibi vendicet.

Quod etiam egregiè explicat Origenes in procem. lib. 1. Periarchon. *Cum* (inquit) *multi ſint, qui ſe putant ſentire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diuerſa à prioribus ſentiant: ſeruetur verò Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſsionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in Eccleſijs permanens.* Quibus verbis Origenes aduerſarios tacitè coarguit, qui non ſucceſsionem, ſed veram doctrinam veræ Religionis ſymbolum conſtituunt. At Origenes eam tantùm veram doctrinam agnoſcendam docet, quæ per ſucceſsionis ſeriem ab Apoſtolis profecta, hactenùs in Eccleſia aſſeruatur. Et quidem cum tam multæ doctrinæ ſint, quæ ab aduerſarijs circumferūtur, miram pietatis ſpeciem præſeferentes; Chriſti merita attollentes; vnius dumtaxat Dei adorationem celebrantes; fidei præmia exaltātes; ſcripturarum vim præ omnibus efferentes: quæ ratio eſt, cur eas tantoperè vera Eccleſia execretur? Ea ſanè, quod cū nihil prorſus cum antiquis commune habeant, ab Apoſto- Origenes.

licæ ſucceſsionis ordine hoc ipſo ſe abhorrere declarant.

Porrò ea cauſa eſt, cur in fidei doctrina tantoperè antiquitatem exquirimus, ac recentes doctrinas, velut veræ fidei peſtes, procul abijcimus: nam quæ cum antiqua Pontificum ſucceſsione doctrina ad nos perlata eſt, vera, ac Apoſtolica iure ab omnibus cēſetur: eas verò, quæ ab horum ſucceſsione procul abſunt, non ab Apoſtolis traditas, ſed Apoſtolicæ diſciplinæ perduelles meritò exiſtimamus. Quod etiam æquum eſt nos de Religione ſentire: vt ſcilicet ea nobis tantùm Religio tanquam vera, & Apoſtolica commendetur, quæ cum Pontificum ſucceſsione certum Apoſtolicæ veritatis teſtimonium ſibi vendicat: ea verò omnis quocumque nomine nuncupetur, quæ ab Apoſtolica ſucceſsione diſtat, velut Apoſtolis inaudita, ac inuiſa, à toto Chriſtiano orbe expellatur.

Denique hoc commune fuit antiquorum Patrum argumentum, qui veram Fidem, ac Religionem ex Romanę Eccleſiæ ſucceſsione nunquam interrupta collegerunt. Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum: Ambroſius ad c. 3. 1. ad Thimoth. Cyprianus ep. 55. & lib. 4. ep. 9. Auguſtinus ep. 165. Origenes in Procemio l. 1. Periarchon: Irenæus lib. 3. c. 3. & lib. 4. c. 43. Tertullianus de Præſcript. hæret. Euſebius Cæſar. in chronico: Epiphanius hæreſi 17. & alij quã plures. Ex quibus id conficio. Quod ſi Irenæus poſt centum ſexaginta tantùm annos, Tertullianus poſt ducentos, Euſebius poſt trecentos viginti, Epiphanius poſt trecentos octuaginta, Hieronymus, Auguſtinus, Optatus poſt quadringentos annos Romanorum Pontificum ſucceſsionem tanquam veræ Eccleſiæ teſtem produxerunt; cur eandem nobis poſt 1634. annos in veræ Religionis teſtimonium proferre non liceat?

Quapropter ne hìc aliquid (Lector) deſideres, breuem Chronologiam, ac ſucceſsionem Romanorum Pōtificum, in Romana Eccleſia à Petro exorſam, iuxta antiqua, ac fideliſsima Romanæ Eccleſiæ monumenta, & concordé Hiſto-

ſtoriographorum ſententiam hic deſcribere volui, vt eam præ oculis habeas, in eaq. veræ Religionis ſedem contemplari queas.

Petrus igitur primus poſt Chriſtum Eccleſiæ Pontifex à Domino inſtitutus, cum Antiochiæ annis ſeptem ſediſſet, poſtea iubente Chriſto Romam venit ſub Tiberio Cæſare, & Romanam Cathedram vigintiquinque annis adminiſtrauit, ac Romanus Pontifex primus appellatus eſt. Tum Petro ſucceſsit. Anno 34.

Ann. ſalutis noſtræ 70. Linus
81 Cletus.
93 Clemens.
103 Anacletus.
112 Euariſtus.
121 Alexander.
132 Sixtus.
142 Teleſphorus.
154 Higinius.
158 Pius.
167 Anicetus.
175 Soter.
179 Eleutherius.
194 Victor.
203 Zephirinus.
221 Calixtus.
227 Vrbanus.
233 Pontianus.
238 Anterus.
239 Fabianus.
254 Cornelius.
256 Lucius.
257 Stephanus.
Sixtus II.
261 Dionyſius.
273 Felix.
275 Eutichianus.
284 Caius.
292 Marcellinus.
304 Marcellus.
309 Euſebius.
311 Melchiades.
314 Silueſter.
336 Marcus.
337 Iulius.
352 Liberius.
367 Damaſus.
385 Siricius.
398 Anaſtaſius.
401 Innocentius.
416 Zoſimus.
419 Bonifacius.
423 Celeſtinus.
432 Sixtus III.
440 Leo Magnus.
461 Hilarius.
467 Simplicius.
483 Felix II.
492 Gelaſius.
496 Anaſtaſius II.
498 Symmachus.
514 Hormiſda.
523 Ioannes.

Felix

Digitized by Google

526 Felix III.
530 Bonifacius II.
532 Ioannes II.
534 Agapetus.
535 Siluerius.
537 Vigilius.
556 Pelagius.
561 Ioannes III.
575 Benedictus.
579 Pelagius II.
590 Gregorius Magnus.
604 Sabinianus.
605 Bonifacius III.
606 Bonifacius IV.
613 Deuſdedit.
617 Bonifacius V.
622 Honorius.
637 Seuerinus.
638 Ioannes IV.
640 Theodoretus.
647 Martinus.
654 Eugenius.
657 Vitalianus.
672 Adeodatus.
676 Domnus.
679 Agatho.
682 Leo II.
684 Benedictus II.
685 Ioannes V.
686 Conon.
687 Sergius.
701 Ioannes VI.
705 Ioannes VII.
707 Siſinius.
708 Conſtantinus.

716 Gregorius II.
731 Gregorius III.
741 Zacharias.
752 Stephanus II.
753 Stephanus III.
757 Paulus.
768 Stephanus IV.
772 Adrianus.
796 Leo III.
816 Stephanus V.
817 Paſchalis.
824 Eugenius II.
827 Valentinus.
828 Gregorius IV.
844 Sergius II.
847 Leo IV.
855 Benedictus III.
858 Nicolaus.
867 Adrianus II.
872 Ioannes VIII.
882 Martinus I.
884 Adrianus III.
885 Stephanus VI.
891 Formoſus.
895 Bonifacius VI.
896 Stephanus VII.
Romanus.
901 Theodorus.
Ioannes IX.
905 Benedictus IV.
Leo V.
908 Chriſtophorus.
Sergius.
910 Anaſtaſius.
912 Lando.

Ioan-

913 Ioannes X.
928 Leo VI.
929 Stephanus VIII.
930 Ioannes XI.
935 Leo VII.
939 Stephanus IX.
942 Martinus II.
946 Agapetus II.
956 Ioannes XII.
965 Benedictus V.
966 Ioannes XIII.
972 Domnus II.
972 Benedictus VI.
975 Benedictus VII.
984 Ioannes XIV.
985 Ioannes XV.
994 Ioannes XVI.
995 Gregorius V.
998 Silueſter II.
1003 Ioannes XVII.
Ioannes XVIII.
1009 Sergius IV.
1012 Benedictus VIII.
1024 Ioannes XIX.
1032 Benedictus IX.
1045 Gregorius VI.
1047 Clemens II.
1048 Damaſus II.
1049 Leo IX.
1055 Victor II.
1057 Stephanus X.
1059 Nicolaus II.
1061 Alexander II.
1073 Gregorius VII.
1086 Victor III.
1088 Vrbanus II.
1099 Paſchalis II.
1118 Gelaſius II.
1119 Calixtus II.
1124 Honorius II.
1130 Innocentius II.
1143 Celeſtinus II.
1144 Lucius II.
1145 Eugenius III.
1153 Anaſtaſius IV.
1155 Adrianus IV.
1159 Alexander III.
1181 Lucius III.
1185 Vrbanus III.
1187 Gregorius VIII.
1188 Clemens III.
1191 Celeſtinus III.
1198 Innocentius III.
1217 Honorius III.
1222 Gregorius IX.
1241 Celeſtinus IV.
1242 Innocentius IV.
1254 Alexander IV.
1261 Vrbanus IV.
1265 Clemens IV.
1271 Gregorius X.
Innocentius V.
1276 Adrianus V.
Ioannes XX.
1277 Nicolaus III.
1281 Martinus IV.
1283 Honorius IV.
1288 Nicolaus IV.
1294 Celeſtinus V.
1295 Bonifacius VIII.

Be-

1303 Benedictus X.
1305 Clemens V.
1306 Ioannes XXI.
1334 Benedictus XI.
1342 Clemens VI.
1352 Innocentius VI.
1362 Vrbanus V.
1371 Gregorius XI.
1378 Vrbanus VI.
1389 Bonifacius IX.
1404 Innocentius VII.
1406 Gregorius XII.
1409 Alexander V.
1410 Ioannes XXII.
1417 Martinus V.
1430 Eugenius IV.
1447 Nicolaus V.
1455 Calixtus III.
1458 Pius II.
1464 Paulus II.
1471 Sixtus IV.
1484 Innocentius VIII.
1492 Alexander VI.
Pius III.
1503 Iulius II.
1513 Leo X.
1522 Adrianus VI.
1523 Clemens VII.
1534 Paulus III.
1550 Iulius III.
1555 Marcellus II. Paulus IV.
1560 Pius IV.
1566 Pius V.
1572 Gregorius XIII.
1585 Sixtus V.
1590 Vrbanus VII. Gregorius XIV.
1591 Innocentius IX.
1592 Clemens VIII.
1605 Leo XI. Paulus V.
1621 Gregorius XV.
1623 VRBANVS VIII.

En tibi (Lector) perfectam, ac nunquam interruptam Romanorum Pontificum, vſque ad præſentem Pontificem Vrbanum Octauum, Virum planè omni prudentiæ, cæterarumque Virtutum, ac præſertim pietatis, ac Religionis laude clarum, in Romana Eccleſia ſucceſſionem: quæ vt veram, & Apoſtolicam Religionem Dei ſpiritu genitam, atque in orbe Apoſtolico labore ſatam commendat: ita quoque veræ, & Apoſtolicæ fidei, & doctrinæ hæredem declarat: quæ cum perpetua Pontificum ſerie apud illam integra, atque incorrupta permanet.

At verò (inquis) ex oppoſito Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, ac cæteri pugnant: id ſanè non ignoro: Nã Caluinus

uinus in primis lib.4. Inſtit. c 2. Vanam eam ſucceſſionem eſſe contendit, quæ cum virtutum imitatione non eſt coniuncta. *En* (inquit) *quid valent ſucceſſio: niſi imitatio etiam coniuncta ſit*. Hinc poſt Caluinum plurimas in Romanos Pontifices calumnias Caluini ſectatores congerunt: dum falſam Antitheſim inter Petrum, & Romanum Pontificem confingunt. Ioan.8.

At verò quàm ineptè id nobis obijciat Caluinus: hinc Lector facilè euinces. Nam ſi de ea ſucceſſione, quæ ex generis propagatione fit, aut de ſingulari perſona, res eſſet, non ægrè id Caluino elargirer, vt temporalem ſucceſſionem minimùm cuique apud Deum prodeſſe exiſtimarem, ſi ſpiritualis ſucceſſio deſit, quæ per fidei, ſpei, charitatis, ac cæterarum virtutum imitationem comparatur; id enim apertè docet Chriſtus apud Lucam 3. cum Hebræos fruſtrà Abrahæ genus iactantes redarguit, dicens. *Nolite dicere, Patrem habemus Abraham*, & Ioannis 8. *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Sed cum non de ſingulari Pōtificis perſona, verùm de Pontificia dignitate, quæ non generis propagatione, ſed diuina inſtitutione acquiritur, à nobis agatur: errat profectò Caluinus, cum perſonam cū dignitate confundit, atque inter hæc diſtinguere neſcit: Quid? an non inter gradum, & perſonas Saluator diſtinguere docuit apud Matt.28. cum Scribarum, & Phariſæorum dictis parendum monuit; vitia autem illorum fugienda eſſe mandauit. *Omnia* (inquit) *quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite; ſecundùm verò opera eorum nolite facere*. Num ex Hebræorum Pontificibus ij gradu exciderunt, aut in ijs Pontificia dignitas collapſa, aut labefactata fuit, qui ſe aliqua impietate contaminarunt? Luc.3. Matth.23.

Haud equidem inficior; temporalem ſucceſſionem quā minimùm Pontificis perſonæ præſtare, ſi is virtutibus, ac cæleſtibus donis, quibus Pōtificis vita exornari debet, expoliatus fuerit. At in Pontifice non tàm ſingularem perſonam, quàm Pontificiam dignitatem à Deo inſtitutā ſpe-

Zz cta-

ctamus; in qua vera, ac legitima ſucceſſio attendenda eſt: Hanc quidem omni vitio carere opus eſt, cum optima ſit, atque à Deo inſtituta; necnon ab humanæ voluntatis legibus, vnde vitia oriri poſſunt, quàm longiſsimè abſit. Illam verò, ſi interdum humani quidpiam pati contingat, humanæ tantùm infirmitatis, ac imbecillitatis teſtimonium eſt, quo perſona, non dignitas maculatur.

Neque enim exiſtimandum eſt, Chriſtum Dominum, cū ouium paſcendarum curam Petro demandauit, id efficere voluiſſe; vt à ſingulari Petri dumtaxat perſona Pōtificiam dignitatem pendere vellet; aut Petrum tantùm ad id munus eueheret: ſed Pontificiam dignitatem in Petro ita erigere voluit (vt aliàs demonſtratum fuit) vt perpetua in Pontificibus Petri ſucceſſoribus permaneret; ita vt quotquot Petro deinceps diuina Electione ſuffecti eſſent, Pontificij ſtatus dignitatem obtinerent, quæ nullis Pontificum vitijs labefactari poſſet: ſed ea integra, & ſancta (vt ait Sanctus Leo ſerm. 2. in Anniuerſar. aſſumpt. ſuæ ad Pontificatum) etiam in indigno hærede nunquam deficeret. Hęc ad Caluiniſtarum obiectionem ſatis dicta ſint, qui ex mala quorundam Pontificum vita Pontificiæ dignitatis candorem labefactari, ac legitimam Pontificum ſucceſsionem diſrumpi poſſe contendunt.

Ad Lutheriſtas accedo; qui vt Romanorum Pontificum ſucceſſionem euertant, omnem ab Eccleſia Perſonarum ſucceſsionem tollunt: eamq. tantummodò in vera doctrina collocāt: ſic Philippus quidam de Mornay ex Luthero, Brentio, Muſculo, Caluino, & alijs colligit, hoc argumento *Eccleſia vera doctrina, non perſonis innititur: igitur Perſonarum ſucceſſio non poteſt eſſe vera Eccleſiæ nota.* Antecedens inde probat, quòd Nero ſucceſſerit Auguſto, & Commodus Marco Aurelio, & Manaſſes Ezechię, & quāplures in Eccleſia Romana Pontifices mali extitere, qui tamen bonis ſucceſſerunt: quod ſi Perſonarum ſucceſſioni, non ſanæ doctrinæ Eccleſia inniteretur; poſſet Eccle-

Philipp. de Mornay tract. de Eccleſia.

ſia

ſia ex infidelibus, & Hæreticis tantummodò conſtare, qui veram fidei doctrinam non profitentur. Quarè Tertullianus de Præſcr. Hæret. cum ait, conſanguinitatem doctrinæ requiri: Et Irenæus lib. 4. c. 42. cum ait, illis Presbyteris obaudiendum eſſe, qui chariſma veritatis acceperunt, ad puram doctrinam neceſſariam Eccleſiæ notam referunt. Tertullian. Irenæus.

Hic tuum (Lector) candidum iudicium requiro: An non Philippus egregius ſophiſta eſt; qui cum à vera doctrina veræ Eccleſiæ probationem inſtituiſſet, eam mox à moribus venatur. Quid quæſo morum probitati, vel improbitati cum doctrinæ veritate, aut falſitate commune eſſe poteſt? Bono Samueli ſucceſsit in Regno Iſraelitico malus Saul; num is propterea hæreticus, aut infidelis fuit. Num veram Eccleſiæ ſucceſsionem proſcindit, quòd malus bono ſuccedat, ſi is in fide integer maneat? Planè ſi ita eſt, quòd morum corruptionem veræ doctrinę interitus ſequatur: planè de Lutherana, & Caluiniana Religione actum eſt: fateatur Philippus neceſſe eſt, iugulatam apud Lutheranos, & Caluiniſtas eſſe veram fidei doctrinam: vbi tam aperta morum improbitas vbique ſpectanda ſe offert.

Verùm hoc Philippi, & aliorum argumentum lubet ſeriùs examinare: Eccleſiam vera tantùm doctrina, non perſonis internoſci, aiunt: ſi rudes, ſi ignari, ſi vulgares homines, ſi plebs denique ſola Eccleſiam conſtitueret: id fortè ſuſpicandum eſſet. Nam cum huiuſmodi in Eccleſia nulla ſucceſsione teneantur, non eſſet cur in Eccleſia ſucceſſio quærenda eſſet: ſed cum non tantùm rudes, ac gregales homines, ſed etiam Paſtores in Eccleſia à Deo conſtituti ſint, ex quibus propterea Eccleſiaſtica ſucceſsio ortũ habet, quòd hi perpetuò veram doctrinam fidelibus populis tradere, ac in Eccleſia cuſtodire debeant: inde non ſolam doctrinam ad Eccleſiæ notam ſufficere, ſed priùs Paſtorum ſucceſsionem, à quibus vera doctrina petenda eſt, neceſſariam dicimus. Id docent Tertullianus, & Irenæus his locis, quos Philippus perperam ſibi vendicat. Nam

Tertullianus cum doctrinę conſanguinitatem cum Apoſtolica doctrina commendat, id ait, quod vniuerſa Eccleſia Catholica contra Caluiniſtas docet: nimirùm, eam ſolam doctrinam in Eccleſia veram cenſendam eſſe, quæ per omnia cum antiqua doctrina conſpirat, & Apoſtolicæ doctrinæ conſanguinea eſt. At quæ ea ſit, ibidem aperit, cum ait, eam Apoſtolicam doctrinam cenſeri, quæ ad nos vſque per legitimos Eccleſiarū Apoſtolicarum Paſtores delata eſt. *Quid* (inquit) *Apoſtoli prædicauerint, & hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt.* Ex quo tandem infert; omnes illas doctrinas, velut ſuſpectas, reſpui debere, quæ vel cum antiquitate pugnant, vel cum ea doctrina non conſpirant, quæ ab Eccleſiæ Paſtoribus tradita eſt. *Si* (inquit) *hæc ita ſunt, conſtat omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus, & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum.*

Vides (Lector) Tertullianum, quem ſuæ cauſæ primum ſibi Patronum Philippus adſciuerat, apertè illi aduerſari: neque eum vnquam ſenſiſſe, ſola vera doctrina veram Eccleſiam agnoſci: ſed potiùs veram doctrinam legitima Paſtorum ſucceſsione probari: ita vt priùs legitima Paſtorū ſucceſsio quærenda ſit; tum ex ea vera doctrina exploranda, vt ex his tandem vera Eccleſia, velut certiſsimo ſymbolo, deprendi queat.

At neque illi magis fauet Irenæus, quin potiùs miror, qua fronte illum proferat, cum apertiſſimè cum ipſo pugnet. Hæc Irenæi verba ſunt, quæ ille citat. *Quapropter eis, qui ſunt in Eccleſia Presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus; qui cum Epiſcopatus ſucceſsione chariſma veritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſsione, & quocumque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi Hæreticos, vel malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes,*

Irenęus.

tes, & elatos, & ſibi placentes. Quid magis his verbis Irenæus commendat, quàm legitimam in Eccleſia Paſtorum ſucceſsionem; ex qua certum veræ doctrinæ chariſma defluere, præclarè agnoſcit? Quibus, obſecro, verbis euidentiùs tum Philippi, tum Caluiniſtarum, ac Lutheranorum ſententiam proſternere potuiſſet, quàm quòd eos docet ſuſpectos, ac Hæreticos habēdos eſſe, qui veram doctrinam aliundè, quàm à legitima Paſtorum ſucceſsione deſumunt? id planè eſt, ac ſi apertè diceret: veram Eccleſiæ doctrinam ad Paſtorum ſucceſsionem eximinandam eſſe, ac propterea priùs legitimam Paſtorum ſucceſsionē, tanquam veræ doctrinæ traducem, ac Magiſtram quæri oportere, quàm ipſam doctrinam: quæ tandiù ſuſpecta eſſe debet, donec ab Eccleſiaſtica ſucceſsione probetur. Ex his patet verborum Irenæi ſenſus.

At certè exiſtimo tàm Philippum, quàm cæteros aduerſarios falli, dum arbitrantur nos Paſtorum ſucceſsionem à vera doctrina ſeiungere; ac ſeiunctã veræ Religionis ſymbolum ſtatuere: quaſi Paſtorum ſucceſsio per ſe abſque vera doctrina conſiſtat; aut veram Eccleſiam demonſtrare ſufficiat. At addiſcant, quæ ſit Catholicorum ſententia. Id enim Catholici aſſerunt, legitimam Paſtorum ſucceſsionem in Eccleſia nunquam omninò à vera doctrina diuelli poſſe: id enim ſæpe pollicitus eſt Chriſtus, cum Diſcipulos alloquens, quos Paſtores Eccleſiæ conſtituerat, quique vniuerſos Eccleſiæ Præſules repræſentabant, ait Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis &c.* Ioan. 14. & infrà: *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Itē Matt. 28. *Ecce ego vobiſcũ ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Matth. 28. Quapropter cum eam inter certiſsimas veræ Religionis notas reponimus, nunquam à vera doctrina ſecernimus. Neque tamen id ita accipi æquum eſt, quaſi nullus Eccleſiæ Paſtor à vera doctrina poſsit excidere; cum pleroſq. decidiſſe compertum

ſit:

ſit: id tamen conſtanter aſſerimus, Paſtores nunquam ſimul omnes poſſe à fide deficere, & ſi qui fortè à fide deficiunt, non amplius Eccleſiæ Paſtores, ſed hoſtes potiùs cenſendos eſſe: Quamobrem eam dumtaxat legitimam Paſtorum ſucceſſionem agnoſcimus, qua legitimè ordinati, vnam eandemque cùm Apoſtolis orthodoxam doctrinam ſeruant.

Atque hanc Paſtorum ſucceſsionem, non veram doctrinam, licèt ea ſemper cum vera doctrina coniuncta ſit, veræ Religionis ſymbolum ſtatuimus; ea ratione, quòd ſucceſsio ſit prior, ac notior vera doctrina: ſicut inſtrumentū eſt prius ſuo effectu, vt tuba eſt prior ſono, truncus folijs, floribus, ac fructibus prior agnoſcitur. Eccleſia enim nullo modo abſque Paſtoribus veris, & legitimis poteſt conſiſtere: quod apertè docet Paulus, cum Rom. 10. ait, fidem ex auditu concipi: *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti: ſed quomodò audient ſine prædicante? & quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Præcedat ergo auditus fidem, quæ veram doctrinam complectitur, auditum prædicatio, prædicationem Miſsio, Miſſionem verò legitima Paſtorum electio, & ordinatio, vt ſuperiùs diximus. Hinc manifeſtum eſt, quòd cùm de vera doctrina plerumq. dubitare contingat, nulla certior via ſit ad illius veritatem inueſtigandam, quàm eam ab Epiſcoporum, ac Pontificum ſucceſsione, quæ veræ doctrinæ hæres eſt, quærere. Hac enim ratione Tertullianus de Præſcript. veram doctrinam aduerſus ſui temporis hæreticos venatur. *Apoſtoli* (inquit) *Eccleſias apud vnamquamque Ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ exinde cæteræ Eccleſiæ mutuatæ ſunt.*

Rom. 10

Tertullian.

Quamobrem ruit illa Philippi conſequentia: Quòd ſi ex Perſonarum ſucceſsione, non ex doctrina vera Religio agnoſceretur, ſequeretur Eccleſiam ex infidelibus componi poſſe; dummodò ibi perſonarum ſucceſſio ſeruaretur. Ruit, inquam, hoc malè elaboratum conſequens: quando-

qui-

Digitized by Google

quidem nec Perſonarum ſucceſſio, qualis illa eſt, quæ in Eccleſia à Deo inſtituta fuit, & quam nuper deſcripſimus, ſine vera doctrina eſſe poteſt: neque vera doctrina aliundè, quàm per os Paſtorum legitimè ſibi ſuccedentium eloqui vllo modo valet. Ita fit, vt Paſtorum ſucceſsio perpetua ſit verę doctrinę parens,& vera doctrina illius ſit quodammodò diuina quædam, ac legitima proles: quæ diuino ſpiritu concepta, nullos non tàm abortus timet, quàm perpetua propagatione excreſcit. *Donec*, vt ait Paulus, *occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Chriſti*.

Porrò, vt id (Lector) tibi velut certiſſimum perſuadeas: Romanam Eccleſiam nunquam à vera, & Apoſtolica doctrina exorbitaſſe: ſed in ea à ſuæ natiuitatis exordio ad hæc vſque tempora, perpetuò immobilem ſtetiſſe: ijs Catholicæ doctrinæ partibus prætermiſſis, de quibus in 8. Regula prioris partis huius libelli, in qua hoc ipſum argumētum aggreſſi ſumus, nulla à nobis mentio facta eſt: cætera, ac potiſſima dùntaxat fidei dogmata, quæ Romana Eccleſia in Lutheranis, Caluiniſtis, Proteſtantibus, Puritanis, atque alijs huius tempeſtatis Religioniſtis damnat ac perſequitur; hic ad antiquam, & Apoſtolicam priorum illorum temporum, quæ propiùs ab Eccleſiæ ortu abſfuerunt, doctrinam prouocare lubet: vt non modò perſonarum, ſed etiam verę doctrinæ ſucceſſionem in Romana Religione ſeruari, luce clarius tibi perſpectum fiat. Verùm vt breuitati conſulam, tam doctrinæ capita, quàm loca, ac teſtimonia, quæ afferentur, fideliter tantùm indicare volui, vt ea conſulere valeas.

Primùm igitur, vt ab ea fidei doctrina, quam de Deo Apoſtolica illa tempora tradidere, rem aggrediar: Docet Romana Eccleſia in diuinis eſſe vnitatem eſſentiæ, Trinitatem Perſonarum, atque inter eas conſubſtantialitatem: in ea verò perſonarum diſtinctione nihil eſſe priùs, aut poſteriùs, maius, aut minus, cauſam aut effectum, dominiū,

aut.

aut miniſterium, ſed omnimodam æqualitatem exiſtere: quam doctrinam olim oppugnarunt Montani, Praxeani, Noetiani, Sabelliani, Arriani, Donatiſtæ, Eunomiani, Priſcillianiſtæ, Seueritæ. Hac verò noſtra tempeſtate Lutherus in Enarratione Euangelij de Sancta Trinitate, vbi Trinitatis vocem reijcit: Michael Seruetus, qui tres perſonas in vna Deitate diſtinctas negat lib. 1. cont. Trinit Ioannes Caluinus lib. 1. Inſt. c. 13. §. 5. vbi ſepulta eſſe cupit nomina Trinitatis, perſonæ conſubſtantialitatis. Beza in magna confeſs fid. Gallica. art. 2. punc. 1. Vbi eſsentiam in tres perſonas diſtinctam aſserit: ac demum Trinitarij, ac Trideiſtæ in Polonia, Tranſiluania, & Lithuania.

Lutherus. Michael Seruet. Io. Caluin. Beza.

Hanc Romanæ Religionis doctrinam, tanquam Apoſtolicam, olim docuit Nicenum Concil. 1. in ſymbolo: Synodus 5. Conſtantinop. confeſſione, ſeu collatione 8. c. 1. his verbis. *Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vnam naturam, ſiue ſubſtantiam, & vnam Virtutem, & poteſtatem; Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs, ſiue perſonis adorandam, anathema ſit.* Concil. Toletanum 4. c. 1. Toletanum 6. c. 1. Toletanum 11. in confeſsione fidei. Concil. Arelatenſe 4. in confeſſione fid. Conc. Vvormatienſe, Concil. Lateranenſe c. 1. Docuere etiam antiquiſsimi Patres ex Græcis, Iuſtin. in expoſit. Orthodoxæ fidei. Athenagoras legat. pro Chriſtian. Origenes hom. 4. in Eſaiam. & lib. 1. de principijs c. 3. Athanaſ in ſymbolo, & de æterna ſubſtãtia Fil. & Spir. S. Baſilius in Hexamerõ hom. 10 Cyrill. Hieroſolym. catech. 16. Gregor. Nazianz. orat 29. Epiph. hęreſ. 57. Ex Latinis, Cyprianus de oration. Dominica. Hilarius de Synodis aduer. Arrianos. Ambroſ. lib. 2. de fid. c. 4. Damaſus in ſymbolo. Philaſtrius in hæreſi triformem Deum fac. Hieronymus ep. 57. ad Damaſum. Auguſt. de Ciuit. Dei l. 11. c. 10. & de Trinit. lib. 1. c. 41. Leo I. ſerm. 1. de Pentecoſte c. 3. Fulgent. ad Donãt. c. 2. & ad Traſimund. lib. 2. c. 1. & 11.

Conc. Conſtan.

Docet Romana Religiõ Filium eſſe verum Deum, de

vero

Digitized by Google

vero Deo, Patri conſubſtantialem, eſſentiam à Patre per generationem accepiſse, ac Patri per omnia in Deitate æqualem eſſe: cui doctrinæ olim refragati ſunt Acaciani, & Arriani, qui Filij conſubſtantialitatem expulerunt, Metangiſmonitæ, Photiniani, Actiani, Eunomiani, Albigenſes; noſtra verò ætate Lutherus in confutatione Latomianæ rationis vocem Homouſion, ideſt, conſubſtantialem à Filio repellit: Ioannes Caluinus lib. 1. Inſt. c. 13. §. 19. & 23. Filium à ſe, non à Patre eſse, neque eſſentiam à Patre accepiſſe, ſed à ſe habere contendit; ep. 2. ad Polonos Filium minorem Patre ſecundùm naturam diuinam aſtruit, locutionem Symboli Niceni Deum de Deo, lumen de lumine, velut impropriam, reijcit. Illyricus in gloſa compendiaria noui Teſtamenti, vocem hanc (Verbum diuinum) ad metaphoram trahit: Georgius Polandrata in diſput. Albana act. 5. diei Filiū Dei, ab altiſsimi Dei natura expellit.

Lutherus.

Caluinus.

Illyricus.

Georg. Blan.

Apoſtolicam doctrinam olim aſseruere: primùm Nicena Synodus in Symbolo. *Credo in vnum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, Filium Dei Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.* Concil. Sardicen. apud Theodoret. l. 2. c. 8. hiſt. Eccleſ. Concil. Bracarenſe 1. c. 3. Concil Toletanum 4. c. 1. Sexta Synod act. 1. Ex Græcis Patribus, Iuſtinus Martyr in expoſit. fid. & dialog. cum Triphone. Gregor. Thaumat in confeſs. fid. Cyrill Hieroſolym. catech. 4. de Chriſto, & 11. Epiphanius hæreſi 62. Ioannes Chryſoſt. de ſancta, & conſubſt. Trinit Baſil, hom. de fide. Ex Latinis, Tertullianus in Apolog c. 2 Zeno Veronenſis ſer. de æter. Filij generat. Hilarius in Pſal. 122. & lib. 8. de Trinit. Ambroſ. l. . de fid c 8. Philaſtrius c 19. de Arrianis Auguſtinus ſerm. 4. de Verb. Dom. c 4. & de Symb. ad Catech 1 2. c. 3. Ruffinus in expoſit. ſymboli. Victor Vticenſ. de perſecut. Vuandal. l . Fulgentius ſerm. de dup. Chriſti natiu. Gregor. Magn. in ſymbolo.

Docet Romana Religio, Spiritum Sanctum non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio procedere, tanquam ab vno principio, quam doctrinam Græci diu oppugnarunt; tandem in Concilio Florentino Latinorum argumentis victi, in eam conſenſerunt; at in Græciam reuerſi ad priſtinum errorem redierunt, quorum impietatem ſequuti ſunt hac noſtra tempeſtate, Ioannes Cazonouius epiſtol. ad Caluinum: Valentinus Gentilis Protheſi 36. & 37. Ioannes Somerus cont. Petrum Karolium lib.2.c.1. Chriſtianus Francus l.3. contr.Trinit. Cracouiæ impreſſo.

Hanc tamen doctrinam, velut Apoſtolicam, prioribus illis Eccleſiæ temporibus definiere: primùm Synodus Alexandrina epiſt. ad Neſtorium, his verbis: *Etſi ſpiritus in propria perſona ſubſiſtat, eatenùsq. in ſeipſo conſideretur, quatenùs ſpiritus eſt, & non Filius; non eſt tamen ab eo alienus, quandoquidem ſpiritus veritatis nominatur; Chriſtus autem veritas eſt, ſed & perinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit*. Hæc Epiſtola approbatur à Concilio Epheſino à 4. Synodo actione 1. & 5. à quinta Synodo act. vlt. à ſexta Synodo act.17. à Synodo 7. act.7. Deinde Concilium Toletanum primum in confeſſ. fid. in qua ita legitur. *Credimus in Spiritum quoque Paraclitum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre, Filioque procedens*. Toletañ. 3. c.1. Toletañ. 4. c. 1. Sextum c. 1. Octauum c. 1. Vndecimum in confeſſ. fidei. Concilium Vvormatienſe in profeſſione fidei. Concil. Lateraneñ. c. 1. eandem doctrinam tenendam ſtatuunt. Ex Græcis Patribus hanc tradidere, Gregor. Thaumat. in confeſſ. fidei. Athanaſ. in ſymbolo, & ep.1. ad Serapionem de Spiritu Sancto. Didymus Alexan. lib.2. de Spir.S. Baſilius Magn. aduer. Eunomium de Spiritu S. Cyrill. Hieroſol. catech. 17. Gregor. Nazianz. orat. 49. Nyſſenus hom.3. & 4. ſuper Pater noſter. Epiphanius in Ancorato. Chryſoſt. hom. 1. in ſymb. Apoſt. Cyrill. Alex. de recta ad Deum fide, ad Reginas l.13. Theſauri c. 1. & 2. & l.4. in Ioan. ep. 44. & lib. 10. c. 33. Ex Latinis, Tertullianus

Syr. Alex.

Conc. Tol. 1.

nus aduer. Praxeam c.8. Hilarius de Trinit. lib. 2. & ſerm. de Trinit. apud Gennad. Ambr. de Spir. S. ad Gratianum lib.1. cap.10. Damaſus in confeſſ.fid. Auguſtinus de Trinit. l.4. c.20. & lib.15. cap.29. aduer Maximin. Arrianum l.3. c.14. Fulgentius de fide ad Pet. c. 11. Caſſiod. in pſal.50. Leo Magn. ſer.de Pentecoſt. c. 3. Proſper de vit. contempl. l.1.c.18. Gregor.Magn. in confeſſ. fidei homil.26. in Euangelia, & l.3. Dial c.38.

Docet Romana Religio, contra VVielefrem Andream Caroloſtadium Dial. de cœna Dom. Zuuinglium contra Lutheri confeſſ. Ioannem Caluin. lib.2. inſtit.c.7. & lib.3. c.23. & ad c.11. Iob conc.43. Petrum Martyr.de Euchar. ſacr.contr. Gardin. Theodorum Bezam in Creophagia, Lambertum Danæum in Elencho Hæret. cap de fallacia. Deum eſſe omnipotentem; nec quicquam ipſius omnipotentiam effugere.

Hāc doctrinam à ſymbolo Apoſtolorum hauſtam ab initio confirmarunt Concil.Nic. 1. in ſymbolo Cōſtantinop. 1. in ſymbolo: ac reliqua omnia Concilia quæcumque orbis ætate celebrata in confeſsione fidei, quæ ipſa Concilia antecedit. Ex Græcis Patribus olim pro abſoluta Dei potentia, quam Caluiniſtæ negant, pugnarunt. Clemens I. l.8. Recognit. Dionyſ Areopag. de diu. nom. c 8. Iuſtinus òrat.ad Antoninum, & quæſt. 3. ad orthod. Athenagoras de Reſurrect. Irenæus lib. 1. c.6.& l.2.c.2. Clemens Alex. orat.ad Gentes. Didym. Alex. apud Damaſcenum in Paral. Cyrill.Hieroſol catech.8. Baſil.Conſt.Monaſt. cap.2. Epiphan.in Ancorato. Chryſoſt. in cap. 13. Gen.hom 34. Ioan.Damaſc.orthod.fid. l.1. c.8. Ex Latinis, Martialis ep. ad Tholoſanos c. 20. Tertullianus aduerſ. Praxeam c. 10. Arnobius adu. Gent.l.2. Lactantius de ira Dei c. 13. Hilarius ad pſal. 134. Ambroſius lib.6. ep. 37. Hieronymus ad c.40. Iſa. Auguſtinus de Ciuit. Dei. l.21. c. 5. & ſerm. 119. de temp. Eucherius hom.2. de ſymbolo: vbi apertè Caluiniſtas ſuggillat: qui aliqua à Deo fieri non poſse contendunt:

Eccleſ. 15. dunt: ita ſcribens: *Nec dicas* (inquit) *illud poſſibile eſt, illud fieri non poteſt, quia qui te magna credere iuſſit, omnipotens eſt, Diuinis rebus admiratio adhibenda eſt, non credulitas abnegãda: In omnipotentem te credere confirma: ſi de factis eius dubitas, imbecillitatem omnipotentis accuſas.*

Docet Romana Religio Deum optimum quoddam eſſe, cui infinita bonitas inſit, ac propterea mali alicuius auctorem non eſſe: quod negant Vvicleuus l. 2. Trialog. c. 3. Lutherus de ſeruo arbitrio. Philip. Melanchton ad c. 8. ep. ad Rom. Zuuinglius ſerm. de Prouid. ad Cattorum Principem c. 6. Petrus Martyr in c. 2. Samuelis. Io. Caluin. l. 1. inſt. c. 18. §. 1. & 4. & lib. 3. c. 23. Auguſt. Marlorat. in c. 9. ep. ad Rom. Beza in ſumma Chriſtian. cap. 2. aphor. 2. & & c 3 aphor 4. & paſſim.

Hanc ipſam doctrinam, quam ſacra pagina cunctis credendam proponit illis Eccleſiaſtici verbis. *Ne dicas. Ille me implanauit: Non enim neceſſarij ſunt ei homines impij: omne execramentum erroris odit Dominus. Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpacium peccandi.* aliiſq. Iacobi
Iacob. 1. Apoſtoli. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat.* Ab initio ſancta canone proſequuta eſt Eccleſia in Concilio Arauſicano 2. c. 25. his verbis: *Aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus: ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Id quoque confirmat Conc. Valent c. 2. Ex Græcis antiquis Patribus illud ipſum olim docuere, Dionyſ. Areop. de diuin. nom. c. 4. par. 4. Iuſtinus orat. 1. ad Gent. Irenæus l. 1. c. 29. qui oppoſitam ſcribit Cerdonis, & Marcionis hæreſim fuiſſe. Clemens Alex. Pædag. l. 1. 4. 5. Origen. dial. 3. de ortu, & cauſ. Malor & lib 6. contra Celſum. Athanaſ. orat. cont. Idola. Baſilius in Hexameron hom. 2. Gregor. Nazianz. inuect. 1. in Iulianum. Epiph. contra Caianos hæreſi 38. & 66. cont. Manichæos. Greg. Nyſſen. orat. catech. c. 7. Chryſoſtomus

hom.

hom.23. in Acta Apoſt. & in poſter. ad Tim. c.3. Iſidorus Peluſiota l.1. ep.240. Ex Latinis, Tertullianus contra Marcionem l.2. c.14. Ambroſ. l. 1. c.8. Hexameron, & lib.2. de Iſaac c.7. Prudentius de Hamartigenia. Philaſtrius cōtra Coluthianos, qui Deum malorum dicebant eſse factorem, hæreſi 31. Hieronym. ad cap.45. Iſaiæ, & in lament. Hierem. c.3. Auguſt. l.1. de lib. arbitrio c.1. & de peccat. mor. & rem. l.2. c.17. Gaudentius tract.3. de Dom. Paſch. Proſper. in reſponſ. ad Capit. Gall. c. 12. Leo I. ep.93. ad Thurib. c.6.

Docet Romana Religio: Chriſtum in illa vtriuſque diuinæ, & humanæ naturæ coniunctione, cuncta nouiſse; neque vlla ignorantia laboraſse: Cui doctrinæ poſt Gnoſticos, Arrianos, & Agnoitas, refragantur Lutherus conc. in natali Dom. Zuuinglius ad c.2. Lucæ: Lambertus Danæus in c.2. Lucæ. Martin. Bricerus ad c.24. Luc. Ioannes Caluinus in Harm. Euang. ad c.3. Matth. ad c. 9. 21. & 24. eiuſdem. Carol. Molin. in Harmonia.

Hanc tamen olim antiquiſſimi Patres, velut orthodoxā tradiderunt: Ex Græcis, Iuſtinus Martyr q.58. his verbis: *Si Chriſto ignorantiam adſcribere, impietatis eſt: certum fuerit, omnium eum obtinere præſcientiam perfectam*. Theophil. Antioch. l. 1. comment. in Euang. Clemens Alex. lib.1. Pędag. c.6. Athanaſ. diſp. cont Arrium, & ſerm. 4. cont. Arrianos. Baſilius epiſt. ad Amphilochium. Epiphan. in Anchor. Gregor. Nazianz. orat. 20. & 36. Io. Chryſoſto. ſerm. de Trinitate. Cyrillus Alex. anathematiſmo 4. & in Io. l.1. c.17. Victor Antiochenus ad cap.13. Marci. Titus Boſtreus ad c.2. Luc. Io. Damaſc. l 3. c. 2. orthod. fid. Ex Latinis, Hilarius de Trinit. l.9. Ambroſ. de fid. l.5. cap.8. Hieron. ad c.24. Matth. Auguſtinus de pecc. mor. & rem. l.2. c.29. & l.15. de Trinit. c.14. Proſper de prom. & prædict par.2. c.31. Fulgentius reſp. 3. ad Ferrandum Diac. Cernodorus ad pſal.9. Gregorius Magnus l.8. ep.42.

Docet Romana Religio. Chriſti Saluatoris animam, ſimul

ſimul ac morte à corpore ſepara ta fuit: ad inferos deſcendiſſe; ac Sanctorum animas, quæ in Limbo detinebantur, liberaſſe: quod velut fabulam reijciunt, Lutherus in pſal. 16. Zuuinglius in expoſit. fid. Bucerus ad c.27. Matth. Io. Brentius in catechiſ. Henricus Bullingerus decad. 1. in expoſ. ſymb. Io. Caluinus Inſt l.2. c.16. & ad cap.30. Iob Catechiſmus Geneuenſis editus anno 1562. Marloratus ad c.2. act. Apoſt. Beza ad c.2. act. Apoſt. Eraſmus Sarcerius in catechiſmo.

Huic doctrinæ velut Apoſtolicæ olim ſuos calculos tulere Synodus Ariminenſis apud Athanaſium de Synodo Arim. Conc. Ephel. in ſymb. circa med. Ex Græcis Patribus antiquiſſimis, Ignatius ep. ad Trallianos. Irenæus l.5. c.31. Hyppolitus de Conſummat. Mundi. Origenes hom. 15. in Geneſ. & ad c. 5. ep. ad Rom. Gregor. Neocæſar. orat. in Epiphan. Athanaſius de Incarnat. Chriſti. Cyrillus Hieroſol. catecheſi 4. Illuminat. Baſil. hom. in pſal. 44. Epiphanius hæreſ. 46. contra Tatianos, & hæreſi 69. contra Arrianos. Theophilus Alex. ep. 1. Paſchali. Io Chryſoſt. Demon. aduer. Gentil. quod Chriſtus ſit Deus. Cyrillus Alex. ad Theodoſ. de recta in Deum fide. Ex Latinis, Tertull. l. de anima c.55. Cyprianus de Vnct. chriſmatis. Iulius Firmicus de Myſt. & erroribus prof. Relig. c. 25. Hilarius l.10. de Trinit. & in pſalm. 53. Ambroſius de Myſterio Paſchæ c.4. Hieron. in pſal. 15. Ruffinus in expoſit. ſymboli. Gaudentius tract. 8. de lect. Exod. Auguſt. ep.99. ad Euodium, vbi eos, qui Chriſti deſcenſum ad inferos negant, infideles cenſet, his verbis. *Quis ergo, niſi infidelis negauerit fuiſſe apud Inferos Chriſtum?* & de Ciuit Dei l 20. c.15. Eucherius de quæſt. nou. teſtam. in Lucam. Fulgent. ad Traſim. l.3. c.31. Greg. Mag. l.13. mor. c.15. & 16.

Docet Romana Religio: Sanctos cum Chriſto iam in Cælo regnantes, pro nobis orare, atque orando patrocinari: ac propterea rectè, vt pro nobis apud Deum intercedant, inuocari: cui doctrinæ olim aduerſati ſunt, Vigilan-

tij,

tij, Vualdenſes, Lollardi, Cathari, Vuicleuiſtæ, : atque hac noſtra tempeſtate Lutheriſtæ, Caluiniſtæ, Puritani, &c. Lutherus in poſtilla Mauri. Zuinglius in opere articulorum art. 20. Bullingerus Decad 4. ſerm. 5. Melanchton in Antitheſi ver. doctr. & Pont. confeſſ. Heluet. c. 23. Caluinus, Beza, ac cæteri Caluiniſtæ in confeſſ. fid. art. 24.

Quam tamen velut Catholicam olim ſtatuerunt Conc. Chalced. act. 11. Sexta Synod. Conſtantinop. c. 7. Synodus 8. generalis ep. ad Adrianum. 2. Synodus Cabilonenſ. c. 1. Ex Patribus Græcis, Origen. li. 2. in Iob. & hom. 26. in num. Baſil. hom. 20. in 40. Mart. Ephrẽ ſer. de Sanctis Mart. Greg. Nazianz. orat. 18. quæ eſt in laudem Cypriani. Nyſſenus orat. in S. Theodorum Mart. Ioãnes Chryſ. hom. 26. in 2. ad Cor. Philo Carpathius in Cantica. Sozomenus l. 7. c. 24. Theodoretus Græcarum affect. l. 8. Ex Latinis Cyprianus de Stella. & Mag. Ambroſ. l. de Viduis, & ſer. 93. in Natali Martyrum Nazar. & Celſi. Damaſus de S. Agnete. Hierónym. in vita Hilarionis. Ruf. Eccleſ. hiſt. l. 2. c. 33. Gaudent. tract. in dedic. Baſil. conc. Sanctorum: Auguſt. de cura pro mortuis agend. cap. 4. & ſerm. 1. de S. Stephano. Paulin. Nolanus Natali 2. & 3. S. Felicis. Maximus Taurin. hom. de S. Agnete. Gregor. Turon. hiſt. l. 1. c. 5. Gregor. Mag. l. 3. Dial. c. 25.

Docet Romana Religio: Sanctos cum Chriſto triumphantes, pio cultu à Chriſtianis venerandos eſſe, quem cultum poſt Manichæos, Vigilantios, & Vuicleuiſtas ſuperſtitionis accuſant Lutherani, Caluiniſtæ: Lutherus in Euang. Dom. 23. Trinit. & epiſt. ad Erphodienſes. Io. Caluinus l. 1. Inſt. c. 11.

Cuius tamen cultus pietatem, ſancta Dei Eccleſia iam ab initio maximè fidelibus commendauit, ac decreuit. Primùm in Concilio Gangrenſi can. 20. hoc canone. *Si quis arrogantia vtens, & Martyrum congregationes abhorrens; & ſacra quæ in ijs celebrantur, & eorum memorias accuſet, Anathema ſit.* In Concil. Carthaginen. 5. c. 2. In Conc.

Ni-

Niceno 2. act. 3. Hanc doctrinam, velut ab Apoſtolis traditam, tuentur antiquiſſimi Patres. Ex Græcis, Clemens I. conſt. Ap. l. 5. c. 7. Iuſtinus Mart. apol. 2. Origenes hom. 3. in diuerſas. Euſebius Alexand. hom. de Sanctis colendis. Baſil. orat. in 40. Martyr. Cyrill. Hieroſol. catecheſi 5. Epiphanius hæreſi 79. & 80. Gregorius Nyſſenus orat. in S. Theodorum mart. Nazianz. orat. 6. 18. 22. & 48. Cyrillus Alexand. apud Damaſcenum l. 2. Paral. c. 7. Theodoretus lib. 8. Græc. affect. Ex Latinis, Cyprianus ep. 34. Ambroſ. ſerm. 6. Prudentius hymno de S. Hyppolito. Hieron. ep. 57. ad Riparium; cuius hæc ſunt verba. *Honoramus Martyrum reliquias; vt eum, cuius ſunt Martyres, adoremus; honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum, qui ait. Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.* Aug. lib. 20. contr. Fauſtũ Manichæũ. c. 21. de Ciuit Dei l. 8. c. 27. Maximus Taurin. in Natal. Pet. & Paul. Leo I. ſerm. de S. Vincentio cap. 1. Gelaſius decreto de Apocryphis ſcript. Gregor. Turon. l. 4. vit. S. Martini. Gregor. Mag. l. 3. Dial. c. 24. Iſidorus Hiſpalenſis de offic. Eccleſiaſt l. 1. c. 34.

Docet Romana Religio: Hominem etiam poſt lapſum eſſe liberi arbitrij ad benè, vel malè agendum: aduerſus priores hæreticos, Simonem Magum apud Clementem l. 3. Recognit. Manichæos, Priſcillianiſtas, Armenios, Albigenſes, & Vuicleuiſtas. Quod Lutherani, & Caluiniſtę cum his improbant. Martinus Lutherus in aſſert. art. 36. & de ſeruo arbitrio. Melanchton in c. 8. ad Rom. Ioan. Calu. l. 2. inſt. c. 3.

Cuius tamen doctrinæ poſt ſacras literas, quę illam paſſim, ac apertè tradunt: nobis auctores ſunt antiquiſſimi Patres. Ex Græcis, Clemens I. Apoſt. conſt. l. 6. c. 20. & lib. 3. Recognit. Dionyſ. Areop. de Eccleſ. Hierarch. c. 9. Ignatius epiſt. ad Magneſianos. Iuſtin. orat. ad Gentil. & orat. ad Antoninum Pium. Tatianus orat cont. Græcos. Athenagoras in Apol. pro Chriſtianis. Irenæus lib. 4. c. 9. 71. 72. Clemens Alex. lib. 1. ſtrom. Origenes homil. 12. in Nu-

Numeros, & lib. 2. contra Celſum. Athanaſius orat. contra Idola. Baſilius homil. quod Deus non eſt auctor mali. Cyrill. Hieroſol. catech. 4. Macharius Aegiptius hom. 15. Gregor. Nazian. orat. 31. Epiphanius hæreſ. 16. & 64. Gregor. Nyſſen. in Cant. hom. 4. & orat. catechetica cap 30. Chryſoſt. in Gen. hom. 22. & ſerm. in illud Iſai. ſi volueritis, & audieritis me, &c.

Ex Latinis Tertullianus l. 2. aduer. Marcionem c. 5. 6. & 8. Cyprian. ep. 55. Hilarius in pſal. 2. & in pſalm. 118. Ambroſius lib. 1. de Iacob, & Vita beata c. 1. & ep. 84. Optatus contra Parmen. l. 2. Hieron. in cap. 49. Iſa & l. 2. cont. Iouin. c. 2. Auguſt. de Ciuit. Dei l. 5. c. 10. de ſpiritu, & lit. c. 10. de gratia, & lib. arb. c. 2. & ep. 47. ad Valentinum, & de fide cont. Manich. c. 9. & 10. Arnobius in pſalm. 90. & 117. Eucherius hom. 9. poſt Paſcha. Proſper de vocat. Gent. l. 1. c. 8. & l. 2. c. 26. Gregor. Mag. l. 16. cap. 10. & l. 33. c. 20.

Docet Romana Religio: Hominem Dei gratia iuſtificatum, Deiq. ipſius gratia adiutum diuinis mandatis parere poſſe: quam doctrinam impugnant Martinus Lutherus in confut. rat. latom. & in reſp. ad Dial. Sylu. Pierat. Melanchton ad c. 4. ep. ad Rom. cum reliquis Lutheranis. Ioan. Caluinus l. 2. inſtit. c. 7. Ioannes Monhemius Dial. 3. ac cæteri Caluiniſtæ.

Apoſtolicam doctrinam poſt Ioan. 1. Ioan. 5. Vbi Dei mandata non tam impoſſibilia, quàm leuia eſſe affirmat. Contuentur antiquiſſimi, & grauiſſimi priorum temporum Patres. Clemens Alexand. l. 4. ſtromaton c. 8. Origenes hom. 9. in Ioſue. Athanaſius de Virginitate ſeruanda. Baſilius Magn. in Regul. breu reſp. 176. & homil. in illud Moyſis. Attende tibi ipſi. Vbi ait: *Impium eſt aſſerere præcepta Spiritus Sancti impoſſibilia eſſe obſeruatu*. Io. Chryſ. in pſal. 111. & homil. 28. in Matth & 36. & hom. de pœnitentia. Procopius in c. 30. Deuteron. Iſichius l. 7. in Leuit. c. 26. Hactenùs Græci Patres. Ex Latinis, Cyprian. de Baptiſ-

mo Chriſti. Hilarius in pſal. 118. lit. lamed. Hieron. in c. 5. Matth. & lib. 3. adu. Pelag. c. 1. Auguſt. l. de nat. & grat. c. 43. & 69. & ſerm. 191. de tempore, Vbi Lutheranorum, & Caluiniſtarum dogma execratur, his verbis: *Execramur etiam blaſphemiam eorum, qui dicunt, Impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe praeceptum*. Leo I. ſer. 5. in ſolemnit. Epiph. cap. 3. His tandem accedat fides Concilij Arauſicani 2. in quo ita habetur. *Hoc etiam ſecundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*.

Docet Romana Religio, poſt Apoſtolos; Hominem ſola fide non iuſtificari, nec ſalutem conſequi, ſed cum fide bona opera eſſe neceſſaria: Quam aſſertionem poſt Valentinianos, Eunomianos, Prædeſtinatos, Bagardos, hac noſtra tempeſtate impugnant Lutherus de Captiu. Babylon. c. de Baptiſmo, ad c. 2. ad Galat. & paſſim. Melanchton in locis communibus. Nicolaus Amſdorfius cõt. Georgium Maior. Caluiniſtæ omnes poſt Caluinum in confeſs. fidei art. 20.

Iacob. in ep. c. 2. At illam Apoſtolicam euincit Iacobus Apoſtolus in ep. c. 2. illis verbis: *Quid proderit, fratres mei ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat: numquid poterit fides ſaluare eum?* Et cum Apoſtolo vniuerſi prioris Eccleſiæ Patres. Ex Græcis. Ignatius ep. ad Magneſianos. Clemẽs Alexandr. l. 6. ſtromaton Orig. in Cant. homil. 3. & tract. 3. in Matth. Didymus Alex. ad c. 2. epiſt. Iacob. Cyrill. Hieroſol. catech. 15. Macharius hom. 27. Ephrem de vit. ſpirit. c. 91. Gregorius Nazianz. orat. 28. Gregor. Nyſſ. hom 8. in Eccleſ. Io. Chryſoſt. hom. 9. & 30. in Ioannem. Cyrillus Alexandr. lib. 10. in Ioan. c. 14. & 18. Ex Latinis, Ambroſ. ad c. 11. Lucæ. Hieronymus ad c. 3. Micheæ, qui Lutheranos, & Caluiniſtas egregiè ſuggillat, his verbis: *Promittant eis pacem, & regna caleſtia, & dicant: Non neceſ-*

ſe.

Digitized by Google

ſe eſt, vt viuas continenter, & ſanctè: Habeto fidem quam docemus; & omnia promiſſa Domini conſequeris: quæ loquentes magis aduerſus eos iram Dei concitant; & prælium in illos ſanctificant. Auguſtinus de fide, & oper. c. 14. & ad c. 6. Ioannis. Paulinus Nolan. ep. 26. Gaudentius ad Geminium de Villico iniq. Sixtus III de mal. Doctor. & op. fid. Arnobius iunior ad pſal. 106. Proſper de vita contempl. l. 1. c. 16. Petrus Chryſol. ad pſal. 125. Leo Mag. ſerm. 5. de collectis. Eucherius ſerm. de Dom. 4. Adu. Cæſar. Arelat. homil. 25. Fulgentius de remiſſion. peccat. l. 2. c. 1. Greg. Mag. hom. 9. in Ezechielem.

Docet Romana Religio: Bona opera hominis iuſtificati apud Deum gloriam de condigno mereri. Quam doctrinam conuellunt Lutherani, & Caluiniſtæ: Lutherus quidem cum vbique opera damnat, tum lib. de captiu. Babyl. c. de Baptiſmo, tum contra Ambroſium Catharinum, & de Votis Monaſticis, quem Lutherani omnes, præſertim rigidi, ſequuntur: Caluinus verò dum meritum omne à bonis operibus auellit: eũq. qui primus meriti nomen bonis operibus coaptauit, fidei ſynceritati peſſimè contuliſſe ſcribit Inſt. l. 3. c. 15. §. 2. 3. 4. cui omnes Caluiniſtæ ſubſcribunt in confeſſ. fidei art. 20.

Verùm Apoſtolicam doctrinam, ſæpiſſimè in ſacris literis fidelibus inculcatam, Gen. 15. Sap. 5. & 10. Eccleſiaſt. 18. Iſaiæ 40. Matt. 5. & 20. Luc. 6. Rom. 4. 1. Cor. 3. 2. Ioan. Apoc. 11. & 22. Vbi de mercede, quæ merito redditur, palam mentio fit; Comprobant antiquiſſimi Patres. Ex Græcis, Dionyſ. Areop. Hierarch. Eccleſ. cap. 7. par. 3. Clemens Alex. l. 4. ſtrom. & li. 6. Baſil. ſer. de aſcenſ. Gregor. Nyſſ. orat. 1. de paup. amandis. Iuſtinus in Apolog. 3. ante med. Origenes l. 2. in ep. ad Rom. Chryſoſt. hom. 4. de Lazaro circa med. & hom. 42. in Gen. Greg. Naziãz orat. in S. Baptiſma, quæ eſt 40. Ex Latinis, Tertull. qui latè hãc de merito bonorum operum doctrinam proſequitur, de reſurrect. c. 48. & l. 2. cont. Marcionem c. 6. Demum in ſcor-

Digitized by Google

piaco cap. 6. Cyprian. de vnit. Eccleſ. Lactantius diu. inſt. c.12. Hilarius in Matthæum can.6. Ambr.l.1. de offic.cap. 15. & lib.10. ep.82. vbi Lutheriſtas,& Caluinianos carpit, his verbis. *Ieiunium, & Eleemoſynam à peccato liberat: Qui ſunt ergo hi Præceptores noui, qui meritum excludunt ieiunijs? non ne Gentilium vox iſta eſt?* Hieron.l.2. cont.Iouinian. Auguſt ep. 105. & lib. de moribus Eccleſiaſt. c.25. Proſp.ad cap.Gall.dub.6. Celeſtinus ep.1.c.12. Greg.Mag.l.4. Moral. cap.42.

Docet Romana Religio: In Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, & vini, veram IESV Chriſti carnem, & verum eius ſanguinem per tranſubſtantiationem panis,& vini cõtineri. Quam veritatem Chriſti ipſius ore prolatam, & ab Apoſtolis prædicatam, hoſtiliter impetunt Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani, atque alij huius tempeſtatis Religioniſtæ, licèt diuerſimodè. Nam Lutheriſtæ cum Luthero veritatem quidem corporis, & ſanguinis in Euchariſtia fatentur: at tranſubſtantiationem negant: panemque ſimul cum corpore Chriſti, & vinum cum ſanguine in Sacramento agnoſcunt. Ita Lutherus in captiu.Babylon. in ſerm. de Sacram. cęnæ. & in lib. cont. Regem Angliæ. Caluiniſtæ verò vna cum Caluino, vtramq. & corporis, & ſanguinis veritatem, & tranſubſtantiationem inficiantur. Ita Caluinus in defenſ.2. cont. Vueſtphalum,& admonitione vlt. Beza cont. Brentium, & ad c.22. Lucæ.

At verò pro diuina, & Apoſtolica veritate pugnant primæuę Eccleſiæ Patres, & Concilia. Conc.Nic.1. lib.3. de diu.menſa. Conc.Turon.2.c.3. Conc.Hiſpal.2.c.7. Conc. Conſtantinop.6.act.8. Conc.Trallēſe c.26. & 102. Conc. Arelat.2.c.15. Conc.Tol.12.c.5. His Concilijs ſuffragantur Apoſtolorum antiquiſſimæ Liturgiæ. Liturgia D.Petri, qua primũ Romæ vſi ſunt. Liturgia Eccleſ. Hieroſ. auctore B. Iacobo fratre Domini. Liturg Eccleſ. Alexand. auctore D.Marco Euang. Liturg Eccleſ. Aethiopum à D.Matthæo Apoſt. conſcripta. Has ſequuntur Græci Patres. Ignat.ep.

ad

ad Rom & epiſt. ad Smirnenſes apud Theodoretum mal.3. Iuſtin.apol.2. ad Antonin.Pium. Irenæus l.4.c.34. Origen. in num. hom. 7. Baſil. exhort. de Baptiſmo in fine. Cyrill. Hieroſol catech. 3. Myſtag. Greg. Nazianz. orat.2. in S. Paſcha. Nyſſenus orat. catechetica c.37. Epiphanius in Ancorato. Io. Chryſoſt. hom.83. in cap.26.Matth. Latini quoque ſuos huic diuinæ veritati calculos ferunt. Cyprianus de Cœna Dom hanc apertiſſimè demonſtrat, his verbis. *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Anacletus ep.2. c.2. Alexander I. epiſ.1. c.4. Tertullianus l.4. cont.Marcionem c.40. Pontianus Papa epiſt. 1. Hilar. l.8. de Trinit. Ambroſ. l.4.de Sacram. Hieronym. ep. 1. ad Heliodorum c. 7. Gaudentius tract. 1. de Exodo. Auguſt. l. 3. de Trinit. c. 4. Maximus Taurinenſ Domin. in ramis Palmarum. Petr. Chryſol. ſerm.31. Leo Mag. ſerm. 6. c.2. de Ieiunio ſept. menſis.

Docet Romana Religio, Miſſæ ſacrificium à Domino inſtitutum, rectè in Eccleſia pro viuis, & defunctis offerri. Quam doctrinam angue, & cane peius oderunt Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani, ac reliqui horum temporum ſectarij, poſt antiquos Bogomilios, Pſeudoapoſtolos, Vualdenſes, Lollardos, & Vuicleuiſtas; Lutherus quidem cont. Oecolampodium & Zuuinglium, lib. cont. Regem Angliæ, & ad cap.66. Eſa. Caluinus vero lib.4. inſtit. c.18. & Caluiniſtæ in confeſſ. fidei art.17.

At Catholica Eccleſia à Chriſto, & Apoſtolis edocta hanc ab exordio doctrinam amplexa eſt, ac velut diuinum, & Apoſtolicum dogma poſteris conſignauit. Primùm in varijs Liturgijs antiquiſſimis, quas ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris accepit, quas ſuperiùs commemorauimus: quibus addere lubet. Liturgiam Eccleſiæ Mediolanenſis primùm à D. Barnaba traditam, poſtea à S. Ambroſio locupletatam. Liturgiam Eccleſiæ Cappadociæ à S. Baſilio conſcriptam. Liturgiam Eccleſiæ Syriæ ab eodem tradi-

tam.

tam. Liturgiam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, auctore S. Io. Chryſoſtomo: in quibus apertè ſacrificij,& incruentæ hoſtiæ, quæ in Miſſa offertur,fit mentio. Secūdò in pleriſq. Conciliorum ſanctionibus. Conc.Nic. 1.can.14.Cōc. Laodicen can.58. Conc. Conſtantinop. act. 1. Conc. Arelat. 1. c.15.& 20. Concilij Carthag. 2. c. 3. & 6. Carthag. 4. c. 41. Mileuitani c. 12. Valenſ. c. 4. Carpentoractenſis ep. ad Agretium. Romani ſub Symmacho in fine. Gerundenſis c. 1. Aurelianenſis c. 14. Turonenſ. 2. c. 4. Tertiò per manus antiquorum Patrum Græcorum, & Latinorum, ex quibus nonnullos quinque priorum ſeculorum Patres huius doctrinæ teſtes, ac Præcones proferre lubet: qui ipſum Miſſæ nomen ad incruentum ſacrificium ſignificandū vſurparunt. Primo ſeculo Clemens I. ep. 3. Miſſæ voce vtitur. *Quoniam* (inquit) *in alijs locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſi in his, in quibus Epiſcopus proprius iuſſerit*. Idem confirmat can. 3. Apoſt.& in conſt. Apoſt.l 8. c.5. Martialis ep.ad Burdegalenſes c.3. ſacrificij meminit, & cum eo Ignatius ep. ad Smirnenſ. Anacletus ep. 1. c.2. Alexander I. ep. 1. c. 4. de Miſſæ ſacrificio hæc decernit. *In Sacramentorum quoque oblationibus* (ait) *quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, Paſſio Domini miſcenda eſt; vt eius, cuius corpus, & ſanguis conficitur, Paſſio celebretur*.

Secundo ſeculo de Miſſæ ſacrificio agūt Iuſtin. Dialog. cum Triphone. Irenæus l.4. c.32. Teleſphorus ep.ad omnes vniuerſaliter c.2. Vbi Miſſæ vocem paſſim commemorat ad diuinum ſacrificium declarandum, his verbis. *Nocte ſancta Natiuitatis Domini Miſſas celebrent &c. Reliquis temporibus Miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè ſunt celebrandæ.* Pius I. epiſt. ad Iuſtum Epiſc. Tertullianus l. de orat. c. 14. & l. de cultu fœminarum c. 11. & de velandis Virg. c.9. Anicetus apud Burchard. l. 5. cap. 29. Soter apud Gratianum de conſecr. diſt. 1.

Tertio ſeculo Miſſæ ſacrificium teſtantur. Hippolytus de conſum. mundi. Cyprianus paſsim, & copiosè in epiſt.

16.

16.60.& 63. Felix I. ep.2. in qua ita ſcribit. *In præfata conſtituimus Synodo, vobisq. & omnibus Eccleſiis tenendum, & agendum mandamus, vt ſuper memorias Martyrum Miſſæ celebrentur*. Eutichianus apud Gratianum, 11. q. 3. cap. ſi quis Miſsas pro hæreticis cantari vetat.

Quarto ſeculo pro ſacrificio Miſſæ teſtimonium ferunt. Euſebius P. apud Gratianum de conſecrat. d. 1. Sylueſter P. in actis Synod. Rom. Iulius I. ep. ad Epiſcopos Aegypti. Athanaſius apud Damaſcenum ſerm. de Defunctis. Euſeb. Cæſar. de Demonſtr. Euang. l.1.c.10. Cyrill. Hieroſolym. catech. 5. Gregorius Nazianzenus orat.3. quæ eſt inuect. 1. in Iulianum. Io. Chryſoſt. ita fusè, ac dilucidè de ſacro Miſſæ ſacrificio ſcribit, vt integros libros de Sacerdotio, & ſacra immolatione conſcripſerit: ac propterea in pſal.95. orat.24. in priorem ad Cor. hom.2. in poſt. ad Timoth., & orat.17. in ep. ad Heb. vbi egregiè huius ſacrificij incruenti vnitatem, ac fidem exponit. *Eundem* (inquit) *ſemper offerimus, non nunc quidem alium, ſed ſemper eundem: quamobrem vnum eſt ſacrificium*. Ambroſius l.1. offic. c.41. & 48. in c.4. prioris ad Timoth. ad pſalm. 38. & lib. 4. de Sacramentis cap. 6. Denique in ep.33. ad Marcellinam ſororem ſuam hoc ſacrificium, Miſſæ, appellatione proſequitur. *Ego tamen* (inquit) *manſi in manere. Miſſam facere cœpi.* Damaſus non modò ſacrificij, ſed etiam miſsæ nominis meminit in Pontificali de Alexandro, de Sixto, de Felice, & ep.4. de Chorepiſcopis, vbi ait: *Non licet illis publicè in Miſſa quemquam pœnitentem reconciliare*. Hieronymus ſæpè hoc ſacrificium commemorat aduerſ. Vigilantium cap.3. adu. Luciferian. c.2. l.1. adu. Pelagianos c. 9. & lib. 1. adu. Iouinianum. Auguſtinus vberrimus eſt in hoc miſsæ ſacrificio aſſerendo. ep.23. ad Bonifac. de Ciuit. Dei l.16.c.22. & l.22. c.10. Denique ſerm.251. de temp. miſsæ nominis meminit. *In die* (inquit) *nullus ſe à ſacra Miſſarum celebratione ſeparet*.

Quinto ſeculo huius ſacrificij teſtes ſunt Cyrillus Alexandr.

xandr. de adoratione in ſpiritu l. 13. & ep.ad Neſtorium. Theodoretus in Philotheo c. 20. Leo Magnus epiſt.81. ad Dioſcorũ c.2. vbi ſacrificiũ incruentũ, Miſsã, diſertis verbis appellat, ita ſcribens: *Neceſſe eſt autem vt quædam Populi pars ſua deuotione priuetur: ſi vnius tantùm Miſſæ more ſeruato, ſacrificium offerre non poſſint; niſi qui prima diei parte cõuenerint.* Cæſar. Arelat. hom. 5. Fulgent. ad Monim.c.2.& Greg. Mag. lib. 4. Dialog. cap.58. & hom 37. in Euang.

Docet Romana Religio ab Apoſtolis inſtituta: Fidelium animas cum peccatorum reatu ex hac luce decedentes, pœnas ad tempus in Purgatorio luere, à quibus viuorum ſuffragijs ſubleuari poſsunt. Cui doctrinæ poſt antiquos Arrianos, Armenios, Petrobruſianos, Henricianos, Vualdenſes, Albigenſes, Flagellantes, Vuicleuiſtas, hac noſtra tempeſtate Lutherani, Caluiniſtæ, Proteſtantes, & Puritani aduerſantur: Lutherus ep. ad Vualdenſes, & de miſsa priuata. Io. Caluinus l.4. inſt. c.5. & Caluiniſtæ in confeſ. fidei arr 20.

Cuius tamen doctrinæ Auctores fuere Apoſtoli in liturgijs, in quibus Defunctorum celebratur memoria, ac pro ijs ſacrificium Deo offertur: Præcones antiquiſsima Eccleſiæ Concilia. Concil. Nicen. 1. can. 65. Arabico. Concil. Carthagin.3.c.29. Conc. Carthagin 4.c.79. Vaſenſe c.2. Valentinum c.4. Aurelianenſe 2. c.15. Toletanũ 11.c.52. Teſtes verò antiqui, & Apoſtolici Patres. Dionyſ. Areop. Eccleſ. Hierarch.c.7. par.3. Origenes hom.25. in Numer. & l.8. in ep.ad Romanos c.11. Euſebius Alexand.hom. de Dominica. Athanaſ. q.34. & orat, de ijs, qui dormierunt. Baſil. Mag. ad cap.4. Iſa. Ephrem.in teſtamento ſuo. Cyrillus Hieroſol. catecheſi. 5. Myſtag. Nyſſen.orat. quod non ſit dolendum ob eorum obitum, qui in fide deceſserunt, & l.de Anima, & reſurrect. Epiphanius hæreſi 75. Io.Chryſo. hom.21. in acta Apoſt. & orat. 41. in 1. ad Cor. Atque hi quidem ex Græcis Patribus. Ex Latinis verò, Tertullianus de Corona Militis c.3. Cyprianus ep.52. ad Antonin. Lactan-

ſtantius l.7. inſtit.c.21. Ambroſius orat. de Exitu, Vita, & virtut. Theodoſij Imp. & orat. 1. ad Miſsam. Hieronymus ad c.7. Micheæ. Ruffinus ad pſal.37. Auguſt l.2. de Geneſi,cont. Manicheos c.20. ad pſalm.37. de Ciuit. Dei l.21. c.13. & de Verbis Ap. Paulinus Nolanus in Paraphraſi pſ. 11. Philippus Presbyter ad c.12. Iob. Eucherius homil.3. de Epiphan. Gregor. Mag. ad pſalm.3. pœnitentialem l.4. Dial.c.39. & 55.

Poſtremò docet Romana Religio: In Eccleſia eſse Theſaurum, ex ſuperabundantibus Chriſti, & ſanctorum ſatisfactionibus collectum: ex quo Romanus Pontifex indulgentias ad pœnæ relaxationem fidelibus diſpenſat. At Lutheranis, Caluiniſtis, Proteſtantibus, ac Puritanis inuiſa eſt hæc Romanæ Eccleſiæ doctrina: quam propterea vi omni dilacerare contendunt. Lutherus in aſsertionibus art.18. Melanchton in apol. confeſs Auguſt. art.2 Illyricus in centurijs cent.4. c.15. Io Caluinus l.3. inſtit.c.5. & Caluiniſtæ omnes in confeſs.fid.art.20. Hanc tamen velut ex antiquo Apoſtolicarum Traditionum penu hauſtam, confirmāt antiquiſsimi Patres, qui Eccleſiaſticas traditiones adeò commendant, ac ſuſpiciunt, vt ab ijs latum vnguem recedere, nefas in fide exiſtiment. Ita Irenæus l.3. c.4. his verbis *Tantæ igitur oſtenſionis cum ſint hæc, non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere: cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis*. Origenes in procœmio in l.1. de Principijs. *Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiæ diſcordat traditione*. Auguſtinus de Baptiſmo cont. Donatiſt. l.4. c.24. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*, & lib. cont. Creſconium Gram.c.3. contra Donatiſtas l.7. c.53. Tertull. de corona Militis cap.2.3.4. Dionyſ. Areop. de Eccleſ Hierar.c.1. Papias l.4. Clemens Alex. lib.5. ſtrom. cap.4. Euſebius Cæſar. contra Marcellum Epiſcopum An-

Iren. lib.3. c.4.

Origenes.

Auguſt.

ciranum. Athanaſius epiſt.ad omnes orthodoxos. Baſilius de Spiritu S. c.27. Epiphanius hæreſi 61. & 75. Chryſoſt. in 2. Theſsalon.orat.4. Cyrill Alex.hom. 8. Heortaſtica. Ambroſius de fide lib.3.c.7. Hieronym. Dial adu. Luciferianos. Vincentius Lirinenſis aduer. hæreſes cap.3. & 32. Leo Mag. ſerm.2. de Ieiunio Pentecoſtes cap.1. Vigilius Tridentin. l.1. cont.Eutichen. Gregorius magn.l.9.ep.61.

His addere lubet perpetuum Indulgentiarum vſum, qui ab initio in Eccleſia receptus ex Apoſtolica eum traditione effluxiſse, nõ obſcurè euincitur. Nã ante Lutheranos, & Caluiniſtas Paulus II. & Sixtus IIII. Iubilæum vigeſimoquinto quoque anno celebrandum decreuerunt, vt patet tit. de pœnit. & remiſſ. in Extrau. *Quemadmodùm*, cum ante illos Clemens VI. quinquageſimo quoque tantummodò anno prædicari iuſſiſſet, vt conſtat ex Extrauag. *Vnigenitus*, in quo plenariam Indulgentiam concedi, nemo eſt qui dubitet. Atque hic Clemẽs is eſt, quem Lutherus Indulgentiarum auctorem, ac parentem fuiſſe ſibi fingit: ſed ante Clementem, Bonifacius VIII. quinquaginta circiter annis, primus Iubilæum centeſimo quoque anno celebrari inſtituerat, vt patet in Extrauag. *Antiquorum*.

Porrò ante Bonifacium VIII. Nicolaus IV. circa annũ Domini 1288. his, qui expeditionem Hieroſolymitanam adiuuarent, Indulgentias conceſſiſſet, quarum formam refert Gandauenſis quodlib. 15. q. 14.

Ante Nicolaum IV. Vrbanus IV. ijs, qui feſtum Corporis Chriſti piè celebrarent, & diurnis, pariterq. nocturnis horis perſonaliter intereſſent, Indulgentiarum ſuffragia tribuit, vt manifeſtum eſt ex Clemẽtina vnica de reliquijs, & veneratione Sanctorum, & ex D.Thom. opuſc.57.

Ante Vrbanum IV. Honorius III. plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, quam B. Pater Franciſcus à Chriſto obtinuerat, eodem poſtulante S. Mariæ de Aſſiſijs conceſſit, ac ſua auctoritate, quam Chriſtus illi conſulendam imperauerat, confirmauit, vt teſtatur Sanctus Bona-

uen-

uentura, & alij in Vita Sancti Franciſci.

Ante Honorium, Innocentius III. in magno Concilio Lateranenſi ampliſſimas Indulgentias ijs erogauit, qui expeditioni Hieroſolymitanæ auxilio fauerent: vt in eodem Concilio ſub finem exprimitur.

Ante Innocentium, Alexander III. meminit Indulgentiarum, quę dari ſolebant in Dedicationibus Eccleſiarum, & ijs, qui aliquid erogabant in ædificatione Pontium: id patet ex cap. *Quod autem*, extra de pęnit. & remiſſ.

Ante Alexandrum, Paſchalis II. qui Alexādrum 60. ferè annis præceſſit, & Eccleſiæ circa 1099. annum pręfuit 40. dierum Indulgentiam condonauit ijs, qui limina Apoſtolorum piè viſitarent, vt teſtis eſt Abbas Vſpergenſis in chronicis anno 1116.

Ante Paſchalem, Vrbanus II. ijs, qui cruce ſignati aduerſus Sarracenos in bello Hieroſolymitano militarent, his verbis Indulgentiam conceſsit. *De miſericordia Dei, & BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli authoritate confiſi ipſis iniūctas pro delictis ſuis pœnitentias relaxamus*: quam pleniſsimam Indulgentiam conceſsit in Synodo Claromontana.

Ante Vrbanum, Gregorius VII. pleraſque huiuſcemodi Indulgentias conceſſerat: vt notum eſt ex Epiſtola ipſius ad Epiſcopos, & Clericos Britanniæ.

Ante Gregorium Sergius III. qui nongenteſimo quarto anno Eccleſiæ præfuit, trium annorum, ac totidem quadragenarum Indulgentiam conſtituit ijs, qui Romæ in feſtiuitatibus anniuerſarijs S. Martini in Montibus piè Eccleſiam viſitarent, vt teſtatur antiquiſſimus lapis marmoreus in maiori eiuſdem Baſilicæ altari repoſitus.

Ante Sergium Leo III. qui circa annum 796. Pontificatu functus fuit, Eccleſiā S. Mariæ Aquiſgrani Indulgētijs collatis exornauit: atque alias conceſsit ijs, qui Feſtū S. Suiberti Epiſcopi Vverdenſis deuotè celebrarent. Id refert Surius tom. 2. de Vitis Sanctorum circa initium Martij.

Ante Leonem, Gregorius Magnus quinto poſt Chriſtũ ſeculo Stationes Romanas multis Indulgentijs auctas inſtituit, vt teſtes ſunt D.Thom.in 4.diſt.20.& Altiſiodorenſis lib.4. ſummæ, tract.6.c.9.

Denique ante Gregorium duobus integris ſeculis prior Siluester I. petente S. Helena Magni Conſtantini Matre; Sacellum S. Crucis in Hieruſalem Roma erectum conſecrauit, tum multis Sanctorum Reliquijs ornauit, ac multiplicem peccatorum veniam piè viſitantibus indulſit.

Hactenùs expreſſè habemus Indulgentiarum vim, ac nomen ex ipſo antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, ac traditione, quam certè aduerſarij negare non poſſunt, cum grauiſſimos, ac integerrimos ſcriprores teſtes habeamus, nec vllus ex Catholicis, ac Orthodoxis Patribus, qui his Eccleſiæ temporibus floruerunt, huic veritati refragetur. At verò qui duobus prioribus ſeculis Patres extiterunt, tametſi eandem Indulgentiarum cõcedendarum facultatem Eccleſiæ datam, atque ab ea legitimo vſu receptam agnouerint: minus tamen Indulgentiæ vocabulo vſos eſſe legimus; ſed eam vel remiſsionem, vel condonationem, vel largitionem, vel veniam, vel paruam benedictionem, alijſque nominibus appellarunt. Hinc Cyprianus l. de lapſis Indulgentias, condonationes appellat. Lactantius l.6. Inſtit.c.13. largitiones. Tertullianus lib. de pudicitia c.1. veniam; Denique Clemens I. conſt.Apoſt.l.3.c.10. paruam benedictionem vocat.

Pleraque alia doctrinæ capita prætereo, ne inſtitutam breuitatem excedam; quæ Lutheriſtæ, Caluiniani, Proteſtantes, atque alij Religioniſtæ ab Apoſtolica doctrina obtruncant: cuiuſmodi ſunt, quæ aduerſus ſacrorum locorũ peregrinationes, abſtinentiam, & delectum ciborum, ſacrorum hominum cœlibatum, feſtorum obſeruationem, Prædeſtinationis incertitudinem, Confirmationis, Pœnitentiæ, Ordinis, & Extremæ vnctionis Sacramenta, & viſibile Eccleſiæ caput obtrudunt: quæ cum Romana Religio

ab

ab Apoſtolis mutuata fuerit, ac velut Apoſtolorum hæres prior, antequam hæreſes eſſent, poſſederit: Haud mirum videri debeat, quod in his integrè ſeruandis conſtantiſsima ſemper fuerit.

Tu verò (Prudentiſsime Lector) cum ex his, quæ in hoc conſilio abundè tibi demonſtrata ſunt, non obſcurè percipere queas: eam tantùm veram Religionem habendam eſſe, quæ Apoſtolica tum Pontificum, tum doctrinæ ſucceſſione ad nos vſque perlata eſt: prudentiſsimum illud iudicium tibi amplectendum perſuadeo, quod olim Magnus ille Alexander Macedo, teſte Ioſepho antiquitat. lib. 13. cap. 6. exercuit: cum inter Iudæos, & Samaritas, de Hieroſolymitano, & Garizitano templo coram ipſo diſceptaretur, quodnam eorum legitimum foret: *Cum Sabbæus, & Theodoſius* (inquit Ioſephus) *conceſſiſſent Andronico, vt prior diceret: orſus ex lege approbare eius ſanctitatem, & Religionem; oſtendens per continuam Pontificum ſucceſſionem Sacerdotij vſque ad ſua tempora propagationem, & ab omnibus Aſiæ Regibus Maieſtatem eius loci honoratam donarijs. Garizitani verò, ac ſi omnino nullum eſſet, nunquam ab eis habitam rationẽ: his & talibus rationibus perſuaſit Regi, vt decerneret, Hieroſolymitanum eſſe ex ſententia Moyſis conditum; Sabbæum verò, ac Theodoſium addiceret ſupplicio.* Hæc ille.

Ioſeph. antiquit. lib. 13. c. 6.

Quòd ſi ſapientiſsimus Rex, ex ſola legitima Pontificũ ſucceſsione, & cæterorum Regum honore, Hieroſolymitanum templum verum, & legitimum eſſe iudicauit. Planè, cum Romanam Eccleſiam perpetua Pontificum ſucceſſione ad hæc vſq; tempora propagatam, atque ab omnibus totius orbis Regibus honoribus, & præclaris muneribus auctam cernas; Lutheriſtarum verò, & Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, ac quorumcumque aliorum, qui Religionis nomine gloriantur, Eccleſias, omni Pontificum ſucceſsione expoliatas, nulloq. in pretio, ac honore, apud orthodoxos Reges habitas fuiſſe non ignores. Si ſapientiſsimum Regem imitari volueris, idem

pror-

Digitized by Google

Hiero. dialog. cont. Lucif. c. 9. Aug. cont. epiſ. Fũd. c. 4.

prorſus iudicium tibi ineundum erit, vt pro Romana Eccleſia ſententiam feras: & tum Hieronymi, tum Auguſtini conſilio vſus, ad eius Eccleſiæ gremium te conferas, atq; in ea tibi permanendum eſſe perſuadeas, quæ ab Apoſtolis fundata, perpetua, & incorrupta Pontificum ſucceſſione, ad hunc vſque diem toto orbe illuſtris perſeuerat.

CONSILIVM NONVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (Lector fidei Apoſtolicæ perquiſitor) *in ſola Romana Eccleſia veram eſſe Epiſcoporum, ac Presbyterorum ſucceſſionem, ac proinde in ea veram tum fidem, tum Religionem quærendam eſſe.*

Eccleſiaſticam Epiſcoporum, ac Presbyterorum ſucceſſionem (Lector) non ex generis proſapia, aut ex carne, & ſanguine cenſeri, ſed diuina prorſus vocatione, atque ordinatione propagari; ex eaq veram Chriſti Eccleſiam ab adulterinis ſectis, quæ nullam à Chriſto, vel ab Apoſtolis ſucceſsionem ſibi vendicant, certo ſymbolo diſcerni, ſatis (vt arbitror) in 9. prioris partis Regula demonſtratum fuit. Quapropter duo tantùm (Lector) in hoc Conſilio tibi explicanda erunt; Primum in Romana duntaxat Eccleſia eſſe veram Epiſcoporum ſucceſsionem. Alterum in ea ſola veram Presbyterorum ordinationem elucere; quibus facilè addiſcas, nullam tibi, præter Romanam, veram Eccleſiam agnoſcendam, atque amplexandam eſſe.

A primo igitur capite rem auſpicantes. Quoniam ex his, quæ in 9. Regula dicti ſunt, iam apud te certum, ac exploratum eſſe debet (Lector) legitimam Epiſcoporum ſucceſsionem ex tribus potiſsimùm pendere. Primùm ab Eccleſiæ Vocatione, iuxta Paulum ad Hebr. 3. Deinde ex diuina ordinatione; quæ à tribus ſaltem Epiſcopis perfici debet: vt ex Clemente, & Anacleto oſtendimus. Demum à legitima Miſsione; quæ à vero tantùm, & legitimo Eccleſiæ Paſtore fieri debet: quod ex Marco cap. 3. colle-

gimus.

gimus. Si rem diligentiſsimè apud te conferas; perſpicies profectò, hæc nullibi, præterquàm in Eccleſia Romana in Epiſcoporum aſsumptione ſeruari.

In primis, quod ad Vocationem ſpectat. Id extra omnem controuerſiam ſit, neminem vnquam in Romana Eccleſia verum Epiſcopum habitum fuiſſe, qui abſque legitima Romani Pontificis vocatione, ſeipſum in Epiſcopatum intruſerit. Eam enim tantùm veram vocationem eſse diximus, quæ per os Eccleſiæ peragitur. At cum os Eccleſiæ ſit in capite, ac Pontifice, ad quem ſpectat Epiſcopos, vel per ſe, vel per alios vocare: inde perſpicuum eſt, legitimam Epiſcoporum vocationem in Romana dumtaxat Eccleſia fieri; in qua tantùm legitimus Pontifex, ac Petri ſucceſſor reperitur, qui Epiſcopos in partẽ ſolicitudinis vocat.

Quamquam enim in Romana Eccleſia varij olim eligendorum Epiſcoporum modi obſeruarentur; id tamen certiſſimum eſt, nullum vnquam Epiſcopum, abſque Romani Pontificis auctoritate, vel expreſſa, vel delegata, ad Epiſcopatum aſſumptum fuiſſe; vt ex Gregor conſtat l.2.Reg. ep.19. præſertim, cum Epiſcoporum vocationem de iure diuino ad Pontificem doceant ſpectare, c. ſi eo tempore, de elect lib.6. Gloſ. in c.1. de elect. lib.6. Abbas, in c.noſti. de elect. & in cap. cum olim. de cauſa poſſeſſ. & propr. Felin: in c.cum te, de reſcriptis. Decius in c.1. de elect.

Ex quo liquidò conſtat, nullum Epiſcopum in Romana Eccleſia vltrò ſibi honorem arripere, niſi qui à Pontifice, penes quem ſuprema Chriſti poteſtas reſidet, vt Aaron, Dei nomine vocatus fuerit. Qui verò Epiſcopi eligendi ſunt, antequàm ad Epiſcopatum aſſumantur, non modò ſi doctrina, ac ſacrorum Canonum peritia polleant, de Pontificis mandato examinantur; Verùm & an probata quadã, & præclara viuendi ratione excellant, qua ſubditis benè viuendi normam præbere queant, & eximium ſuo gregi omnium virtutum exemplar eſſe valeant, exploratur. Ita fit, vt qui hoc modo examinati, ac vocati ſunt, non ab homine,

Aug. l. 85. qq. ad Oroſium q. vltima. mine, ſed à Deo vocati cenſeri debeant, vt tradit Auguſtinus, his verbis: *Illum cognoſcimus miſſum à Deo, quem non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio eligit; ſed illum, quem & vita optima, & Catholicorum examen commendat Sacerdotum.*

Si verò de legitima Epiſcoporum ordinatione res eſt; ſine qua nulla vera Epiſcoporum ſucceſſio haberi poteſt; cū ea à Romani Pontificis B. Petri ſucceſſoris auctoritate pendeat; eaq. non niſi à veris Epiſcopis perfici poſſit: An non ſola Romana Religio hanc ordinationis regulam ſeruat? cum ea ſola Romano Pōtifice fruatur, qui velut Chriſti Vicarius, ipſius nomine Epiſcopos vocat, eligit, ordinat, ac veris Epiſcopis, hoc modo legitimè ordinatis iuxta Patrum decreta, & Apoſtolicas traditiones conſecrandos tradit. Hoc quippe argumento Cypria. l. 1. ep. 6. Nouatianum ab Epiſcoporum numero expellit; eò quòd iuxta antiquas Eccleſiæ traditiones ordinatus non eſſet: *Nouatianus* (inquit) *in Eccleſia non eſt; neque Epiſcopus computari poteſt, qui Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens à ſemetipſo ordinatus eſt.*

Cypr. li. 1. ep. 6.

Hoc pacto Epiſcoporum quoque electio, ſine qua nulla vera Epiſcoporum ſucceſsio haberi poteſt, perficitur; quæ cum Apoſtolicæ ordinationi, quam à Romano Pont. B. Petri ſucceſſore, ac Chriſti Vicario pendere diximus, potiſſimùm imitatur; eaq. à veris Epiſcopis perfici debet: Sola Romana Religio (vt notum eſt) Apoſtolicam hanc ordinationis regulam ſeruat; ſola enim Romano Pontifice fruitur, qui in Chriſti nomine Epiſcopos vocat, & eligit, vt qui totam Epiſcoporum vocandorum, eligēdorum, ac ordinandorum poteſtatem à Deo ſibi vendicat: Sola quoq; veros Epiſcopos ritè ordinatos, ac alijs Epiſcopis conſecrandis aptos complectitur: Sola Patrum decreta in Epiſcopis ordinandis ſeruat: quo fit, vt ſola etiam veram, ac legitimam Epiſcoporum electionem apud ſe repoſitam habeat.

Iam

Iam (Lector) ſi placet, pauliſper ad ſectarios diuerte. Quo pacto (obſecro) Lutherani, Caluiniani, Proteſtantes, Puritani, ac reliqui, qui hac noſtra tempeſtate Religionis nomen præſeferunt, Epiſcoporum nomine, aut titulo gloriari poſsũt; cum nulla prorſus Apoſtolica lege in ſuis Epiſcopis, aut vocandis, aut eligendis fulciantur? Vbi enim apud eos Romanus Pontifex Petri ſucceſſor? Vbi veri Epiſcopi? Vbi legitima ordinatio? Lutheriſtæ quidem, ac Caluiniſtæ, Epiſcopi nomen exhorrent, ſuis Miniſtris, ac Superuigilibus contenti: quo ſanè ſe omni Epiſcoporum ſucceſsione carere declarant. Soli Proteſtantes Epiſcoporum nomen, ac titulum retinent: at certè ſolum titulum ſine re ſibi vendicant; Cùm nihil, cum legitima Epiſcoporum vocatione, ac ordinatione commune habeant; Cùm nec Romanum Pontificem vocãtem, nec veros Epiſcopos ordinatores nanciſcantur? Quo fit, vt non incommodè cum Tertulliano illos mihi prouocare liceat. Qui eſtis? Aut vnde veniſtis? Quæ vocationis veſtræ origo? Quo vocante, ac ordinante Epiſcopatus inuaditis? Quo oſtio in ouile irrumpitis? Quo iure, ac titulo vobis Eccleſię adminiſtrationem vſurpatis? Chriſti hæreditas eſt, quam poſsidendam Romano Pontifici tradidit, cum Petro dixit: *Paſce oues meas*. Qua licentia in Chriſti hęreditatem, ac poſſeſſionem ruitis; qui Romani Pontificis eius Vicarij auctoritatem cõtemnitis? Qui nulla Dei vocatione accerſiti properatis? Qui nullo legitimè deferente, Epiſcopatum rapitis? Qui aliunde, quàm per legitimę ordinationis oſtium, in Domini caulam aſcenditis? Qui nullo Apoſtolico mittente curritis? Qui tandem nõn Epiſcopi, vos Epiſcopos iactatis?

Tertull. de præſc. aduerſ. heret. c. 37.

Non ſic Romana Eccleſia, quæ in Epiſcoporum vocatione, atque ordinatione ita Apoſtolicis Regulis inhæret: vt ab his, ne latum quidem vnguem, abſcedat: quo fit, vt ij dumtaxat veri Epiſcopi cenſeri debeant, quos Romana Eccleſia Apoſtolica auctoritate Epiſcopos ordinat.

Poſtremò, cum de legitima Epiſcoporum Miſsione, ac Epiſcopatus collatione agitur: planè conſtat, eam tantummodò in Romana Eccleſia quærendam eſſe, quæ ſola eligendi, ac ordinandi Epiſcopos ius à Deo ſibi comparatum habet. Legitimam namq. Miſsionem præcedere debet legitima in mittentibus auctoritas, à Chriſto inſtituta: atque adeò id certum eſt, vt vbi nulla apud mittentes vera auctoritas reperitur; ibi nulla vera, aut legitima Epiſcoporum Miſsio eſſe poſsit. At nullam, præterquàm in Romana Eccleſia, legitimam eſſe mittendi Poteſtatem à Chriſto inſtitutam, Chriſtus ipſe declarat. Cũ enim duplex ſit Epiſcoporum munus à Chriſto inſtitutum. Vnum docendi, alterum regendi; quæ Chriſtus Apoſtolis obeunda impoſuit. Primum Matth.c.28. cum ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* Alterum Ioannis 20. cum Apoſtolos ad Epiſcopale opus mittens, dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quo pacto ea in Eccleſia perpetuò exerceri deberent, ſuo exemplo oſtendit. Is namq. cum eſſet totius Eccleſiæ Paſtor, ſolus Apoſtolos Epiſcopos creauit, ac legitimè ad vtrumque Epiſcopale munus obeundum miſit: quo ſanè declarare voluit ſe eam poteſtatem tantummodò apud ſummum Eccleſiæ Præſulem depoſitam voluiſſe: quæ ſola legitimè Epiſcopos ad vtrumque & docendi, & regendi officium mittere valeret. Ex quo tandem exploratum eſt, ad ſolos Romanos Pontifices, Chriſti Vicarios, totã, ac integram hanc mittendi poteſtatem à Chriſto transfuſam eſſe; ac proinde veram Epiſcoporum ſucceſsionem in Romana dumtaxat Eccleſia ſartamtectam cuſtodiri.

Matth. 28

Ioan. 20.

Ex his (Lector) non obſcurè perſpicies, quàm inanes, nedum impię ſint Lutheranorum, Caluinianorum, Proteſtantium, Puritanorum, atque aliorum voces, qui cum ſuos Epiſcopos, nulla Dei vocatione ad Epiſcopatus acerſitos, nulla Eccleſiæ ordinatione aſſumptos, nulla denique legitima ſucceſſione in Apoſtolorum ſedibus conſtitutos cernant, aduerſus Romanorum Epiſcoporum ſucceſ-

ceſ-

Digitized by Google

ceſsionem, variè tamen, ac inconſtanter inſurgunt.

Nam Caluinus Inſtit. lib. 4. c.3. §.18. quem ſequuntur Beza in confeſſ. fid. c.5. ſect. 28. Brentius in Prologomenis, & Muſculus in locis communibus; vbi ſemel id ſibi perſuaſit, Eccleſias omnes Antichriſti tyrannide eſſe oppreſsas, id facilè ſtatuit: Ordinariam Epiſcoporum electionem ab Eccleſia defeciſſe, atque extraordinariam à Deo excitatam fuiſse. At quis Antichriſti vocem hanc eſſe non agnoſcat, qua aiunt totum orbem penitus à fide defeciſſe: ac propterea nouos Apoſtolos, nouos Euangeliſtas, nouos Epiſcopos excitandos fuiſſe? Cur, & nouum Chriſtum excitandum non prædicant? cùm noui Apoſtoli, & noui Euangeliſtæ, præterquàm à nouo Chriſto vocari non poſsint. Hoc enim argumento olim aduerſus Marcionem, & Valentinum vſus eſt Tertullianus: *Probent* (inquit) *ſe nouos Apoſtolos eſſe; dicant iterum Chriſtum deſcendiſſe, iterum docuiſse, iterum crucifixum.* Quid hoc eſt, niſi Antichriſtum diſseminare, ac illius Miniſtros ſe gerere? Tertull. in præſcript. cont. hær.

At his, qui ſe nouos orbis Apoſtolos iactant, reſpondemus, quod olim Auguſtinus Manichæis reſpondit: *Certè* (inquit) *ſic incipit Manichæus Apoſtolus IESV Chriſti &c. Non credo iſtum eſſe Apoſtolum Chriſti.* Ita Caluino, cum ait: *Quamquam non nego, quin Apoſtolos quoque poſteà, vel ſaltem eorum loco Euangeliſtas excitauerit Deus, vt noſtro tempore factum eſt, &c.* Non credimus nouos Apoſtolos, nouos Euangeliſtas, nouos Epiſcopos, à Deo extraordinariè excitatos fuiſse noſtro tempore. Aug. cont. epi. Fund. c. 5. Calu. inſt. l.4.c.3.

Diues ille Epulo, cum Abrahamum rogaret, vt extraordinarios miniſtros ad viuentes fratres mitteret, qui eos à vitijs reuocarent, protinus ab ipſo audiuit: *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos.* Habuit Chriſti Eccleſia ſemel Apoſtolos, habuit Euangeliſtas, habuit Epiſcopos ordinariè à Chriſto excitatos; quid extraordinaria Apoſtolorum, ac Epiſcoporum miſsione opus eſt? Antiquos audiant, audiant docentem Eccleſiam, quænam ſit legitima Luc. 16.

Epiſcoporum ſucceſsio: qui enim Eccleſiam docentem nō audiunt, non noui Apoſtoli, aut Epiſcopi; ſed Etnici, , ac Hæretici haberi debent. Ita enim ſancitum eſt. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Etnicus, & Publicanus.*

Matth. 18.

Quòd ſi (Lector) à Caluino quæras; quo pacto Epiſcopi, extraordinariè à Deo excitati, ſuos Epiſcopatus obtineant: Mirum eſt, quàm varium, & inconſtantem reperias. Primùm enim Epiſcopum cum Presbytero confundit, nihilq. inter eos diſcriminis collocat: tum neque Epiſcopi, neque Presbyteri nomen approbat; neque vllum in Eccleſia eorum ſtabile munus agnoſcit: ſed temporariam tantummodò deputationem, ad docendi miniſterium eſſe ſentit. Demùm hanc Miniſtrorum deputationem non alio, quàm totius populi conſenſu, ac ſuffragio docet fieri debere; quo ſanè omnem Apoſtolicæ ordinationis modū euertit; & cum Chriſti, & Apoſtolorū inſtitutione, & antiqua Eccleſiæ doctrina apertè pugnat, quæ Epiſcoporum electionem turbis, ac Magiſtratibus committi conſtanter prohibent. Sic Laodicenum Concil. can. 13. *Non eſt* (inquit) *permittendum turbis electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium prouehendi*; atque idem decernunt Conc. Nicen. 11. can. 3. & Conſtantinop. 4. can. 20.

Grat. diſ. 63. c. non eſt.

Vera igitur Epiſcoporum ſucceſſione ſoli Romanæ Eccleſiæ vendicata. Ad Presbyterorum ſucceſſionem accedo, quæ cum ex Chriſti inſtitutione neceſſaria, ac perpetua in Eccleſia eſſe debeat; ex eadem quoque facilè euincimus ſolam Romanam Eccleſiam veram eſſe, in qua eiuſmodi ſucceſsio tantùm reperitur.

Porrò Presbyterorum ordinē, ac dignitatem ita à Chriſto in Eccleſia eſſe inſtitutam, vt perpetua ſucceſsione diffunderetur: Ex Euangelio, ac Apoſtolicis ſcriptis exploratum eſt; Chriſtus enim Apoſtolos Sacerdotes inſtituit Io 20. cum illis remittendi peccata poteſtatem contulit. *Hoc cum dixiſſet* (ait) *inſufflauit, & dicit eis. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur*

Ioan. 20.

eis,

eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: inde enim Apoſtolos, Sacerdotes à Chriſto ordinatos fuiſſe colligit Hyſichius in Leuitic. l. 1. c. 4. *Non idonei ſumus* (ait) *peccata nobiſmetipſis dimittere, Chriſtus autem pro nobis propitiationem perfecit: vnde & eius voce Sacerdotes in Eccleſiam, vtpote eius officium ſubeuntes, quibus in perſona Apoſtolorum dicebat. Quorum dimiſeritis peccata, dimiſſa ſunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Atque ex eodem loco Cyrillus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & rurſus Chryſoſtomus in 3. lib. de Sacerdotio, & D. Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 2. colligunt, Sacerdotes eſſe in Eccleſia, qui peccata dimittant. *Vide* (inquit Theophylactus) *Sacerdotum dignitatem, quòd diuina ſit, non humana: Dei enim eſt remittere peccata.* Cum igitur Chriſtus Apoſtolos Sacerdotes ordinauerit; non ſolùm vt à peccatis abſoluant: verùm etiam vt ſacrum Chriſti corpus, & ſanguinem conficiant, plebem inſtruant, ac pleraq; alia munera in Eccleſia obeāt, quæ cūctis Eccleſię tēporib⁹ neceſſaria ſunt; Cui dubiū eſt, quin horū ſucceſſionē perennē in Eccleſia eſſe decreuerit? Hyſichius.

Id confirmat Apoſtolus ad Titum 1. Cum Tito, Cretenſi Epiſcopo mandat, vt Presbyteros per ſingulas Ciuitates ordinet illis verbis: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Ciuitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.* Atque idem ex Apoſtolorū praxi manifeſtum eſt, qui poſt Chriſti Aſcenſionem Presbyteros ordinarunt, vt conſtat ex Actibus Apoſtolorum, vbi legitur: *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus commendauerunt eos Domino.* Tit. 1. Act. 14.

Id denique ex antiquiſsimis Concilijs, & vetuſtiſſimo Eccleſiæ vſu, Apoſtolica traditione confirmato receptum eſt, vt Presbyteri ab Epiſcopo ordinentur. Ita Clemens Rom. Petri Diſcipulus can. epiſt. 2. *Presbyter* (inquit) *ab vno Epiſcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.* Et conſt. Apoſt. l. 8. c. 16. *Cum Presbyterum ordinas, Epiſcope, impone ipſe manum capiti Presbyteri, adſtantibus tibi Presbyteris,*

teris, & Diaconis. Id ipſum mandat Anacletus I. ep. 2. ad Epiſcopos Italiæ: præclarè etiam Dionyſius Areop. ordinationis Presbyterorum meminit Eccleſ. Hierarch. l. 1. c. 5. Concilium Neoçeſarienſe can. 8. tempus ſtatuit ordinationi Presbyterorum. Synodus Nicena 1. can. 60. ex Arabico translato, & Concil. Carthag. 4. quæ in Presbyterorum ordinatione obſeruanda ſint, decernũt: atque eadem repetunt Conc. Agathenſe cap. 17. Concil. Bracarenſe 3. c. 3. Turonenſe 3. c. 12. & alia pleraq. Concilia his poſteriora.

Hinc (Lector) tecum grauiſsimè collige, veram in Eccleſia Romana tantummodò Presbyterorum ſucceſsionẽ à Domino inſtitutam ſeruari: vbi Presbyteri legitimè iuxta Apoſtolicas Regulas ordinantur, & ad ſua munera deſtinantur.

Quod ſi, quænam ſint Presbyterorũ munera, expoſcas. haud ignoro Caluinum cum ſuis, inſt. l. 4. c. 4. §. 2. Presbyterorum officium ad ſolum docendi munus reuocare. Equidem non pugno, quin docendi munus inter alia ad Presbyteros, præſertim Parochos, atque animarum Paſtores ſpectet; Ij namque cum proprij gregis paſcendi curam ſibi demandatam acceperint: illorum præcipuum munus eſt, ſanæ doctrinæ, ac rectæ fidei pabula eidem adminiſtrare, quibus in Vitam æternam alatur: vt rectè monet Leo I. epiſt. 62. ad Maxim. c. 6. his verbis: *Illud quoque dilectionem tuam conuenit præcauere: vt præter eos, qui ſunt Domini Sacerdotes, nullus ſibi ius docendi, aut prædicandi audeat vendicare.*

Leo Pap. ep. ad Maxim. c. 6.

Ac præter hoc, alia quoque propria Sacerdotum munera agnoſcenda ſunt, ijs à Domino commiſſa. Secundum enim eſt, Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti conficere: quod tunc Saluator ſolis Sacerdotibus obeundum detulit, cum panis, ac vini ſubſtantia in corpus, ac ſanguinem ſuum conuerſa, Apoſtolis dumtaxat, quos Sacerdotes conſtituebat, id faciendum præcepit illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem*. Id teſtatur Concilium

Ni-

Nicenum 1. l.3. cap. de diuina menſa, ita ſcribens: *Iterum* (inquit) *etiam hic ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem, & poculum; ſed attollentes mentem fide intelligamus, ſitum in ſacra illa menſa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus, & ſanguinem nos verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtra reſurrectionis ſymbola.* Porrò duplex hoc Sacerdotum munus commemorat Concilium Aquiſgranenſe. 2. c. 5. *Presbyterorum* (ait) *qui ſunt Eccleſiæ Chriſti, & in confectione diuini corporis, & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt, miniſterium eſſe videtur, vt in doctrina præſint populis, & in officio prædicandi.* Cōc. Nic. 1. Conç. Aquiſgran.

Tertium Presbyterorum munus eſt à peccatis abſoluere: quod ſanè tunc illis à Chriſto collatum fuit, cum Apoſtolis ait. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum* &c. Quæ poteſtas ad Sacerdotes tranſijt, qui Apoſtolorum in hoc munere ſucceſſores fuerunt, vt notat Iſychius l. 1. in Leuit. c. 4. & lib. 6. c. 22. *Non* (inquit) *qualiſcunque dignitas Sacerdotij eſt: huic enim ſorte datum eſt, vt mediator ſit inter Deum, & homines, & per hunc genus noſtrum Creatori reconciliatur. In lingua Sacerdotum, nexus, & abſolutio peccatorum noſtrorum conſiſtit.* Quæ ſanè dignitas tanta eſt, vt eam neque antiquæ legis Sacerdotes, neque ipſi Angeli vnquam ſibi vendicare auſi fuerint; ea tamen ex profuſa Dei benignitate, ac ſingulari Chriſti meritorum virtute Chriſtianis Sacerdotibus collata eſt, vt admiratione planè dignum ſit, tanta eos dignitate pollere, vt diuinum quodammodò Tribunal in terris conſtituant, à quo Dei iudicium pendeat. Ita enim de hoc præclaro Sacerdotū munere egregiè diſſerit Chryſoſtomus hom. 5. de verbis Iſaiæ. *Vidi Dominum*, &c. *A terra* (inquit) *iudicandi principalem auctoritatem ſumit cœlū. Nam Iudex ſedet in terra: Dominus ſequitur ſeruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in ſupernis comprobat.* Qartum Presbyterorum munus eſt, baptizare, & Ex- Iſychius. Chryſoſt.

tremæ

tremæ Vnctionis, ac matrimonij Sacramenta fidelibus miniſtrare, quod Chriſtus ipſe Apoſtolis, quorum in hac parte Sacerdotes officio funguntur, gerendum præcepit; partim illis verbis, Matth. vlt. cum illos ad prædicãdum, & ba-
Matth. 28. ptizandum miſit. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c. partim Marc. 6. cum Apoſtolos iubet oleo infirmos
Marc. 6. inungere. *Et vngebant* (inquit) *oleo multos ægros*. Idem Iacobus Apoſtolus præcipit c. 5. *Infirmatur quis in vobis, in-*
Iacob. 5. *ducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Tandem Io. 2. Chriſtus in Cana Galileæ ad benedicendas nuptias diſcipulos duxit. Porrò hæc eſſe propria Presbyterorum munia, ex ipſis Apoſtolicis conſtitutionibus addiſcere licet, quas Clemens Petri diſcipulus collegit. Nam l. 3. cõſt. Apoſt. c. 20. baptizandi
Clem. Ro. munus ſolis Presbyteris cõmiſſum eſſe docet. *Sed* (inquit) *Presbyterum tantùm docere, offerre, baptizare, benedicere populo iubemus.* Quòd ſi illud alijs Clericis, non Sacerdotibus, ac etiam Laicis conceſſum legitur, id ita intelligi debet, ſi nullus adſit Sacerdos, qui ex proprio munere Baptiſmũ
Iſidorus. conferre valeat, vt docet Iſidorus de offic. Eccl. l. 2 c. 24. his verbis: *Conſtat Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe traditum, eiusq; myſterium nec ipſis Diaconibus explere eſt licitum, abſque Epiſcopis, vel Presbyteris, niſi illis procul abſentibus vltima languoris cogat neceſſitas: quod & Laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſeculo euoce-*
Auguſt. *tur.* Idem quoque tradit D. Auguſtinus ad Fortunatum. Cæterùm Extremæ Vnctionis Sacramentum à ſolis Preſ-
Euthym. byteris miniſtrandum eſſe teſtatur Euthymius in cap. 6. Marci, vbi ita ſcribit. *De vnctione olei ſolus Marcus loquitur. Admonet autem, & hoc Iacobus Apoſtolus in Epiſtola ſua Catholica, dicens. Aegrotat quis inter vos, aſciſcat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in*
Ambroſ. *nomine Domini.* Denique D. Ambroſius, nuptiarum benedictionem ſolis Presbyteris reſeruatam, tradit epiſt. 70. *Cum coniugium* (ait) *velamine Sacerdotali, & benedictione*

ſan-

Digitized by Google

ſanctificari oporteat, quomodò par eſt, coniugium dici, vbi non eſt fidei concordia?

At verò præter hæc, pleraq. alia Sacerdotibus officia iniuncta ſunt, veluti hymnos, ac pſalmos in Eccleſia canere, preces ad Deum pro populo fundere, peccantes corrigere. *Nam qui Sacerdos eſt,* ait D. Hieronym. in c. 2. Malach. *& non corripit delinquentes. Sacerdotis officium prȩterit.* Hieron. Animarum prætereà ſaluti incumbere, virtutum ſplendore, ac vitæ ſanctimonia cæteris prælucere. *Sacerdotis enim animum*, ait Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, *Solaribus radijs puriorem eſſe oportet:* & paulo infra. *Cum autem ille, & Spiritum Sanctum inuocauerit, ſacrificiumq. illud reuerentia pleniſſimum perfecerit, communi omnium Domino manibus aſſiduè pertractato: quæro ex te quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam Religionem? Conſidera enim quales manus illas adminiſtrantes eſſe oporteat, qualem linguam, quæ verba illa effundat: qua denique re non puriorem, ſanctioremue eſſe conuenit animam, quæ tantum illum, tamq. dignum ſpiritum receperit?* Chryſoſt.

Ex his (Lector) quale ſit Presbyterorum in Eccleſia munus ex diuina inſtitutione manans, facilè tibi perſpicuũ eſſe poteſt. Ex quo id neceſſariò elicere debeas: veram Presbyterorum ſucceſsionem, qualis à Chriſto inſtituta fuit, neque apud Caluiniſtas, aut Lutheranos, neque apud Proteſtãtes, aut Puritanos, ſiue cæteros Religioniſtas, ſed apud Romanam Eccleſiam tantummodò haberi, in qua Presbyteri legitimè iuxta Apoſtolicas regulas ordinati, ſua munera obeunt.

Audio ſanè, quid pugnantibus inter ſe ſentẽtijs Lutherus, & Caluinus de Presbyteris doceant, ac ſtatuant: Lutherus vt omnem Presbyterorum ordinem, ac ſucceſſionẽ facilè conuellat, omnes Chriſtianos docet in Baptiſmo Sacerdotes fieri. Ita enim ſcribit ad Senatum Pragenſem. *Sacerdos in nouo Teſtamento non fit, ſed naſcitur; non ordinatur, ſed creatur; naſcitur autem in Baptiſmo, ſuntq. prorſus om-* Lutherus.

nes Chriſtiani Sacerdotes. Idem ſcribit in captiu.Babyl. c.de ordine.

Ioannes Caluinus in Sacerdotium Catholicorum inue-
Io.Caluin. hitur ep.190. his verbis. *Totum Sacerdotium Papiſticum non ſolum impia eſt veri myſterij profanatio, ſed execrabilis in Chriſtum contumelia.* Tum Inſtit. lib.2. cap.15. §.6. huius rationem reddit, quandoquidem nullum vult eſſe Sacerdotem præter Chriſtum. *Summa tamen* (ait) *hùc redit, non niſi in Chriſtum competere Sacerdotij honorem.* Ita fit, vt dum ſe ipſos diſcerpunt, longiùs à veritate aberrent: in idq. iudicium incidant; vt regium illud meritò ijs occini poſſit. *Mentita eſt iniquitas ſibi.* At nihil horum (Lector) te moueat. Diuina ſiquidem veritas, quæ fortiſſima eſt, vtrumque commentum facilè debellat: Etenim vt à Luthero exordiar, craſſum illius errorem, quo vniuerſos in Baptiſmo Sacerdotes fieri autumat, primùm apertiſſimè diuinæ ſcripturæ damnant. Nam cum Apoſtolis dumtaxat Dominus
Ioan.20. (vt habetur Io.20) remittendorum peccatorum poteſtatē contulerit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,* &c. cum ijs tantùm ius ligandi, atque ſoluendi tradiderit, Mat-
Matth.18. th.18. *Quæcunque alligaueritis ſuper terram,* &c. cum ijs ſolis conficiendæ Euchariſtiæ facultatem tribuerit, Luc.22.
Luc 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Denique cum illis tantummodò docendi munus demandauerit, Matth. vlt.
Matth.28. *Euntes docete omnes gentes.* Planè conſtat eos dumtaxat, non omnes, Sacerdotes à Chriſto ordinatos fuiſſe, quibus diuina hæc myſteria credita ſunt. Cæterum cum hoc ius tantùm in Apoſtolorum ſucceſsores, qui Sacerdotes in Eccleſia ordinantur, translatum fuerit, vt teſtis eſt D.Am-
Ambroſ. br. lib. de Pœnit. c.2. *Ius* (inquit) *ligandi, atque ſoluendi ſolis Sacerdotibus permiſſum eſt.* Nemini dubium eſt, non omnes in Eccleſia eſse Sacerdotes, ſed eos tantùm, quibus legitima ordinatione horum myſteriorum adminiſtrandorum munus collatum eſt.

Deinde ne temerè quilibet Sacerdotij dignitatem inuade-

de-

deret, monet D. Paulus, Heb. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Ex quo habemus, eos tantùm in Eccleſia Sacerdotes eſſe, qui in primis à Deo vocantur, atque à populo ſegregātur: ita namque vocatus, ac ſegregatus fuit Aaron, cum Moyſi dictum fuit, Exod. 28. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs ſuis de medio filiorum Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi.* Deinde ab Eccleſiæ Præſulibus legitimè ordinantur: ſic enim & conſecratus fuit Aaron, vt legitur, Exod. 29. *Oleum vnctionis fundes ſuper caput eius, atque hoc ritu cōſecrabitur.* Neque enim vllus in Eccleſia Presbyter, aut Sacerdos eſſe poteſt, qui legitimè ab Epiſcopo ordinatus nō fuerit, vt docet Dionyſ. Areop. de Eccleſ. Hierarch. cap. 5. p. 1. *Ne ipſe quidem* (inquit) *Sacerdos erit, niſi Pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus*; quod etiam confirmat Anacletus ep. 2. *Sacerdotes* (inquit) *à proprio ordinentur Epiſcopo: ita vt ciues, & alij Sacerdotes aſſenſum præbeant, & ieiunantes ordinationem celebrent.* Idem ſtatuitur in Conc. Nic. 1. can. 60 ex Arabico, & Carthag. 4. c. 3. Cum igitur Sacerdos à proprio Epiſcopo, iuxta antiquorum Canonum decreta ordinari debeat, quis omnes Chriſtianos à proprio Epiſcopo ordinatos, quis omnes ſacro oleo inunctos, atque ad Sacerdotale munus electos cenſeat?

Heb. 5.

Exod. 28.

Exod. 29.

Dionyſ. Areop.

Anacletus.

Id ſecundò, ex comparatione Eccleſiæ, & Synagogæ (Lector) tibi perſuaſum eſto. Cum enim Chriſti Eccleſia nulla ex parte inferior ſit ſynagoga; ſi illa ſacros Sacerdotes diuinorum munerum functores, à plebe diſtinctos, inūctos, ac præſtantiori quadam dignitate fulgentes tantùm ſibi aſciuit, cur hæc ſacrorum Sacerdotum ornamento expoliata, viris æquè, ac mulieribus, pueris, ac infantibus, ſanis, atque inſanis, dignis, & indignis, rudibus, ac imperitis: demum profanæ plebi, ac multitudini nullo diſcrimine ſacrum Sacerdotij munus obeundum deferet? Imò cū Chriſti Sacerdotium tantò Hebræorum Sacerdotio præſtantius, & eminentius ſit, quantò veritatis lux ipſam figu-

Digitized by Google

rarum noctem antecellit; an non iis Sacerdotibus nitere debet, qui quò præſtantiori munere funguntur, eò puriores, ac ſacratiores, & à communi plebe remotiores eſſe debent, vt eò puriùs, ac honeſtiùs diuinioribus, ac ſanctioribus rebus vacare poſsint? Id enim in omnibus Sacerdotibus, ac Pontificibus fieri æquum eſt, quod D. Paulus in Heb.7. Chriſto perfectum eſſe docet, ad Heb.7. *Talis enim* (inquit) *decebat, vt nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus*. Quod ſi Priſcis illis Gentilium Sacerdotibus, ſacra agentibus exclamare licebat; *Procul ò procul eſte profani*. Si apud veterem ſynagogam diuina lege cautum erat, ne externus, & qui Sacerdos non erat, ad altaris miniſterium accederet, vt perfectiùs, ac honeſtiùs diuinæ res miniſtrari poſsent: cur Eccleſia Chriſti profanos, externos, ac nullo Sacerdotij honore præſtantes, ad ius Sacerdotij vocare credenda eſt.

Poſtremò id ex ipſo Sacerdotis nomine, ac Ethymo (Lector) luculentiùs collige. Dicitur enim Sacerdos, quaſi ſacra dans, vt notat Rabanus de vniuerſo lib.4. cap.5. ex quo duo elicimus. Primum, laicis nullo modo ſacerdotiũ conuenire, cum ij ſacra non dent, neque ijs datum ſit ſacris ſeſe immiſcere; imò ipſo antiquo iure id illis vetitum ſit. Nam Clem.I. lib.3. conſtit. Apoſt. c.10. narrat ſic ab Apoſtolis ſtatutum fuiſse. Clemés I. *Neque laicos concedimus aliquod ſacerdotale munus exercere, veluti ſacrificium, Baptiſmum, manus impoſitionem, vel benedictionem magnam, ſiue paruã. Non enim ſibi quis ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, & per Epiſcopi manus datur hæc dignitas: & qui ad eam promotus non eſt, ſed eam ſibi vſurpat, Oziæ pœnam ſubſtinebit*. Hinc Sozomen. Theodor. Sozomenus lib.7. Eccleſ. Hiſt. c.24. & Theodoretus lib.5. Hiſt. Eccleſiaſt. c.18. D. Ambroſium Imperatori ſe in loca Sacerdotum ingerenti, ita dixiſſe ferunt. *Adyta templi ſcito, ò Imperator, ſolis peruia eſſe Sacerdotibus; cæteris verò vniuerſis imperuia: nec licere cuiquam ea contingere; quare egreditor, cumq. cæteris in commune conſiſtito. Purpura enim Impera-*

ra-

ratores, non item Sacerdotes facit. Quapropter Concil. gener.6. quod eſt Conſtantinop.3. can.58. Laicos à Diuinis miniſterijs omnino arcet. *Nemo eorum* (inquit) *qui ſunt in ordine laicorum, diuina ſibi myſteria impertiat*. Concil. Turonenſe 3. ingreſsum in ſanctuariū laicis interdicit can.4. *Làici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter Clericos, tàm ad vigilias, quàm ad Miſſas ſtare penitùs non præſumant*. Atque idem decretum renouat Concil. Colonienſe 3. p.3.c.31. Ex quo primùm conſtat, non omnes Sacerdotes eſse, cum laici ſacerdotio fungi prohibeantur. Alterum eſt, quòd qui ſacra attrectare, ac alijs miniſtrare debent, eos excellentiori vitæ forma, ac nobiliori virtutum ſplendore plebi pręſtare decet, vt ſacris rebus diuinus honor habeatur. At ſi cuncti ſacerdotes ſunt, & rudis quilibet, ac gregalis homo id muneris ſibi vſurpat, quiſnam diuinis rebus honos exhibetur; cum digni, ac indigni promiſcuè eas adminiſtrent? an non contumelia Deo irrogatur, cum indigni rerum ſacrarum adminiſtri ei adhibentur? Propterea Origen.hom.8. ſuper Leuit: docet Sacerdote m populo præſtantiorem eſse debere. *Requiritur* (inquit) *in ordinando Sacerdote, & præſentia Populi, vt ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium*. Præterea ſi omnes in Eccleſia ſacerdotes ſunt, ſi omnes ſacra dant, quæ erit plebs, quæ ſacra non det, ſed tantùm accipiat? Igitur non omnes Sacerdotes, ſed aliquos tantùm eſse oportet, quibus ſacrorum adminiſtratio commiſſa ſit.

Conc. gen. 6.

Cōcil. Turon. 3.

Conc. Colon. 3.

Origenes.

Neque vllum tibi (Lector) negotium faceſſant, Apoſtolorum teſtimonia, quæ Lutherus ad ſui erroris præſidium vocat: ac primum Petri, qui 1. ep. c.2. ita inquit. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritalis ſacerdotium ſanctum*. tum paucis interiectis. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*, &c. Alterum Ioannis Apoc.5. vbi ait: *Et feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes,*

dotes, & c.20. *Erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti eius.* Ex quibus ineptè colligit, omnes Chriſtianos, ex quo Chriſtum per Baptiſmum induunt, verè, ac propriè Sacerdotes fieri: at quàm malè hæc loca torqueat, vt ad ſuum errorem pertrahat, facilè perſpicies, ſi ipſorum Apoſtolorum mentem, ac verba candidè perquiras; Neque enim vterque Apoſtolus præfatis locis de proprio, & Eccleſiaſtico ſacerdotio à Chriſto inſtituto, quo Sacramenta conficiuntur,& adminiſtrantur, quo peccata dimittuntur, quo plebs Chriſtiana inſtruitur,atque alia propria Sacerdotum munera exercentur: ſed de ſpirituali tantummodò, ac myſtico ſacerdotio agunt, quo ſpirituales hoſtiæ Deo offeruntur. Caro cum vitijs crucifigitur, corpus ieiunijs, ac macerationibus mactatur, labiorum victimæ Deo immolantur, ac cætera cordis ſacrificia Domino libantur: quæ vnicuique Chriſti nomine inſignito tum Euangelica, tum Apoſtolica oracula commendant.

Quæres,quo teſtimonio id probem: planè ex eiuſdem Petri verbis, qui vbi fideles hortatus eſt, vt tanquam lapides viui in Chriſto ſuperædificarentur, vt fierent domus ſpiritalis, ſacerdotium ſanctum, addit ſubinde: *offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo*. Num negare potuit Lutherus, tale eſſe Chriſtianorum ſacerdotium, quod hoc loco à D. Petro aſſeritur, quales ſunt hoſtiæ, quæ in eo immolantur. At Petrus ſpirituales rantùm hoſtias huic ſacerdotio tribuit. *Offerre* (inquit) *ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo*. Igitur ſpirituale tantùm ſacerdotium hoc eſſe opus eſt, quod ſpirituales tantùm victimas offert. Quo ſenſu etiam alter eiuſdem Petri locus, quem paulò poſt ſubijcit, accipiendus eſt, cum ait: Fideles eſſe genus electum, ac regale ſacerdotium: atque eodem, & reliqua Ioannis teſtimonia exponenda ſunt: cum omnes à Chriſto ſacerdotes factos eſſe affirmat. Dicat enim Lutherus,ſi omnes Chriſtiani ex his Petri, & Ioannis teſtimonijs propriè ſacerdotes inſtitutos eſſe colligit, cur non etiam propriè reges eſ-

ſe

ſe affirmat? Vterque enim & Regnum, & Sacerdotium ſimul connectit. *Regale ſacerdotium*. Petrus. *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdo es:* ait Ioannes. At nùm ita Lutherus deſipiet, vt omnes Reges propriè eſſe dicat: cum neque omnes Reges eſſe, neq; multos imperare, ſed multò plures ſubditos, quàm Reges eſſe inter Chriſtianos perſpicuum ſit? Quòd ſi Chriſtianos idcircò Reges appellare vult, quòd ſub Chriſto Rege ſpiritualiter militent, ac illi ſubijciantur, cui ſubijci, regnare eſt: cur non eadem ratione etiam ſacerdotes nuncupari exiſtimat, vt ſcilicet non Eccleſiaſtica ordinatione ſacerdotio fungãtur, ſed vel Deo ſpiritualiter ſeſe in holocauſtum offerant, & carnis concupiſcentias, atque animi cupiditates ſpiritus gladio ſacrificent, vel vt D. Auguſt. exponit lib. 20. de Ciuit. Dei c. 10. ideò ſacerdotes vocentur, quia Chriſti, qui ſupremus Sacerdos eſt, ſint ſpiritualia membra. *Nõ vtique* (inquit Auguſtinus) *de ſolis Epiſcopis. & Presbyteris dictum eſt, qui propriè iam vocantur in Eccleſia Dei ſacerdotes; ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum chriſma: ſic omnes Sacerdotes, quoniam ſunt membra vnius Sacerdotis, de quibus Apoſtolus Petrus. Gens (inquit) ſancta, regale Sacerdotium.* Auguſt.
Ita etiam hæc loca de ſpirituali Chriſtianorum ſacerdotio interpretantur Ambroſ. l. 4. de Sacram. cap. 1. Hieronym. cont. Luciferi. Chryſoſt hom. 16. in Matth. Baſilius de Baptiſmo q. 8. Rabanus de Sacram. altaris c. 24. & Beda in hunc locum Petri.

At quamuis hoc ſenſu omnes Chriſtiani, Sacerdotes ſpirituales dicantur; id tamen nullo modo Sacerdotalem ordinẽ, ac dignitatem minuit; quæ nòn omnibus, ſed nonnullis dumtaxat ſelectis hominibus ad eam Eccleſiæ miniſterio vocatis, & ordinatis confertur; quibus & proprium ſacerdotum munus exercere, & diſtinctum à plebe gradum obtinere, ipſa Dei inſtitutione collatum eſt: quò fit, vt his tantummodò propriè ſacerdotis nomen conueniat, qui hoc in Eccleſia publico munere perfunguntur.

Hic

Hic tandem (Lector) prudentiam, ac iudicium tuum requiro. An non omnino intolerabile eſt: quod pueros, fęminas, cæcos, dementes, furioſos, dũmodò baptizati ſint omnes Sacerdotes eſſe velint. Quis hoc Lutheri, ac Lutheriſtarum ſacerdotium nõ admiratur? cuius muneri obeundo pares ſunt infantes, qui nec dum, quale ſit ſacerdotum munus, aut quid ipſum ſacerdotium ſit, agnoſcunt; Indoctæ mulieres, quibus à Paulo nihil magis, quàm loqui, docere, ac multò magis ſacerdotale munus in Eccleſia exercere interdicitur; Cæci, qui ab ipſa vmbra veri ſacerdotij olim apud Iſraeliticum populũ arcebantur; Amentes, furioſi, qui ſacerdotio prorſus indigni cenſentur. Cur non & bruta animalia accerſit Lutherus, vt hoc ſuo ſacerdotio fungantur? At profectò neque ea omnino reſpuit: nam cum is totam vim ad culpam delendam fidei adſcribat: inde deducit, nihil omnino referre; an abſolutionis miniſter ſit vir, aut fęmina, aut puer: ac propterea docet, puerum æque benè, vt Papam abſoluere. At ſi à Luthero percontetur quiſpiam: Si pœnitens à Pſitacho audiet. Ego te abſoluo, & is illi conſtantiſſimè crederet; an is eſſet abſolutus nec ne? Certè iuxta Lutheri doctrinam ſe abſolutum credere debet; quãdoquidem tota abſolutionis vis pendet à fide, non ab homine. Igitur à quocumque audiat. Ego te abſoluo, & credat; is abſolutus proculdubio erit. Abſolutio verò cum à nullo præterquàm à ſacerdote iure impendatur: ipſe quoque Pſitachus erit Luthero ſacerdos; ne bruta ipſa tanto Lutheri ſacerdotio deſint.

Verùm omiſſo Luthero ad Caluinum venio; qui contrario prorſus errore nullum præterquàm Chriſtum Sacerdotem in Eccleſia agnoſcendum contendit: Atqui aduerſus Caluinum Euangelica, atque Apoſtolica oracula apertè pugnare ſuperiùs demonſtrauimus: quibus & Chriſtum Apoſtolos Sacerdotes ordinaſſe; Apoſtolos verò Sacerdotes, ſeu Presbyteros per ſingulas Ciuitates conſtituiſſe exploratum eſt: Quòd ſi Chriſtus Sacerdotes ordinauit, &

Sa-

Sacerdotes Apoſtolica traditione in Eccleſia ordinantur: quomodò Chriſtus ſolus Sacerdos à Caluino aſſeritur?

Verùm id quoque ex altero Pauli teſtimonio euinco: cũ ait, Heb. 6. *Præcurſor pro nobis introiuit IESVS, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pontifex factus in æternum.* Pontifex enim is dicitur, qui ſupremam inter Sacerdotes dignitatem obtinet: inde namq. apud Hebræos ij ſoli Pontifices appellabantur, quibus Sacerdotum turba parebat (vt notum eſt) cum id paſſim in veteris Teſtamenti codicibus perlegatur: nam Iudith 15. de Ioachim Pontifice legitur. *Ioachim autem ſummus Pontifex de Ieruſalem venit in Bethuliam cum vniuerſis Presbyteris ſuis, vt videret Iudith.* Ac proptereà alio nomine etiam ſummus ſacerdos dicebatur, quaſi ſummo inter ſacerdotes gradu præcellens: ita fit, vt inter Pontificem, & ſacerdotes relatio quædam mutua cõſtituta videatur; velut inter Patrem, & Filios; inter Superiorem, & Inferiores; ita vt nec Sacerdotes ſine Pontifice, nec Pontifex abſque Sacerdotibus eſſe poſſe videatur. Paulus igitur cum Chriſtum Pontificem appellat, ſine dubio ex ipſa vi nominis ſuos illi Sacerdotes aſciſcit, quibus Pontifex dici poſſit. Neque obijcere valent aduerſarij, Chriſtum extremum fuiſſe Pontificem ſecundùm ordinem Aaron, cuius ordinis prorſus antiquati ſunt Sacerdotes: nã Paulus Chriſtum, non ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontificem nuncupat. Porrò licèt Chriſtus etiam ſecundùm ordinem Aaron Põtifex fuerit, cum ſe ipſum Patri ſacrificium in cruce obtulit, quo Aaroniticum ſacerdotium deleuit, ſeu potiùs cõpleuit. Attamen potiſſimum illius ſacerdotium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech, cuius à Deo Pontifex perpetuus creatus fuit; in quod Aaroniticum prius illud ſacerdotium tranſtulit, vt ipſemet Paulus teſtatur eodem capite. *Si ergo* (ait) *conſumatio per Sacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech, alium ſurgere Sacerdotem,*

Hebr. 6.

Iudith 15.

Rom. 13.

& non ſecundùm ordinem Aaron dici? Tranſlato enim Sacerdotio neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat. Quapropter neceſſe fuit, illi alios quoque Sacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedech, quorum Pontifex eſſet, aſſignari. Non igitur Chriſtus eſt ſolus Sacerdos.

Alterum quoque huius rei argumentum deſumitur ex appoſita particula. *In æternum*, qua Paulus poſt Dauid Chriſti Sacerdotium nõ temporale, inſtar illius prioris, ſed perpetuum, ac æternum eſſe docet; cuius illum perpetuum Pontificem deſignat. Hinc ita argumentum deducimus, Chriſtus eſt Pontifex in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech; igitur perpetuos habet Sacerdotes ſibi ſubiectos: conſequentia nota eſt ex priori argumento. Nam ſi is ſolus Pontifex eſt, qui ſub ſe habet Sacerdotes, profectò ſi is æternus Pontifex eſt, æternos habeat Sacerdotes, neceſſe eſt: ſed præteteà alia id ratione probatur. Nã æternitas Sacerdotij, ac Pontificatus Chriſti abſque Sacerdotibus non poteſt conſiſtere: etenim cum Sacerdotiũ, ac ſacrificiũ ita inter ſe coniuncta ſint, vt ſacerdotium nullibi, abſque ſacrificio reperiri queat: inde enim apud Græcos Sacerdos θύτης dicitur, à θύειν, quod eſt ſacrificare, vnde θυσία ſacrificium: & apud Latinos Sacerdos dicitur, quaſi ſacra dans, ideſt ſacrificia offerens: vt docet Anſelmus in ep. ad Heb. c. 5. quod etiam aduerſarij non negant, cum in ſua verſione Gallica Bibliorum, vbicumque Sacerdotis nomen offendunt, vertunt, *ſacrificateur*. Id tandem confirmatur ex Paulo ad Heb. 5. vbi de Pontificis officio agens, ita ait. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*, &c. Notanda eſt vniuerſalis illa affirmatiua, *omnis Pontifex*, quæ æquiualet huic. Nullus Pontifex cõſtituitur, quin offerat dona, & ſacrificia, quod etiam c. 8. confirmat, cum ait. *Omnis Pontifex conſtituitur ad offerenda munera, & hoſtias:* tum paulò poſt de Chriſto agens. *Neceſſe eſt* (inquit) *& hunc habere aliquid, quod offerat.*

ferat. Si Chriſtus Pontifex, ac Sacerdos appellari debet, planè opus eſt, vt ſacrificium pro peccatis offerat: at verò cum is modò per ſe ſacrificium non offerat, illi Sacerdotes aſciſcere neceſſe eſt, per quos is æterni Pontificis munus implere queat. Ex quo Sacerdotum ſucceſſionem euincimus.

Hæc (ſapiens Lector) prudenter apud te ipſum perpende: atque vbi Lutheriſtarum, Caluinianorum, Proteſtantium, Puritanorum, atque aliorum Religioniſtarum Eccleſias legitima, atque Apoſtolica hac Pontificum, Epiſcoporum, ac Presbyterorum ſucceſſione, ſine qua vera Eccleſia, nec eſse nec conſiſtere vllo modo poteſt, orbatas offenderis: Sancti Irenæi antiquiſſimi Patris præclara verba tibi in mentem veniant, qui vbi Romanæ Eccleſiæ ſucceſſionem, velut certum veræ Religionis ſignum exarauit: te ipſum admonet. *Reliquos, qui abſiſtunt ab hac principali ſucceſſione, quocumque colligantur, ſuſpectos habere; vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ: vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes*. Hinc ſi tibi liber animus fuerit, eam ſapienter apud te deliberationem ineundam ſtatues; vt omni alia prætermiſsa, Romanam dumtaxat Religionem, quæ diuinum, & Apoſtolicum genus, propagationemq. ſibi vendicat, amplectaris.

CONSILIVM DECIMVM.

F*Irmiſſimè tene, & nullatenùs dubita* (Qui ad Apoſtolicę fidei, ac Religionis hæreditatem anhelas) *Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam, ac Romanam Eccleſiam tantummodò vera ſanctimonia ornatam, ac diuinis miraculis à Deo illuſtratam eſſe. Idcircò præter eam, nullam veram Chriſti Eccleſiam in orbe agnoſcendam eſſe.*

Iam tandem (Lector) vẽtum eſt ad extremum huius Orthodoxæ Conſultationis Conſilium, in quo Romanæ Eccleſiæ ſplendor, ac clariſſima lux ex ipſius ſanctimonia, ac

miraculorum gloria erumpens,tibi oculis obijcienda eſt; vt in ea nouam illam Ieruſalem cæleſti lumine irradiatam cõſpicias; quæ ab Iſaia tam egregijs encomijs celebratur, cũ ait: *Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Neque enim dubitare debes, ex omnium ferè Patrum antiquorum teſtimonio, quin hac Ieruſalem Catholica Chriſti Eccleſia inſinuetur; cum eandem Ioannes auro, & gemmis fabrefactam, ac diuina claritate perfuſam deſcribat. Apoc.21. Neque enim illuſtrior vlla Ieruſalem eſſe poteſt, quàm quæ ex hominibus diuino lauacro ablutis, omni auro, & gemmis pretioſioribus ædificatur. Quo fit, vt cum eadem ſit Catholica, ac Romana Eccleſia, præſertim ob antiquam, tum Catholicæ Fidei, tum honoris, ac poteſtatis denominationem, qua Romana Eccleſia, Catholica ſemper à Patribus fuit appellata (vt aliàs dictum fuit) profectò quæ de illa Ieruſalem à Vate dicuntur, de Romana Eccleſia prorſus intelligenda ſunt.

Iſa.60.

Siue igitur ſurgentem Romanæ Eccleſiæ infantiam, ſiue prouectiorem ipſius ætatem inſpicias; illam ſemper ſanctimonia illuſtrem; ſemper diuina miraculorum luce fulgentem videas. Siquidem Chriſtus, quæ vera illius lux eſt, ac indeficiens lucerna, perpetuis Sanctorum ſplendoribus, ac coruſcantibus è Cælo ſignis, quibus eam amantiſſimã ſponſam perpetuo ſibi coniugio copulatam teſtatur, hanc vnam illuſtrat, & in orbe clariſſimam præſtat.

Sed quid eſt (Lector) quod, teſte Iſaia, tenebræ reliquas terras operiunt, & cæca caligine cęteri orbis populi inuoluuntur: cum ſola Ieruſalem hac Domini luce circumfuſa rutilet? id ſanè, non tàm affatu mirabile, quàm viſu miſerabile eſt: quandoquidem tot ſectariorum Eccleſias, velut tenebris ſepultas, ac tot orbis populos caligine reſperſos oculis cernas: quibus nec ſanctimoniæ lux, nec vllus miraculorum fulgor apparet; qui illos, & veræ fidei certiores red-

reddere, atque in ea tutos, ac confirmatos prçſtare queat. Cum tamen hæc ſanctitatis irradiatio, atque hæc miraculorum Domini gloria adeò Romanā Religionem impleat, rapiat, abſorbeat; vt quemadmodùm Ieſse Regio, eò populi Dei ſedes agnoſcebatur, quòd Aegypto denſiſſimis vndique tenebris vallata, ſola clariſſima luce perfunderetur; Ità Catholica, ac Romana Religio, inde vera, ac legitima probatur, quòd Proteſtantium, Puritanorum, Lutheriſtarum, Caluinianorum, atque aliorum Religioniſtarum Eccleſijs nulla ſanctimoniæ, aut miraculorum luce illuſtratis; ſed tenebrarum caligine obtectis, ea ſola inter hos clariſsimos ſplendores verſatur. Vtraque igitur, & ſanctimoniæ, & miraculorum lux, quæ in Romana Eccleſia nullo nunquam tempore enituit, ſuo quæq. ordine ſingillatim tibi demonſtranda eſt: vt veræ Fidei, ac Religionis lumen, quod in ea tantùm effulget, animo haurias.

Principio quod ad ſanctimoniam ſpectat. Futuram Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ ſanctitatem olim Iſaias prænunciauit, his verbis: *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit; vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, à modò, & vſque in ſempiternum.* Iſai. 9. Perſpicuum enim hoc eſt, de Chriſti Regno, quo Catholica Eccleſia ſignificatur, Vaticiniū: neq; his verbis aliud Vates indicat, præterquàm Catholicam Eccleſiam, quam Romanam eſſe diximus, nullo nunquam tempore vera iuſtitia, ac ſanctimonia deſtituendam eſſe: quod etiam confirmat Deus per Oſeam, cum eandem Eccleſiam alloquens, ait: *Et ſponſabo te mihi in ſempiteruum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & in iudicio.* Oſea 2. Atque inde factum eſt, vt Apoſtoli diuino planè lumine perfuſi; cum Eccleſiæ ſanctimoniam, quæ illam, ac ſolam perpetuò comitari debet, ex indelebili iuſtitiæ coniugio, qua Chriſto copulata eſt, percepiſſent; ſanctam in ſymbolo nuncupauerint, ac ſanctam credendam propoſuerint; ita vt nemini dubiū eſſe poſſit; quin vera ſanctitas perennis, ac indiuidua Romanæ Eccleſiæ comes eſſe debeat.

Cæ-

Cæterùm, in quo hæc Romanæ Eccleſiæ ſanctitas, quã vterque Vates iuſtitiam, ac iudicium appellat, repoſita ſit: declarat Paulus his verbis ad Epheſios ſcribens: *Elegit nos* (inquit) *in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius, in charitate*. Equidem ſi Lutherus, & Caluinus hoc Pauli teſtimonium inter alia rectè expendiſſent: didiciſſent profectò, Apoſtolum, Electorum ſanctimoniam, non in fide, ſed in charitate; neque in iuſtitia fidei, ſed in iuſtitia operum ſitam docuiſſe: *Vt eſſemus* (inquit) *ſancti, & immaculati in conſpectu eius*. At quomodò? num in fide? Minimè quidem; ſed in charitate. Nam, & alibi dixerat: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Vti fuſiùs in prima parte diſſeruimus.

Epheſ. 1.
1. Cor. 13.

Porrò, hæc illa iuſtitia eſt, in qua Vates Romanam Eccleſiam Chriſto deſponſatam eſſe tradit: cuius fructus enumerat Apoſtolus, cum ait: *Fructus autem ſpiritus eſt, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Continentia, Caſtitas*. Denique ſi veram, ac Apoſtolicam ſanctimoniam (Lector) qua Eccleſia Catholica ab impuris ſectis diſcerni debet, noſſe optas; diſce ex Apoſtolo, eam non niſi in morum honeſtate, ac ſtudioſa omnium virtutum exercitatione, ac præſertim in eximia quadam, ac præclara diuinæ charitatis, ac dilectionis perfectione ſitam eſſe: vt ipſe Apoſtolus teſtatur; cum perfectam hominis Chriſtiani ſanctitatem deſcribens, ita inquit: *Induite vos ergò ſicut electi Dei ſancti, & dilecti, viſcera Miſericordiæ, Benignitatem, Humilitatem, Modeſtiam, Patientiam; ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donauit nobis, ita & vos. Super omnia autem hæc Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*. Hæc igitur ſanctimonia eſt, quæ Romanam Eccleſiam, inſtar ſolis, perpetuis ſuæ lucis fulgoribus irradiat: quæ cũ ex perfecta Chriſti virtutum imitatione erumpat, ſola vera ſancti-

Gal. 5.
Col. 3.

tas

Digitized by Google

tas cenſenda eſt, qua ea ſancta nuncupari debet.

Et quidem (Lector) ſi res non ad contentionis libidinẽ, ſed ad veritatis dumtaxat ſtudium reuocanda eſt: nemo eſt, qui Apoſtolicam hanc vitæ ſanctimoniam, vſque adeò in Romana Religione excellere non perſpiciat; vt ſi eam alibi quærere affectet, prorſus non inueniat. Id facilè tibi perſpectum erit, ſi Euangelicas veræ ſanctitatis Regulas mecum diligenter euoluas.

Prima Chriſtianæ vitæ Regula, qua ad infimos ſanctimoniæ gradus conſcenditur, eſt omnium Dei mandatorum obſeruantia; quæ adeo Chriſtiano homini neceſſaria eſt, vt ea ſublata, nulla non modo ſanctitas, ſed nec vlla Dei amicitia comparari queat; Chriſto ipſo atteſtante: *Vos amici mei eritis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* Ioan. 15. Quinetiam diuinam maledictionem incurrant, quicunque diuinis mandatis non obtemperant, comminante Dauid: *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Pſal. 118. Hanc cum Caluiniſtæ, Proteſtantes, Puritani, Lutheriſtæ, atque alij Religioniſtæ, velut impoſſibilem, à ſuis Eccleſijs expellant. Sola Romana Eccleſia ita probat, laudat, commendat, amplectitur: vt non modò ſedula fideles populos, diuinis præceptis obtemperare doceat, ſed in publicos quoque tranſgreſſores animaduertat.

Quid (Lector?) quod in ea innumeros vtriuſque ſexus, tàm viros, quàm mulieres reperias, qui ita in omnibus Dei mandatis ſine offendiculo incedant; vt plerique communi Chriſtianorum vita non contenti, quæ ex diuinorum mandatorum cuſtodia exoritur: ardentiori virtutum ſtudio ad præſtantioris vitæ genus aſcendãt. Quis enim ſtudia, exercitationesq. virtutum vehemẽtiſſimas aperire queat, quæ in Romana Religione, non ab vno, aut altero; ſed ab innumeris propè piorum hominum cœtibus, ac ſocietatibus quotidie fiunt? Quis vitæ innocentiam, ac cordis munditiam enarrare valeat, quæ in quamplurimis tàm egregiè eluxit, vt ſæpè cum Angelis Cuſtodibus, cum Apoſtolis, cum

San-

Sanctis, cum Virgine Deipara, denique cum ipſo Chriſto amiciſſimè confabularentur?

Videas Angelicam animi puritatem, ac morum ſimplicitatem in tam multis enitere: vt Lupis, Vrſis, Leonibus, Tigribus, alijſq. truculentioribus feris, velut cum domeſtico cane, familiariſſimè colludant.

Videas arctiſſima aliorum ieiunia, quibus vel arborum radices, vel agreſtes herbæ, vel legumina aqua tantum madefacta, vel panis, & aqua familiaris, ac perpetuus cibus vitæ fuit.

Poſtremò, quis aſperas carnis mortificationes, Apoſtolico exemplo, à quamplurimis vltrò aſſumptas verbis cōplecti valeat? qui ſe ipſos nudos inter ſpinas volutantes, vel inter gelidas niuium aquas, in aſperrimo hyeme commorantes, vel graui ferri pondere ſe ipſos onerantes, vel duriſſimis flagellis corpus excarnificantes; cilicijs, vigilijs, abſtinentijs, ac alijs propè innumeris modis rebelles carnis appetitus domarunt? His (Lector) plena ſunt ſacrarum hiſtoriarum volumina, quæ tum apud Caſſianū, tum apud Hieronymum, tum recentiùs apud quorumcumque Religioſorum Ordinum monumenta ſeruantur.

At illud prætereundum non eſt, quod in perfectum diuinæ legis obſeruantiæ teſtimonium, ſola Romana Religio, eam erga temporales Reges, & Principes obedientiam, ac ſubiectionem profitetur; quod iuxta Apoſtoli doctrinam non ſolùm bonis, ac modeſtis, ſed etiam diſcolis ſibi obtēperandum proponit: quos eo honore proſequēdos docet; vt ijs non modo propter iram, aut ſupplicij vindictam; verùm multò magis propter conſcientiam (vt monet Apoſtolus) ac diuinæ legis amorem, parendum eſſe præcipiat: ac proinde iuſtas eorum leges infringere, aut ijs ex animo non ſubeſſe, piaculum exiſtimet: vt ipſo experimento perſpicuum eſt. Neque enim ignorat, omnem Regum, ac Principum poteſtatem à Deo fluere; atque adeò diuina lege in orbe inſtitutam eſſe, vt qui eorum poteſtati reſiſtunt,

1. Pet. 2.

quan-

quandoquidem in Deum rebelles ſe produnt, ęternam ſibi ipſis damnationem acquirant.

Vbinam hanc, vel apud Lutheranos, & Caluiniſtas, vel apud Puritanos, & Proteſtantes, aut alios Religioniſtas, tam exactam erga Principes venerationem, ac obedientiam reperias? Perſpicuum eſt (Lector) qualem Caluinus, & Caluiniſtæ Regibus, ac Magiſtratibus ſubiectionem debitam agnoſcant; eam ſcilicet, quæ ad animæ vinculum non pertingat; neque homines ad ipſorum leges obſeruãdas in conſcientia adſtringat. En Caluini verba: *Nam ſi Principibus obediendum eſt, non pœnæ tantùm, ſed conſcientiæ cauſa, inde conſequi videtur, in conſcientiam quoque dominari Principum leges. Reſpondeo, inter genus, & ſpeciem hic eſſe diſtinguendum: nam etsi leges ſingulæ conſcientiam non attingant, generali tamen Dei præcepto tenemur, quod Magiſtratuũ auctoritatem nobis commendat.* Premãtur hæc Caluini verba, quid ex his elicietur? præterquàm neminem ad ſeruãdas Principum leges, per ſe vlla conſcientiæ lege teneri: quod ſi generale Dei præceptum agnoſcit, quo homines Principibus ſubeſſe teneantur: cum ipſum Dei mandatum omnibus impoſsibile eſſe perſuadeat, eò ſanè ſpectat, vt omnem ſubditis erga Principes obedientiam auellat. Quo fit, vt Reges ab his maximè Religionibus cauere debeant, quæ cum diuinæ legis obſeruantiam ſibi impoſſibilem aſtruant, Regum quoque, ac Principum obedientiam cunctis impoſſibilem eſſe perſuadent: ac proinde cum per arbitrium lubet, ab ea liberrimè, & abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo recedunt. Calu. inſt. li.8. c.10. §. 8.

Atque hæc quidem, quæ perfectam diuinorum pręceptorum obſeruantiam attingunt, primum aſſurgentis in Romana Eccleſia ſanctitatis gradum oſtendunt. At verò Romana Religio, eo non contenta, ad altius Euangelicæ perfectionis faſtigium conſcendit; cum præſtantiorem diuinorum Conſiliorum Regulam ſuis ſequendam, atque amplectendam ſuadet. Cunctarum Eccleſiarum (Lector) ſiue

Digitized by Google

Lutheranorum, & Caluiniſtarum, ſiue Proteſtantium, & Puritanorum, ſiue aliorum, qui Chriſtiano nomine gloriantur, ſtudia, atque exercitationes euolue, ſcrutare; Vide, num ex his vlla ſit, quæ Chriſti imitationem tàm auidè quærat, vel tam perfectè amplectatur, vt Regias facultates, ampliſſimasq. opes deſerere, atque omnium temporalium bonorum contemptu, Chriſti Domini paupertatem, ita ſectandam ſuis perſuadeat, vt nec illis ad victum neceſſaria ſenſerit retinenda, quò perfectiùs illum imitari poſſint, qui ait: *Vulpes foueas habent, & Volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet*; atque illius cōſiliū ſequi, qui apud Matthæum monuit: *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt*. ac demū Apoſtolicam omnium rerum abdicationem amplecti, quam Chriſtus ipſe docuit, cum ait: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus*; quamq. re ipſa Apoſtoli omnes præſtiterunt, id teſtante Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*.

Luc. 9. Matth. 6. Luc. 14. Matth. 19.

Quot quæſo (Lector) ex Proteſtantibus, aut Puritanis, aut alijs Caluiniſtis, ac Lutheranis hanc Apoſtolicæ perfectionis Regulam ſequi videas; vt temporalia omnia pro Chriſto deſpiciant, relinquant, pauperibus erogent, nihil ſibi retineant; omnibus rebus exonerati poſt Chriſtum currant, nudi, nudum Chriſtum ſequantur; qui demū hanc Euāgelicæ perfectionis normam, tam grauiter à Chriſto commendatam, cum ait: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; & veni, ſequere me*; vel extremo digito attingant. Nullum planè reperias. Quàm verò hæc Euangelicæ perfectionis Regula diligentiſſimè in Romana Eccleſia cuſtodiatur, nullo teſte opus eſt. Id enim tot Monachorum cœnobia, tot Regularium Ordines, tot Virginum collegia, quæ longè lateq. per orbem diffunduntur, non obſcurè teſtantur: in quibus tot Virorum, ac ſacrarum Virginum miriades, abiectis rerum tem-

temporalium curis, ac cunctis, quæ in mundo poſſidebant, propter Chriſtum relictis, Chriſti indigentiam imitantur, ac cæleſte voluntariæ paupertatis conſilium implent.

At verò ne exiſtimes (Lector) huiuſmodi, vel rerum inopia preſſos, vel neceſſitate aliqua compulſos, temporalibus rebus valedixiſse. Videas in his Imperatores, Reges, Principes extitiſſe, qui nullis rebus aduerſis fracti, aut vitæ incommodis compulſi, ſolo cæleſtium rerum amore, ac Chriſti imitationis ſtudio accenſi, ampliſſima Imperia, Regna, ac Prouincias reliquerunt, vt ſe arctiſſimo paupertatis vinculo Chriſto coniungerent.

Ex his, ſi aliquos tibi audire lubet, habes Lotharium I. Imperatorem Occidentis, qui circa annum ſalutis 855. ad Monaſticam vitam, Imperio relicto, ſe contulit: Poſt ipſum Vgonem priùs Prouinciæ Regem, deinde Imperatorem creatum anno 920. Iſaacium Comnenum Imperatorem Orientis anno 1060. Ioannem Cantacuſſinum anno 1310. Ex Regibus habes Rachiſium Regem Italiæ, qui Luitprandro ſucceſſit, anno 740. Pipinum item Italię Regem, anno 805. Bambam Regem Hiſpaniæ: Ioannem Portugalliæ: Raimirum Aragoniæ: Cazimirum Poloniæ: Carolum, & Pipinum Aquitaniæ: Salomonem Vngariæ: Simeonem, & Trebellionem Bulgarorum: Sigibertum Notumbriæ: Magnum Daciæ: Arrigum Daniæ. Neque his defuerunt Angliæ Reges, inter quos enumerantur Alphridus, Chenredus, Cælulphus, Eghebertus, Elteredus; Ina, Offi, Sebe, qui ſpreto temporali Regno, monaſticam vitam ſunt profeſsi. Vides (Lector) quàm coploſè hoc Euangelicę perfectionis Conſilium, in ipſis Anglię Regibus eluxerit; cum in ea Romana Religio floreret: atque è regione, quàm altè nunc in Anglia omnis Euangelica perfectio, & cum ea Apoſtolica ſanctitas ſileat; vbi illa nouum Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, ac Puritanorum Euangeliū recepit, quod cum Chriſti Euangelio, ac ipſius imitatione pugnat. Quo fit, vt ſi Iudex æquus eſſe velis (quod mihi

facilè ex egregia animi tui indole perſuadeo) id apud te certum eſſe debeat: Romanam Eccleſiam, vtpotè perfecta Chriſti, atque Apoſtolicæ vitæ imitatione illuſtrem, hoc Euangelicæ ſanctitatis faſtigium ſolam contingere.

Venio ad Caſtitatis Cõſilium; quod cum Chriſtus tantoperè commendet, vt eos cæleſtium Eunuchorum titulo cohoneſtet, qui indomitas carnis concupiſcentias voluntariæ continentiæ, ac cœlibatus frẹno cohibent: ac licita nuptiarum oblectamenta gladio ſpiritus obtruncant. Paulus quoque adeò Virginitatem extollat, vt eam ſacro coniugij vinculo anteponat; vt pote, quæ Angelico candori comparata terrenos homines ad Angelorum vitam transfert. Vbinam ſunt (Lector) ex tanta Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, atque aliorũ Religioniſtarum turma, qui iuxta Chriſti conſilium, ſe ipſos propter Regnum cælorum caſtrent; qui cœlibatum colant, qui continentiam, ne dum Virginitatem amplectantur, ſaluberrimumq. hoc Chriſtianæ perfectionis Conſilium digito tenùs attingere velint.

Audi (Lector) quid hi aduerſus Chriſti Euangelium hominibus perſuadere ſtudeant: Nimirum continentiam vouere, non virtutis, ſed prẹſumptionis, ac temeritatis eſſe. Cũ (vt aiunt) continentiæ opus donum Dei ſit, quod in noſtra non eſt ſitum poteſtate. At quid homines à Dei Euangelio diſſiti, ac ſuis cupiditatibus indulgentes, vt ſuis impudicitijs excuſationem texant, aliud præterquàm calumnias in Deum ſtruerent, atque in eum ſuarum libidinum cauſam referrent, ſi quando continentiam, quam à Deo non acceperunt, minimè ſeruent? Cum enim in eo, quod in noſtra poteſtate non eſt. nemo aut laude, aut vituperio, vel pœna, vel prẹmio dignus ſit; Si à venereis continere poteſtatem noſtram aufugit, quid prẹdicat Apoſtolus; quòd neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, Regnum Dei poſſidebunt? 1. Cor. 6.

Per-

Perpende (Lector) quàm perperàm donum Dei extollant, vt continentiam ab hominibus auferant. Quis non humilitatem, Patientiam, Miſericordiam, Mãſuetudinem, Fidem, Spem, Charitatem, ac reliquas virtutes, æquè ac ipſam continentiam, Dei dona eſſe ſentiat? Cum Iacobus affirmet omne datum optimum, & omne donum perfectũ de ſurſum eſse, deſcendens à Patre luminum. Quòd ſi impoſſibilem hominibus continentiæ donum eſſe iudicant: an non conſequens eſt, vt & reliquas virtutes, quæ homines à vitijs deterrent, atque ab improborum numero diſcernunt, ab hominum vita exulare cogant? Iacob 1.

Quamobrèm diſce (Lector) continentiam, ac cæteras virtutes ita Dei dona eſſe; vt quamquàm illa abſque Dei ope haberi non poſſint: attamen, quoniam nullo magis delectatur Deus, quàm hominibus ſua dona impertiri; vix quiſpiam in his comparandis laboret, mox hæc Dei dona illis obuia fiant; neque vlli gratiæ auxilium deſit, quo ea ſibi comparare queat. Fateor equidem, hoc Euangelicæ caſtitatis opus, quo à venereis, etiam licitis, perpetua abſtinentia indicitur, eò magis inter ardua Euangelicæ perfectionis opera collocari, quò acriores, ac frequentiores carnis ſtimuli inſurgunt, quibus homo diu, noctuq. agitatur: atque illis potiſſimùm durum, ac impoſſibile videri, qui à ſuis cœtibus abſtinentias, ac ieiunia expellunt; Ventris cupiditatibus indulgent; carnis caſtigationes à ſe ipſis, quàm longiſſimè arcent; inter delitias verſantur; nec vllis omnino vitę aſperitatibus carnis concupiſcentias, aduerſus ſpiritum inſurgentes, cohibendas volunt. Vt enim Hieronymus cõtra Iouinianum ſcribit: *Si quis exiſtimat, & abundantia ciborum, potionumq. ſemper frui, & carnis lubricum non ſentire; hoc eſt, verſari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, ſe ipſum decipit.* Hiero. cõtra Iouin. l. 1. c. 37.

At in Romana Religione, cum ij, qui ad Euangelicam perfectionem anhelant, id in primis curent; vt ciborum abſtinentia, ieiunijs, vigilijs, cilicijs, corporis macerationibus,

bus, laboribus, orationibus, ſe ipſos exerceant: & quò minùs inter delicias verſantur, eò maiora ad caſtitatem tuendam, præſidia à Deo Opt. Max. ſibi acquirant: nihil in hac re arduum, aut difficile eſſe exiſtimant, quod cæleſti Dei munere non attingant.

Neque huius rei teſtes ampliſſimi deſunt, non modò mediocris fortunæ homines; verùm & illuſtriores Orbis Monarchæ, Reges, ac Principes, præter ſuperiùs enumeratos, qui inter Cæſarum, ac Regum delicias, Chriſti candidiſſimam Virginitatem ſequuti, immaculatum vſque ad mortem thorum ſeruarunt.

Inter hos elucent Henricus I. Imperator, & Cunegundis vxor: de quibus apud Hiſtoriographos refertur; quod is extremum iam ſpiritum agens, accerſita vxore, eam Regni Proceribus reſtituerit, illis verbis vſus: *Accipite Virginem veſtram; quam mihi intactam tradidiſtis, intactam reddo.* Boleslaus quoque Pudicus, Rex Poloniæ, cum Conge, ſeu Cunegunde vxore. Alphonſus Rex Caſtellæ, vt tradit Volaterranus, lib. 2. Et ne Anglos prætercam: inter Anglorum Reges, Eduardus Sanctus, cum coniuge perpetuã in coniugio Virginitatem ſeruauit. Edeltrudis quoque Angliæ Regina, tribus nupta Viris, poſt tertium Virgo ad Chriſtum Virginem euolauit. In his quoque emicant S. Elzearius Comes Ariomi, cum Sancta Delphina coniuge. Vrſeolus Venetorum Dux. Et Cazimirus Cazimiri Regis Poloniæ filius.

Sed quid vnum, aut alterum commemoro? cum id innumeri Romanæ Religionis Sacerdotes, tot Anachoritæ, tot Religioſorum caſtra, tot ſacrarum Virginum collegia, quibus vndique Romana Religio ſcatet, non obſcurè teſtentur; ex quibus ipſius ſanctimonia commendatur.

At tertium Euangelicæ perfectionis Conſilium proſequamur, quò illuſtriores homines ardentioribus charitatis ſtimulis erga Chriſtum impulſi, cunctos propriæ voluntatis motus, ac ſenſus alijs potiùs ſubijcere, ac Chriſti obedien-

dientiā imitari, quàm propria arbitrij libertate frui maluerunt;quò perfectiùs Christum ea via ſequi poſſent, quā is Diſcipulis terendam propoſuit;cum ait: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum,& tollat crucem ſuam,& ſequatur me.* Certè nemo eſt (Lector) cui perſpectum non ſit,quàm ſanctiſsimè hac Euangelicæ perfectionis via, Romana Religio incedat;cū nō vulgares tantùm homines, ſed & præclariſſimi Reges, ac Cæſares hāc humilitatis viam aggreſſi, alijs potius parere, ac Chriſtum imitari voluerint: *Qui cum in forma Dei eſſet* (vt ait Apoſtolus) *exinaniuit ſemetipſum factus obediēs vſque ad mortem:* quàm ampliſſimis Regnis, ac populis dominari. Hos quamplurimos ſuperiùs recēſuimus;ac plures adhuc enumerari poſſent,qui in omnibus Regularium Ordinibus, ac præſertim in noſtra Franciſcana familia, Religioſæ militiæ nomina dedere: quos ſponte prætereo, ne inſtitutas breuitatis metas egrediar. Matth. 16. Philip. 3.

Præclara quoque Euangelicæ perfectionis exēpla ſubticeo;arctiſſima ſilentia,quotidianas vigilias,veſtium aſperitatem, orationum aſsiduitatem, voluntarias carnis afflictiones,quibus ad veram ſanctimoniam via ſternitur, quæ Monaſticæ vitę adeò coniūcta ſunt;vt in his quilibet Apoſtolicam viuendi Regulā,non obſcurè contemplari queat.

Omitto humilitatis ſtudia, charitatis officia, Patientiæ, Manſuetudinis,Tolerantiæ, Benignitatis,Pietatis, Modeſtiæ, ac cæterarum virtutum exempla; quibus plena ſunt Caſſiani,Surij, Metaphraſtis, Nicephori, atque aliorum monumenta; quæ ſanctiſſimi quique Romanæ Religionis viris,in veræ ſanctimoniæ argumentum,olim exhibuerunt; & quotidie etiam hac noſtra tempeſtate exhibent.

Poſtremò, ſi in ipſo Euangelicæ ſanctimoniæ apice, quem Paulus in chariatis, ac diuinæ dilectionis incendio collocat,pedem ſiſtas (Lector) An non eam, ita in Romana Eccleſia ardere cernas, vt non immeritò ſola totius Euangelicę perfectionis ſimulachrum pręſeferat. Nam cum diuina charitas, cum in primis in Chriſti fide longè, latè q. per orbem propaganda potiſsimùm eniteat: hoc ſumma

Ro-

Romanæ Religionis ſemper cura fuit, huc omne ſtudium, ac diligentiam contulit, vt Chriſtianam Religionem vbique Gentium diſſeminaret, & aberrãtes Populos, ac Barbaras nationes, quæ inter infidelitatis tenebras verſabantur, ad Chriſtianæ fidei lucem reuocaret.

Huius rei teſtis in primis eſt Hiſpania, quæ cum primũ à Iacobo Apoſtolo, ac etiam Paulo (vt tradunt) Chriſtianis præceptis imbuta fuiſſet; ac deinde in his à Cecilio, Euphraſio, Indalleſio, Criſiphone, Heſichio confirmata; Alanis poſteà, Sueuis, Gothiſq; in Hiſpaniam irrumpentibus corrupta, iterum Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, & aliorum opera (vt teſtis eſt Oroſius) circa annum Dñi 408. & 586. Catholicæ Fidei reſtituitur, tum verò Catholicorum Regum, qui egregiam ſemper in tuenda, & propagãda fide ad hæc vſque tẽpora operam nauarunt, pietate, ac labore tam fixas in Catholica, ac Romana fide radices egit; atque adeò Catholico nomine inſignis euaſit; vt cum ſub Magno illo Carolo V. ac duobus poſt eum Philippis, non tàm Regni, quã illuſtriſsimę fidei ſucceſſoribus, Catholicę fidei eminentiã obtinuerit. Quę vterque nunc Rex, Chriſtianiſsimus, & Catholicus generosè, & præclarè, & liberaliter gerat, & præſtet pro fide propaganda recolere nec debeo, cum notiſſima ſint, & teſtetur de his ferè vniuerſus Orbis, nec poſſum ex mihi præſcriptio huius Libelli breuitatis limitibus.

Paul. Oroſ. li. 7. c. 41.

Teſtis quoque eſt Gallia, in qua cum primum Creſcẽs, & Eutropius à Petro Apoſtolo miſſi, tum Dionyſius, Ruſticus, & Eleutherius à Clemente Rom. Pontif. eò deſtinati Euãgelium prædicaſſent; ea deinde à Francis occupata; ſub Symmacho Roman. Pont. S. Vedaſtus Atrebatenſis, S. Solemnis Carnutenſis, ac præcipuè S. Remigius Rhemenſis, Epiſcopi, in Francorum gente, ac Clodoueo eorum Rege ad fidem conuertendis, feliciſſimè inſudarunt.

At verò reſtituta fide; quàm piè, quàm amanter, quam ardenter Francorum Reges, qui poſt Clodoueum Regni ſceptro potiti ſunt, Chriſtianã Religionem proſecuti fuerint:

rint: quàm ſtrenuè, ac conſtanter pro Romana Eccleſia, eò vſque decertauerint, vt Rom. Pontificē non ſemel è Petri Sede exturbatum reſtituerint. Denique quàm ampliſſimis muneribus, ac donarijs Romanam Sedem auxerint, & cohoneſtauerint; egregia illa Magni illius Caroli Chriſtiani orbis ſplendoris, ac Romanæ Eccleſiæ propugnaculis, Pipini, Ludouici, ac cæterorum Regum geſta ſatis apertè declarāt: quibus Illuſtriſsimum illum Chriſtianiſſimorum Regum titulum, ſibi à Romana Sede delatū meritò compararunt. Ludouici Sanctiſsimi Regis, in Chriſtiana Religione apud Saracenos propaganda, ardentiſſimum ſtudium, quin etiam profuſam vitam prætereo, quæ apud ſacros, & profanos Hiſtoriographos nota ſunt.

Dicerē. Teſtis eſt Italia, & in primis totius Religionis caput, & magiſtra Roma, niſi omnia Mūdi regna teſtarentur, & admirarentur. Ne dū enim Roma profuit, & in dies prodeſt fidei propagationi, ſed hic Eminentiſſ. Cardinaliū erecta de propagāda Fide Congregatio eſt, quæ nunquā prætermittit in vniuerſum Orbem tum mittere fidei miniſtros, tum alimenta, quibus viuāt ad Perſas vſque, & Antipodas gētes. Sed ab initio & ſeminauit fidem, & vt altas radices iaceret plurimorū Martyrū ſanguine irrigauit, cōfirmauit, & muniuit, vt hæc Occidua pars Veritatis, & Religionis lumē ad Orientales vſq; plagas emiſerit. Hinc de ſede Dei, & Agni vidit Ioannes fluuium Aquæ viuæ ſplendidum tāquam chryſtallum procedentem: in hac alma ſiquidem orbis Vrbe ſedes eſt Dei, & Agni, Dei tā quā hominis, & Redemptoris, in eaq. ſedit Petrus Vicarius, & reliqui ad hæc vſque tēpora ſucceſſores, ſedebuntq. donec ſol diē faciat, & luna noctē, vt antea ſedulò, & diffusè indicatum eſt. De hac procedit flumen fidei, & veræ Religionis. Emicātiſsimo hoc præconio gloriatur Roma, vt vera fides, Romana nuncupetur. Hic conatæ ſunt Inferorum portæ præualere aduerſus fidē, ex quibus crudeliores exierunt, & efferatiores ipſis Dæmonibus Tyranni, vt lucernā hanc fidei extinguerent. obſiſtit Veritas, obſtiterūt innumeræ acies virorū, Apoc. vlt.

& mulierum, quæ dum necarentur impiè, conburerentur, viuæ ſepelirentur ſeminarunt fidem, ſuſtinuerunt, confirmarunt, & ſanguis Martyrum fuit fidei, & martyriorum ſeminarium,& præualuit Veritas,& facta eſt Roma Ciuitas, inquit S. Leo Sacerdotalis,& Regia,& per ſacram B. Petri Sedem Capùt Orbis effecta latius præſidet Religione diuina, quam dominatione terrena.

Teſtis quoque eſt Germania, quæ quicquid vnquam Chriſtianę,ac Catholicę veritatis habuit; Cononi,ac Gregorio II. Rom. Pont. debet, qui Chiliano,Seuerino,ac tãdem Bonifacio in Germaniam miſsis, totam Germanorum gentem ad Catholicæ Fidei veritatem perduxerunt.

Teſtis eſt etiã Britannia, quę ab Eleutherio Rom. Pont. (eò Fugatio,& Damiano miſſis) primũ ad fidem conuerſa; Rurſus Anglis Inſulã occupantibus; inde profligatã fidem iterũ incolumem reſtituunt, Auguſtinus,Colũbanus,Finanus,Felix, Iuſtus, Paulinus, Brunus à Gregorio Magno illuc deſtinati. Porrò hanc fidẽ à Magno Gregorio hauſtã,ſi (Lector)verã,ac Catholicam eſſe exiſtimas; vtpote quę ab eo profecta fuerit, dẽ cuius ſana fide, ac doctrina, ne Caluinus quidem ipſe dubitat; Cum eã Anglia,vſq; ad Henricũ VIII. nunquam mutauerit; ſed tot poſt Gregoriũ ſeculis,tot illuſtriſſimi Britanniæ Reges cõſtãter coluerint, defẽderint,propugnauerint; quid eſt, quod ꝑ vera, & antiqua fide, noua nunc religio, antehac orbi inaudita, ſuſpicitur?

Teſtes deniq; ſunt Morauia, quæ Nicolai I. Rom. Pont. opera Chriſti cultũ cõplexa fuit. Bohemia, quæ ſub Ioanne IX. Pont. ad Chriſtianã veritatẽ ſe contulit. Dalmatia, quę priùs ſub Aniceto, deinde rurſus ſub Nicolao I. Chriſto nomina dedit. Polonia, quæ Ioannis XIII. ſtudio Chriſtũ agnouit. Lithuania, ac Samogetia, quæ Vrbani Pont. ſolicitudine, ad Romanã Eccleſiam acceſſerũt. Dania denique, Suedia, Rugia, Gotthia, ac finitimæ gẽtes, quæ Agapiti Papę induſtria, Catholicę Eccleſiæ dexteras dederũt.

At, quid pluribus immoror? Circumſpice (Lector) vniuerſas, non tàm Europæ, quàm Aſiæ, & Aphricæ oras, quæ olim

olim, vel etiam nunc Chriſti fide imbutæ ſunt; Vnde eorum ad Chriſtianam fidem conuerſio, prçterquàm à Romana Eccleſia profecta fuit? Iam verò aliquid huiuſmodi cõfingant nobis Proteſtantes, Puritani, Lutherani, Caluiniſtæ, & quotquot Chriſtianum ſibi nomen vſurpant. Proferant, ſi quam habent, vel vnicam gentem, quam ad Chriſti fidem perduxerint. Oſtendant aliquos ex ſuis, qui noui orbis conuerſioni, vel incubuerint, vel hodiè incumbant: quique pro Chriſtiana Religione apud efferas nationes diſſeminandas pijs laboribus perfungantur. Mirum certè, quod nullam vnquam gentem ab ijs, per tot annorum ſpatia, ad Chriſtianam Religionem adductam legimus.

Cæterùm, ſi ad ipſam perfectorum hominum charitatem (Lector) parum oculos deflectas: Vbinam alibi, tam ardẽtes diuina dilectione animos conſpicias; vt ſui, ac rerum omnium, præ diuini amoris vehementia obliti, ipſa charitatis vi, ac impulſu ita in Deum rapiantur, vt omni corporis ſenſu carentes, tanquam carne ſoluti, totos ſe in Deũ dilectum transferant? necnon frequenter, non tantùm ſpiritu, ſed etiam corpore in aera ſublati, tandiù inter nubes immobiles permaneant, quò ad impetus ſpiritus, ac charitatis vehementia paululùm miteſcat? vt in his Apoſtolica illa charitas eſſe probetur, quam Paulus, ad tertium vſque Cælum raptus, in ſe ipſo experiebatur, cum diceret: *Nos gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquàm à Domini ſpiritu.* 2.Co: 3.

Non vnum (Lector) ſed copioſiſſima, ac quotidiana ferè horum exempla, quæ paſſim apud Religioſorum cœnobia, ac perfectionis vitæ viros conſpicua ſunt, proferri poſſent; quibus tamen, ne immenſum opus conficiam, ſuperſedeo.

Quot denique in Romana Religione reperias, qui diuinæ charitatis æſtu agitati, ſe totos vltrò pro aliorum ſalute impendant; maximum ſibi lucrum fore exiſtimantes, ſi infidelium, ac pereuntium animas proprio cruore Deo pariãt.

Antiquos martyres prætereo, qui vt perfectiſſimam in Deum charitatem oſtenderent, vitam cum ſanguine lubẽtiſſimè pro Chriſto profuderunt. Triginta, & amplius Romanos Põtifices haud commemoro, quos Roma proprio merſos in ſanguine vidit. Tot Romanæ Religionis Epiſcopos, tot Sacerdotes, tot ſacris initiatos, tot laicos minimè recenſere lubet, qui ardentiori diuinæ charitatis flamma ſuccenſi, vltrò pro Chriſti fide, vel tuenda, vel propaganda ſe ipſos neci tradiderunt. Quis poſtrema hæc orbis ſecula animo perluſtrat, qui copioſiſſimas ex omnium fere Regularium Familijs, ſacrorum Virorum turmas non videat, diuino hoc charitatis æſtu ita concitatas, vt pro Turcarum, Saracenorum, Indorum, Hæreticorum ſalute mortem quàm lubentiſſimè oppetierint. Hìc illuſtrium Virorum, ac mulierum, qui vitæ ſanctimonia in Romana Religione effulſerunt, cathalogus texendus eſſet; at cum horum ingentia Volumina apud Surium, Baronium, Bozium, ac cęteros Hiſtoricos habeantur, hìc conſultò prætermitto.

Hæc (Lector) ſi alto animo reuoluas, futurum non dubito, quin Romanam Eccleſiam, ſolã vero ſanctitatis ſplendore, inter ſectarum nebulas fulgentem, ac proinde ſolam Chriſti Eccleſiam agnoſcas.

Ad alterum nempe miraculorum caput accedo, quibus ſola Romana Religio tam copioſè à Deo illuſtratur, vt niſi quis illuſtriora Dei opera, Iudæorum more, calumniari velit, his planè fateri cogatur, Romanam tãtùm Eccleſiam diuinam eſſe, quæ tot diuinorum miraculorum teſtimonio vera à Deo eſſe comprobatur.

Diximus (Lector) in X. prioris partis Regula: Miracula multis de cauſis à Deo in Eccleſia patrari: tum verò ob duas potiſſimùm. Prima ad Eccleſiæ fidem, ac Religionem commendandam, vt his Hæretici, ac Infideles ad veræ Eccleſiæ ſinum reuocẽtur, & fideles in ea fide, ac Religione ſtabiles ſint, quam ab initio acceperunt, quamque diuinis miraculis confirmari vident. Altera, ad Sanctorum

tum

tùm pietatem, tum gloriam illuſtrandam: vt fidelium animi ad eorum imitationem ardentiùs excitentur.

Porrò ad duplicem hanc miraculorum fidem hominibus inſinuandam, tam multa, ac frequentia in Romana Eccleſia à Deo miracula patrata ſunt; ac quotidiè patrantur: vt candidis oculis, candida mente, candida animi interpretatione potiùs quàm eorum narratione ad ea demonſtranda opus ſit. Nam quod ad priorem miraculorum finem attinet; tot, ac tam ingentia miracula ad Romanæ Religionis veritatem confirmandam à Deo edita ſunt, vt vniuerſa penè illius fidei dogmata, diuinis, ac illuſtriſſimis ſignis probata fuerint, ex quibus nonnulla tantùm à grauiſſimis ſcriptoribus relata indicare lubet.

Signum Crucis, à quo Lutherani, & Caluiniſtæ abhorrent, plurimis à Deo ſignis illuſtratum fuiſſe, narrat Palladius in Hiſtoria Sanctorum Patrum c.49. vbi refert S. Coprem, ſigno crucis munitum, rogum ingreſſum fuiſſe, & flamma in hanc, & illam partem diuiſa, nulla prorſus moleſtia affectum: cum tamen ſemihora in ea demoratus fuiſſet. De Iuliano Epiſcopo Boſtrenſi, tradit Ioannes Moſchus in Prato Spirituali cap 94. cum ſe ſigno crucis confirmaſſet, vas atro veneno plenum illæſum hauſiſſe: quod de S Antonio Vliſipponenſi quoque, referunt Annales Ordinis Franciſcani: & de D. Benedicto, Surius in ipſius vita. Ioannes Moſcus Prat. Spir. c. 94.

Miſſæ ſacrificium multa miracula teſtata ſunt, quæ referunt Beda in Hiſtoria Anglicana, lib. 4. cap. 22. Surius de menſe Aprilis, & Ianuarij, & Gulielmus in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 3. Bredembachius lib. 1. cap. 60.

Realem exiſtentiam corporis, & ſanguinis IESV Chriſti, in Sacramento Euchariſtiæ, clariſſima, & copioſiſſima miracula probant: relata à Thoma Cantipratenſi l. 2. miraculorum, cap. 40. Carolo Sigonio de rebus Italiæ lib. 19. anno 1264. Leandro Alberto in deſcriptione Italiæ in Tuſcia fol. 104. Mercurio Gallobelgico anno 1591.

Imaginum cultus quàmplurimis à Deo miraculis commen-

mendatur, quæ referuntur ab Athanaſio in libello, quem conſcripſit de Paſſione Imaginis D.N. IESV Chriſti. A Nicena Synodo 2. act.4. A VVillelmo Morlin, libello Pariſijs excuſſo. In tabulis Eccleſiæ Lauretanę Montis Regalis. Montisferrati, Regij, & alijs. Plurima quoque apud Damaſcenum leguntur.

Sanctorum interceſſionem, Deus multis miraculis teſtatam eſſe voluit, quæ ſcribunt Cæſar. Heiſterbachius lib.3. c.7.& 14. Lindanus in Apolegetico 2.cap.11. Petrus Caniſius lib.5. c.19.

Reliquiarum ſacrarum venerationem, copioſa miracula teſtantur, quæ narrant D.Auguſt.lib.22. de Ciuit. Dei c.8. Chryſoſt.ſerm. de veneratione catenarum, & gladij Principis Apoſtolorum. Socrates Eccleſ. Hiſt. l.1. c.13. Matthæus Pariſius in chronico de anno 1244. & 1583.

Confeſſionis Sacramento pleraq. ingentia miracula teſtimonium ferunt, quæ referunt Cæſarius l.3. c.14. Liber Apum l. 2. c.30. par. 40. & cap. 50. par.2. & ſpec. Mag. Exemp. diſt.7. Exemp. 59.

Purgatorium confirmant quàmplurima miracula, quæ pluribus enarrant, Gregorius lib.4. Dial. Bernardus in vita S. Malachiæ: Cyrillus in ep. ad Auguſtinum: Dionyſius Carth. de quatuor nouiſſimis.

Indulgentiarum vis, quàmplurimis à Deo miraculis declaratur, quæ narrãtur in chronicis Ordinis Minorum. Denique, ſi vniuerſa Dei miracula, quæ vel in ſingularium Dogmatum confirmationem, vel in totius Romanæ Religionis commendationem edita ſunt, hùc cogere vellem; nimis in immenſum opus excederet.

Cæterùm, quæ ad Sanctorum glcriam hominibus commendandam, miracula, à Deo olim in Romana Eccleſia patrata fuere, ac quotidie patrantur; quis verbis enarrare ſufficiat? Siue in ipſos Romanos Pontifices, ſiue in Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſiue in Epiſcopos, ſiue in Monachos, ſiue in ſecularis vitæ viros, qui aliqua ſancti-

ino-

moniæ laude excelluerunt (Lector) oculos conijcias: Romanæ Religionis ſanctitatem adeò ampliſſimis miraculorũ teſtimonijs à Deo probatam reperias; vt neque illorum præſtantiam, neque numerum aſſequi valeas. Miracula, quæ quingenteſimum annum præceſſerunt, non attingo. Ex poſterioribus nonnulla dumtaxat indicare placet, quæ à noti nominis Scriptoribus referuntur.

Atque, vt à Pòntificibus exordiar. Agathonis Papæ ſanctitatem miraculis illuſtratam, teſtatur Platina in eius vita. Leonis IIII. idem quoque Auctor, & Petrus Recordatus Hiſt. Monaſt. dieta 1. Gregorij VII. Guillelmus hiſtoricus, & S. Antoninus.

Cardinalium S. R. E. ſanctimoniã à Deo miraculis probatam, tradunt grauiſſimi Auctores. S. Bonauenturę Cardinalis ſanctitatem plurima miracula teſtata fuiſſe ſcribunt, Octauianus de Martinis, orat. ad Sixtum IIII. & chronicon Franciſcanum: vbi innumera penè illius miracula leguntur. S. Bernardi Cardinalis, Siluanus Dallius Camaldulenſis in ipſius vita. S. Caroli Borromæi, Petrus Giuſſanus, & Grattarola in ipſiuſmet vita.

Quòd ad Epiſcoporum ſanctitatem, ac miracula ſpectat. Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi miracula, refert Oſbertus in eius vita: Heriberti Archiepiſcopi Colonienſis, Rupertus Tuitienſis, in eius vita: S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, Vincentius Mainardus in eius vita. Florentini Epiſcopi Argentinenſis, Surius anno 650. Amãdi Epiſcopi Traiectenſis, Gaudemundus in ipſius vita. Remberti Hamburgenſis Epiſcopi, Albertus Crantzius in Metropol. lib. 2. cap. 10. Roberti Nazareni Epiſcopi, Guillelmus Tyrius lib. 16. c. 11. Malachiæ Hiberniæ Epiſcopi, S. Bernardus, vbi ipſius vitam deſcribit.

De Monachorum miraculis plerique ſcribunt. Alferij, Leonis, & Petri, Abbatum Ordinis S. Benedicti miracula recenſet Petrus Recordatus in hiſtoria Monaſtica: Marili Abbatis Cluniacẽſis, Odilo Presbyter in eius vita cap. 11.

anno

anno 680. Odilonis Abbatis, Petrus Damianus in eius vita. S. Bernardi Abbatis Clareuallenſis, Albertus Stadiſius, & Cęſarius Heiſterbacchius li. 2. & 3. S. Romualdi Camaldulenſium Patris, Petrus Damianus in eius vita. B. Pariſij, Sigonius, Surius, & Auguſtinus in hiſtoria Camaldulenſium. S. Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris, Hiſtoria generalis Ordinis Prædicatorum. S. Franciſci Ordinis Minorum Patriarchæ, D. Bonauentura in eius vita, & & Chronicon Franciſcanum: S. Antonij Vliſipponenſis. S. Bernardini Senenſis. S. Didaci ab Alcala. S. Claræ, atque aliorum prope innumerorum, Annales Franciſcani. S. Brunonis, Paulus Regius in eius vita. S. Franciſci de Paula, Sadoletus in eius canonizatione. S. Ignatius de Loyola, Petrus Maffæius, lib. 3. c. 41. S. Franciſci Xauerij, Torſellinus l. 6. c. 3.

Poſtremò inter laicos miraculis clarus fuit, Rumoldus Scotiæ Regis filius teſte Surio to. 7. Guillelmus item Scotiæ Rex, vt refert Hector Boethius lib. 13. Hiſt. Scoticarũ: Rocchus Narbonenſis, vt teſtis eſt Petrus de Natalibus, & Albertus Crantzius in Metrop. lib. 9. c. 25. Vvenceslaus Rex Boemiæ, & Ludmilla mater, vt teſtatur Thomas Boſius de ſig. Eccleſ. lib. 5. ſig. 11. atque eodem teſte, Stephanus Vngariæ Rex. Margarita Rauennas, vt narrat Hieronymus Rubeus, lib. 8. de geſtis Rauen. Cæteros propè innumeros prætereo.

Hæc igitur illuſtriſſima toti orbi miracula, quę in Romana Eccleſia olim edita fuere, ac quotidie, vel ad Sanctorũ ſepulchra, vel ad martyrum memorias frequentiſſimè fiũt; cum non niſi à Dei omnipotentia proficiſci queant (quod ex modo, ordine, fine, & ſubſtantia miraculorum facilè euincitur) tum ad antiquam fidem in hominum mentibus confirmandam, tum etiam ad Sanctorum gloriam mortalibus inſinuandam, qua mirificè diuinus honos amplificatur, vt ſit glorioſus Deus in Sanctis ſuis; quis non videat (Lector) eò omnia tendere, vt Romana Religio, tot diui-

nis

nis teſtimonijs probata, vera eſſe credatur?

Agant his nobiſcum teſtimonijs Proteſtantes, Puritani, Lutherani, Caluiniſtæ, & quicumque veram Religionem ſibi vendicant. Proferant, ſi quæ habent miracula, quibus vel eorum dogmata, vel fidei ſanctimonia, qua ſola gloriātur, à Deo probata fuerit; vt eos veræ fidei, ac Religionis alumnos eſſe credamus. Id ſanè ab illis non improbè quęrimus: cum noua Religionis forma miraculorum teſtimonio indigeat, qua ſe legitimam eſſe probet: Neque ipſi (ſi tamen ſe verę Religionis cultores eſſe exiſtimant) moleſtè ferre debēt, nos ab eis miracula expetere; cum Deus Opt. Max. veræ Religioni nunquam miracula denegauerit, quibus à ſpurijs hæreticorum ſectis illam diſcerneret.

Reſtat igitur (Lector) vt quandoquidem huic Conſultationi nobis propoſitum eſt finem imponere, Ex his, quæ hactenùs in ea collata ſunt, optimum apud te conſilium ineas, quo his omnibus Religionibus pulſis, quæ nullum veræ Religionis teſtimonium ſibi proprium vendicant: eam tibi Religionem amplectendam eligas, quam vniuerſis veræ Religionis ſignis ſtipatam, velut Reginam, ac Chriſti ſponſam, inter concubinas incedere hactenùs didiciſti.

Habes in priori huius libelli parte, quibus ſignis vera fides, ac Religio agnoſcenda ſit, ac ſingillatim in prima Regula: Vnam tantùm in orbe fidem, ac Religionem à Deo inſtitutam eſſe; ac proinde in Religionum pluralitate, nulli ſalutem, aut vitam æternam expectandam eſſe. Habes in ſecunda: Veram Chriſti fidem, ac Religionem, ex quo ſemel à Deo inſtituta fuit, perpetuò integram, ac incolumem eſſe debere; atque inde, qui Religionis reformationem iactant, à Religionis veritate excidere. Habes in tertia: Veram eam tantùm fidem, ac Religionem habendam eſſe, quæ ab Apoſtolis tradita, ac vetuſtate firmata, vna, & eadem per omnia orbis tempora diffunditur. In quarta: Ad veram fidem, & Religionem ſpectare, vt eadem vbique, &

Iii ab

ab omnibus colatur. In quinta: Veram, & Apoſtolicam fidem ita integram eſſe debere, vt omnibus ſuis partibus cõſtet, ex qua eam ab hęreticorum ſectis diſcreuimus, quæ fidem ſemper mutilam, ac truncam diſſeminant. In ſexta: Aliam, Chriſti Eccleſiam agnoſcendam non eſſe, niſi quæ apud homines viſibilis, ac perſpicua eſt, & malos bonis permixtos continet. In ſeptima: Eam veram tantùm Chriſti Eccleſiam eſſe, quæ viſibile caput à Chriſto inſtitutum, ſibi præſidere agnoſcit. In octaua: Verum Eccleſiæ Principatum à Chriſto inſtitutum, ad Eccleſiaſticas tantùm, nõ laicas perſonas pertinere. In nona: Veram Chriſti Eccleſiam ibi tantùm reperiri, vbi Apoſtolica, ac legitima Pontificum, & Epiſcoporum ſucceſſio viget. In decima tandem: Apoſtolicum, & illuſtriſſimum habes veræ Eccleſiæ argumentum; Cum ſcilicet in ea veram, ac Euangelicam ſanctimoniam elucere, & diuinis à Deo miraculis illuſtrari cernis.

His veræ fidei, ac Religionis ſymbolis, quandoquidem Proteſtantium, Puritanorum Lutheriſtarum, Zuuinglianorum, Caluiniſtarum, atque aliorum, qui Religionis nomen præſeferunt, Eccleſias omnino orbatas, ac deſtitutas euicimus; non immeritò (Lector) eas à veræ fidei, ac Religionis ſede, quam nulla ratione ſibi vendicare valent, deiecimus. Prætereà ne in vera Religione indaganda diù laborares. Romanam Eccleſiam, omnibus hiſce veræ fidei, ac Religionis notis ornatam, in ſecunda huius libelli parte tibi animo contemplandam obtulimus. Atque in primo Conſilio apertiſſimè demonſtrauimus: Romanam Religionem eadem ſemper vnitate conſtantem ita ſibi cohaluiſſe, vt ſectas, ac in fide ſchiſmata perpetuò ignorauerit. In ſecundo: Romanam fidem ita eſſe per omnia orbis tempora diffuſam, vt ſola antiqua, atque Apoſtolica cenſeri debeat. In tertio: Ita omnium Gentium, ac locorum conſenſionem, ac vniuerſalitatem ſibi vendicare, vt cum eadem,

vbi-

vbique, & ab omnibus, vbicũque ea diffuſa eſt, credatur, ſola Catholici nominis titulo gloriari queat. In quarto: Tam integram Romanæ Religionis fidem eſſe oſtendimus vt nec in ſectas ebullierit, neque vnquam quicquam ſibi detrahi, aut addi, aut immutari paſſa fuerit. In quinto: D. Petrum totius Chriſtianæ Eccleſiæ caput, & Paſtorem à Chriſto inſtitutum fuiſſe demonſtrauimus, vt inde Romanæ Eccleſiæ veritas eluceſcat, quæ ſola Apoſtolicum caput à Chriſto ſibi præfectum agnoſcit. In ſexto: Romanam Eccleſiam à B. Petro fundatam, proprio cruore conſecratam, atque ab eo diù adminiſtratam fuiſſe, vt eorum calumnia extergatur, qui Romanæ Sedis auctoritatem, Petro ab ea ſublato, eneruare contendunt. In ſeptimo: Solam Romanam Eccleſiam legitimũ Eccleſiæ caput à Chriſto inſtitutum agnoſcere, ipſum ſcilicet Romanum Pontificem, Chriſti Vicarium, ac B. Petri ſucceſſorem, in quem tota, ac ſumma Eccleſiaſtica poteſtas eſt transfuſa. In octauo: In ſola Romana Eccleſia veram, ac legitimã Pontificum ſucceſſionem ſeruari. In nono: Epiſcoporum, ac Presbyterorum ordinationem, qualis à Chriſto inſtituta fuit, apud eam tantummodò integram cuſtodiri, demonſtrauimus. Ex quo ſolam eam diuinam, ac Apoſtolicam Religionem eſſe euicimus. In poſtremo denique: ſolam Romanam Eccleſiam Euangelica, & Apoſtolica ſanctimonia florere atque adeò diuinis miraculis coruſcare, vt cũ eam Domini luce perfuſam videris, diuinam Chriſti ſponſam agnoſcas, comprobauimus.

Iam verò (Lector) hùc animus, hùc mens, hùc cogitatus, huc omne ſtudiũ, ac ſolicitudo tibi conferenda ſunt; vt his, quæ in hac Orthodoxa Conſultatione tibi propoſita ſunt, maxima diligentia, ac ſtudio conſideratis, prudentiſſimum (quale candidum animum tuum decet) ac ſtabile conſilium, & deliberationem ineas.

Non leuia, non ludicra, non iocoſa ſunt, quæ tibi in

hac conſultatione proponuntur; ſed planè grauiſſima, atque eiuſmodi, quæ ſummam à te prudentiam, ac conſilium expoſcant. De fide enim, de Religione, de vera Eccleſia amplectenda agitur, ſine qua, neque vlla æternorum felicitas, neque beata vita, neque cæleſte præmium, neque vlla omnino ſalus haberi poteſt. Veram fidem, ac Religionem ſi neglexeris: quid tibi poſt cęleſte patrimonium profligatum, reliquum eſſe poteſt, quo te ipſum ſoleris? Certè nihil. Non opes (Lector) non auri, & argenti pondera, non Regna, non Imperia, non denique vlla huius vitæ commoda tibi quicquam prodeſſe valent: aſſerente Domino:
Matth.16. *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur; Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Leuia enim, ac momentanea hæc bona ſunt, quæ hominis corpus afficiunt, ac ſenſus oblectant: at maximum, ac potiſſimum hominis bonum in animo ſitum eſt, quo animæ ſalus comparatur. Quapropter in vera fide, ac Religione adipiſcenda, à qua totum, ac immortale hominis bonum, ac felicitas pendet; omni ſtudio, ac diligentia tibi elaborandum eſt.

Erige animum (Lector) Te ipſum ingredere. Noſce te, non ob mortalia, & caduca, ſed ob immortalia, ac pręſtantiſſima alterius vitæ bona à Deo conditum eſſe. Ad cęleſtium, non ad terrenorum dumtaxat Regnorum poſſeſſionem vocaris. Eapropter viam arripe; iter aggredere; veram fidem, ac Religionem amplectere, quæ ſola tibi ad cęleſtes illas Beatorum ſedes comparandas via eſſe poteſt. En apertum iter. En aditus omnes patefactos. Quà tibi progrediendum ſit, non ignoras. Sola Romana Fides, ac Religio eſt, quæ cum ſola vera, ac diuina ſit, ſola te ipſum beare, ac cæleſtium Regnorum poſſeſſorem efficere valet. Quid moraris? Hæc tibi monſtrat iter (Lector) hàc itur ad aſtra. Quacumque alia via incedas, via erit, quæ ducit ad perditionem. Via enim, quæ ducit ad vitam (teſte Saluatore) vnica eſt, vna ſcilicet Romanæ Eccleſiæ fides, ac Reli-

li-

ligio, quæ nôn latam, ac carnis libertate ſpatioſam, inſtar ſectariorum via; ſed diuinæ legis obſeruantia arctam, ac Euangelicorum cōſiliorum lege compreſſam viam aperit.

Ego quidem (amantiſſime Lector) pro ſingulari mea erga omnes veræ fidei, ac Religionis ſtudioſos beneuolentia, Conſultoris officium omni qua potui diligentia, ſynceritate, ac fidelitate obiui. Veras orthodoxæ Conſultationis Regulas, ac Conſilia, quibus acquieſceres, optimumq. apud te conſilium, ac deliberationem inires, expoſui. Lutheranorum, Caluiniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, ac cæterorum Religioniſtarum fidem, ac Religionem oculis tibi conſpiciendam, atque animo altè reuoluendam obtuli. Romanam verò fidem, ac Religionem, non eo ſanè titulo, quo aut Romana, aut mihi propria eſt (Deum teſtem obteſtor): ſed quo tantùm vera eſt, ac perfectas veræ Religionis regulas complectitur, mihi commendandam, tibiq. amplexandam propoſui. Fidei tandem, ac Apoſtolicæ Religionis veritatem, quam Dei in primis dono, ac beneficio hauſi: tum longo ſtudio, ac diuturno rerum experimento, tam candidè, ac conſtanter in medium protuli, vt pro ea vitam ipſam profundere, non dubitarem.

Iam (Lector) te ſapientis verbis alloquar: *Veritatem eme, & noli vendere ſapientiam, doctrinam, & intelligentiam.* Prou. 23. Fidei veritate nihil pretioſiùs inter homines excogitari poteſt. En hæc tibi, tum in hoc noſtro libello, tum in Romana Eccleſia, abſque pretio ſit venalis. Placeat tibi conſilium ſapientis. Hanc veritatē eme, hanc tibi omni ſtudio Sap. 7. cōparare feſtina. *Infinitus enim theſaurus eſt, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Neque te illius pretium deterreat; Nullo enim, vel exiguo pretio ineſtimabiles ipſius opes aſſequi vales. Sola animi deliberatione opus eſt. Deum tantùm vocantem ſequere; obuiam tibi veritatem amplectere; & tua erit.

Noli (Lector ſapientiſſime) Noli vendere ſapientiam, quam

Digitized by Google

quam ab ipſa ineunte ętate à Deo tam cumulatè accepiſti: vt animum ibi ad contemplandam Dei ſapientiam träsferres, vbi & diuinæ fidei myſteria elucerent, & multiformis ſapientia Dei per Eccleſiam hominibus innoteſceret. Non doctrinam, qua Deo potiſſimùm intùs docente, ad veram fidei diſciplinam capeſſendam erudiris. Non intelligentiam, quæ tibi ad veram Religionem à falſa diſcernendam, è cælo tam copioſè data eſt. Noli, inquam, his poſſidendam tradere, quibus cum nulla fidei veritas, nulla Dei ſapientia, nulla veræ fidei doctrina, nulla denique rerum cæleſtium intelligentia ſit: De tua tantummodò, tum doctrina, tum intelligentia negotiantur.

Age (feliciſſime Lector) Diuinam veritatem amplectere: cæleſte fidei donum, quod tibi liberaliſſimè è Cælo offertur, ne contemne: Etenim cum Apoſtolo conteſtor hodierna die, quòd mundus ſim à ſanguine omnium: Non enim ſubterfugi, quominùs annunciarem omne Conſilium Dei Vobis, publicèque hoc libello teſtificarer veram Religionem, & fidem in Dominum IESVM Chriſtum. Et nunc quid tibi vis cũ via Lutheranorum, vt ambules in via non bona? Et quid tibi cum via Caluiniſtarum, vt incedas per eas itinere non trito: aut in via Proteſtantium, vt ambules vias difficiles, quibus communis ea vox eſt, quæ apud Sapientem legitur. *Errauimus à via veritatis: & iuſtitiæ lumen non luxit nobis: laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus?* Audi Sapientis conſilium. *Non eas in omnem viam*. Eſt enim via, quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem. Eſto firmus in via Domini, & ſta in veritate, quam te Apoſtoli docuerunt, quam tot Martyres proprio ſanguine conſignarunt, quam tot antiquiſſima Concilia confirmarunt, quam vetuſtiſſimi, ac Sanctiſſimi Patres tradiderunt, quam denique Apoſtolica Romanæ Eccleſiæ fides per omnia orbis tempora diffuſa,

Sap. 5.

Eccleſiaſt. 5. & 16.

in-

integram, ac ſartamtectam ad hęc vſque tempora ſeruauit. Vt Deum veræ fidei, ac veritatis auctorem, ac remuneratorem aſſequare. Deus autem ſpei (vt cum Apoſtolo loquar) repleat te omni gaudio, & pace in credendo: vt abundes in ſpe, & virtute Spiritus Sancti.

Cuncta S.R.E. iudicio ſubiecta ſunto.

Laus Deo, ac Beatiſſimæ Virgini Deiparæ honor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google